ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXXII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M.DCCCCLXXXX

An. et vol. LXXXII 12 Ianuarii 1990 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Librerìa Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

ADHORTATIO APOSTOLICA

Ad sacrorum Antistites, Presbyteros et Diaconos, Religiosos ac Religiosas, Christifideles omnes: de persona sancti Ioseph et opera in Christi Iesu Ecclesiaeque vita.

IOANNES PAULUS PP. II

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

PROOEMIUM

1. Redemptoris custos futurus « *Ioseph ... fecit, sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam* » *(Mt* 1, 24).

Primis iam inde a saeculis Evangelio ipso permoti Ecclesiae Patres Sanctum Iosephum, quem ad modum amantem gessisset Mariae curam laetantique studio Iesu Christi sese institutioni devovisset,[1] ita inculcabant mysticum custodire illius corpus ac tueri, Ecclesiam videlicet cuius forma esset Virgo Sancta et exemplar.

Centum igitur transactis annis, quo ex tempore epistola encyclica Romani Pontificis Leonis XIII, cui index *Quamquam*

[1] Cf. S. IRENAEUS, *Adversus haereses,* IV, 23, 1: S. Ch. 100/2, 692-694.

pluries, prodiit,[2] atque praeeunte complurium saeculorum cultu Sancti Iosephi, ponderandas vobis, Cari Fratres ac Sorores, nonnullas cupimus sententias de illo tradere quem Deus ((principalium ... thesaurorum suorum custodem elegit ».[3] Quod quidem pastorale consilium gaudentes sane implemus, ut erga universae Patronum Ecclesiae pietas in omnibus christifidelibus augescat necnon in Redemptorem ipsum amor cui ille ceteris praefulgens in exemplum deserviit.

Hoc enim pacto non tantum ardentius decurret totus Christianus populus eundem ad Sanctum Iosephum fidenterque ipsius advocabit patrocinium, verum ante oculos sibi semper demissum eius constituet maturumque modum et famulandi et ((participandi » salutis hominum opus.[4]

Persuasum enim habemus, rursus si Mariae Sponsum divini mysterii participem Ecclesia consideraverit, posse eam una cum omni hominum genere ad venturum tendentem aevum continenter propriam suam naturam intra idem redemptionis consilium denuo reperire, *quod suum habeat in mysterio Incarnationis fundamentum.*

Velut alius omnino nemo homo, Verbi Incarnati excepta Matre Maria, hoc plane arcanum « communicavit » Iosephus Nazarethanus. Is sane ipse particeps ibidem cum illa simul fuit, in veritatem eiusdem insertus salvifici eventus atque eiusdem etiam custos amoris, cuius virtute Pater aeternus « praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum » *(Eph* 1, 5).

[2] **LEO XIII, Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *Leonis XIII P. M. Acta,* IX (1890), 175-182.**

[3] **SACBOR. RITUUM CONGREG., Decr. *Quemadmodum Deus* (8 Decembris 1870): *Pii IX P. M. Acta,* pars I, vol. V, 282; PII IX, Litt Apost. *Inclytum Patriarcham* (7 Iulii 1871): *I.* c, 331-335.**

[4] **Cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Matth. Horn.* V, 3: *PG* 57, 57s.; eodem etiam utriusque viri cognomine inspecto, in Iosepho Aegyptiaco cum Iosephi a Nazareth ministerium adumbratum quadamtenus esset et dignitas pretiosissimis in thesauris Dei Patris tuendis seu Verbo Incarnato eiusque Matre Sanctissima, idcirco Doctores Ecclesiae Summique Pontifices priorem Iosephum veluti prototypum habuerunt alterius: cf., v. g., S. BERNARDUS, *Super «i Missus est », Horn.* II, 16: *¿S. Bernardi Opera,* Ed. Cist., IV, 33s.; LEO XIII, Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *I. c,* 179.**

I

EVANGELII ELEMENTA

CONUBIUM CUM MARIA

2. « Ioseph fili David, *noli timere accipere Mariam* coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » *(Mt* 1, 20-21).

Iis circumscribitur verbis intima pars biblicae de Sancto Iosepho veritatis, eius nempe vitae momentum quod Ecclesiae Patres nominatim commemorant.

Matthaeus autem evangelista eiusdem huius temporis explanat significationem narrans videlicet quo illud modo Iosephus transegerit. Ut tamen tota ipsius sententia necnon contexta perspiciatur oratio, interest respondentem ei locum *Evangelii Lucae* meminisse. Nam, quod ad versum attinet ubi refertur: «Iesu Christi autem generatio sic erat. Cum *esset desponsata* mater eius Maria *Ioseph, antequam* convenirent, *inventa est in utero habens* de Spiritu Sancto » *(Mt* 1, 18), graviditatis Mariae origo « de Spiritu Sancto » uberius quidem apertiusque in *versiculo* proponitur *quem apud Lucam de annuntiata legimus Iesu nativitate :* « Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen virginis Maria » *(Lc* 1, 26-27). Salutantis vero voces angeli: « Ave, gratia plena, Dominus tecum » *(Lc* 1, 28) intus conturbationem pepererunt in Maria eodemque eam tempore ad deliberandum pepulerunt. Virginem exinde nuntius ipse plaçât dum peculiare de illa Dei patefacit simul consilium: *((Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero et paries filium,* et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius » *(Lc* 1, 30-32).

Paulo affirmaverat ante evangelista fuisse annuntiationis tempore Mariam « desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David ». Harum vero « nuptiarum » indoles obliqua explicatur via, cum auditis iis quae de filii ortu nuntius pertulerat interrogat Maria : « Quomodo fiet istud, quoniam *virum non cognosco? » (Lc* 1, 34). Cui tunc illud responsitatur : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et, quod nascetur, sanctum vocabitur, Filius Dei » *(Lc.* 1, 35). Quamvis Iosepho iam sit Maria « desponsata », virgo nihilo minus manebit quandoquidem in ipsa conceptus iam ab annuntiationis momento filius de Spiritu Sancto est conceptus.

Hoc porro loco Lucae sermo cum Matthaei (1, 18) congruit narratione adiuvatque ut id illuminetur quod ibi legimus. Si quidem post conubium illud cum Iosepho Maria « inventa est in utero habens de Spiritu Sancto », consentit illud cum iis rebus omnibus quas annuntiatio prae se fert et praesertim extremis cum verbis a Maria prolatis : « *Fiat mihi secundum verbum tuum » (Lc* 1, 38). Elabentibus proin diebus et hebdomadis perspicuo obtemperans Dei consilio exhibet sese Maria populo Iosephoque ipsi uti « in utero habentem », eam videlicet quae oportet parturiat iamque in se maternitatis portat mysterium.

3. His ita in adiunctis « Ioseph ... vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, *voluit occulte dimittere eam » (Mt* 1, 19). Quid coram Mariae « mirifica » maternitate ipse ageret nesciebat saneque responsum conturbanti illi interrogationi conquirebat; at effugium potissimum ex adeo difficili sibi rerum statu petebat. Ergo *((haec ... eo cogitante,* ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: *"Ioseph* fili David, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam".* Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » *(Mt* 1, 20-21).

Inter « annuntiationem » igitur Matthaei dictorum atque Lucae ipsius verba permagna emergit similitudo. *Maternitatis Mariae in arcanum inducit Iosephum nuntius divinus.* Quae eius « sponsa » est ad legem, virgo perstans mater Spiritus Sancti vi est affecta. Cum vero Filius, utero quem gestat Maria, in lucem tandem venerit, nomen suscipere Iesum debebit; quod inter Israelitas cognitum profecto erat atque interdum liberis indebatur. *Agitur* attamen hic *illo de Filio qui* ex divinis promissis *significationem plane huius nominis implebit: Iesu* - Yehosua, quod sibi vult: «Deus salvat».

Ad Iosephum is *nuntius* loquitur tamquam ad « Mariae sponsum », ad eum nempe cuius suo tempore idem nomen imponere erit filio ex Virgine Nazarethana nascituro, quae ei est desponsata. Quapropter *se ad Iosephum convertit eique officia terrestris commendat patris ipso de Mariae Filio.*

« Exsurgens autem Ioseph a somno fecit, sicut praecepit ei angelus Domini, et *accepit* coniugem suam » *(Mt* 1, 24). Illam in toto maternitatis ipsius mysterio suscepit, recepit una cum Filio eam qui Spiritu operante Sancto in mundum erat proditurus : qua proinde ratione *promptum voluntatis commonstravit affectum, Mariae haud quidem dissimilem,* ad ea facienda omnia quae suum per internuntium ab illo Deus exposcebat.

II

MYSTERII DEI CUSTOS

4. Cum suam salutatura consanguineam Elisabetham haud multo post annuntiationem intravisset Zachariae domum, Maria excepit inter salutandum ab eadem Elisabetha « repleta ... Spiritu Sancto » *(Lc* 1, 41) enuntiatas voces. Verum illa praeter verba, quae ad angeli referebantur salutationem ipsa in annuntiatione, elocuta haec est Elisabetha : « *Et beata, quae credidit, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Do-*

mino » (Lc 1, 45). Qui scilicet sermones ductores fuerunt conceptus litterarum encyclicarum Nostrarum *Redemptoris Mater* inscriptarum quibus Concilii Vaticani II studuimus altius persequi doctrinam quae edicit : « *B. Virgo in peregrinatione fidei processit,* suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad crucem »,[5] omnes nempe homines « praecessit »[6] per fidem Christum sectantes.

En ergo, hac ineunte peregrinatione *Mariae fides fidem Iosephi convenit.* Si enim Redemptoris dixit Matri Elisabetha: «Beata, quae credidit», haec pariter beatitudo certo quodam modo ad Iosephum deferri potest, cum affirmando et ipse Verbo Dei responderit sibi illa decretoria hora transmisso. Re quidem vera secus ac Maria non angeli « annuntiationi » reddidit Iosephus responsum, atqui « *fecit,* sicut praecepit ei angelus Domini¿ et accepit coniugem suam ». *Quodque egit ipse purissimam pertinet « ad oboeditionem fidei* » (cf. *Rom* 1, 5; 16, 26; *£ Cor* 10, 5-6).

Dici idcirco potest *id quod fecit Iosephus* modo prorsus singulari ad Mariae eum adiunxisse fidem : *accepit ille,* tamquam a Deo proficiscentem veritatem, *illud* quod *ipsa intra annuntiationem iam susceperat.* Praecipit Concilium : « Deo revelanti praestanda est "oboeditio fidei", qua homo se totum libere Deo committit "plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium" praestando et voluntarie revelationi ab Eo datae assentiendo ».[7] *Adducta haec sententia,* qua essentia tangitur fidei intima ipsa, *Iosephum Nazarethanum usquequaque afficit.*

5. Evasit itaque ille sequester sive *custos singularis mysterii* « absconditi a saeculis in Deo » (cf. *Eph* 3, 9), perinde ac Maria eo ipso summi discriminis momento quod ab Apostolo *« plenitudo temporis* » nuncupatur, cum « misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub

[5] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 58.
« Cf. *ibid.,* 63.
[7] Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 5.

lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus » (cf. *Gal* 4, 4-5). « Placuit Deo » ait porro Concilium « in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae (cf. *Eph* 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur (cf. *Eph* 2, 18; *2 Pe* 1, 4) ».[8]

Cum Maria una primus huius mysterii divini Iosephus est depositarius. Una cum Maria — atque etiam ipse ad Mariam relatus- — *hunc communicat supremum eventum quo sese Deus in Christo patefecit* illiusque particeps iam a primis est initiis. Narrationibus vero utriusque evangelistae Matthaei et Lucae ante oculos praefixis, Iosephus item primus dici potest *fidem Dei Matris participare* sicque agens coniugem suam in fide sustinere annuntiationis divinae. Primus insuper ille est a Deo in via collocatus « peregrinationis fidei », quo in itinere Maria praesertim a tempore Calvarii ac Pentecostes perfecto modo praecedet.[9]

6. *Terrrtinabitur autem prior* propria Iosephi via, *eius in -fide peregrinatio,* antequam scilicet sub Cruce in Calvariae loco Maria consistet et quam — Christo ad Patrem reverso — in Cenáculo Pentecostes deget, quo die universo orbi Ecclesia est demonstrata in virtute nempe veritatis Spiritus enata. *Eandem* tamen *viam fidei Iosephi iter percurrit,* quod eodem prorsus decernitur mysterio cuius primus ille cum Maria simul sequester est effectus. Unum enim quiddam et incarnatio et redemptio compositum gignunt indissolubileque, ubi « revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis ».[10] Quam omnino ob coniunctionem Pontifex Ioannes XXIII, magnam qui pietatem erga Sanctum Iosephum excolebat, statuit ut in perpetuam redemptionis commemorationem, Cano-

[8] *Ibid.,* 2.
[9] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 63.
[10] CONO. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 2.

nem nominatim Missae Romanum, illius interponeretur nomen iuxta Mariae et ante Apostolorum nomina Summorumque Pontificum ac Martyrum.[11]

PATERNITATIS MINISTERIUM

7. Prout ex ipsis eruitur evangelistarum locis, paternitatis Iosephi iuridiciale fundamentum cum Maria est coniugium. Atque in tuto ut collocaretur patria Iesu tutela, Iosephum destinavit Deus Mariae coniugem. Unde Iosephi paternitatem — illam necessitudinem quae quam proxime eum ad Christum constituat, finem ipsum omnis electionis ac praedestinationis (cf. *Rom* 8, 28 s.) — per matrimonium cum Maria id est per familiam transire sequitur.

Quantumvis manifesto Iesum confirment Spiritus Sancti conceptum esse virtute eoque in conubio servatam virginitatem (cf. *Mt* 1, 18-25; *Lc* 1, 26-34), vocitant tamen evangelistae Mariae virum Iosephum uxoremque Iosephi Mariam (cf. *Mt* 1, 16. 18-20. 24; *Lc* 1, 27; 2, 5).

Iudicio etiam Ecclesiae, magni si interest *virginalem efferri Iesu conceptionem,* haud tamen minoris refert *Mariae cum Iosepho coniugium defendi,* quod ex eo Iosephi paternitas iuridico modo dependeat. Hinc, qua re recenseantur generationes secundum Iosephi stirpem, intellegitur. « Quare » — rogat Sanctus Augustinus — « non debuit per Iosephi Numquid non erat maritus Mariae Ioseph? (...). Scriptura enim dicit angelica auctoritate quod maritus erat. *Noli timere,* inquit, *accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in illa natum est, de Spiritu Sancto est.* Ei quoque iubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. *Pariet,* inquit, *filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Sed hoc intendit Scriptura, quod non sit natus de semine Ioseph, cum sollicito unde esset gravis

[11] Cf. SACROB. RITUUM CONGREG., Decr. *Novis hisce temporibus* (13 Novembris 1962): *AAS* 54 (1962), 873.

utero, dicitur. *De Spiritu Sancto est.* Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas, cum iubetur puero nomen imponere. Denique et ipsa virgo Maria bene sibi conscia quod non ex eius complexu et concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit ».[12]

Filius Mariae, Iosephi quoque est *filius* ob coniungens illos conubiale vinculum : « Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari *ambo* meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, *utrumque mente,* non carne ».[13] Neque deerat coniugio huic ullum constituentium illud postulatorum : « Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. *Prolem* cognoscimus ipsum Dominum Iesum : *fidem,* quia nullum adulterium: *sacramentum,* quia nullum divortium ».[14]

Cum in matrimonii inquirunt indolem tum Sanctus Augustinus tum Sanctus Thomas continenter eam reponunt in <(indivisibili coniunctione animorum », in « copulatione ... animorum », « consensu »;[15] quae proin elementa in coniugio illo insigniter sunt commonstrata. Maximo enim historiae salutis tempore, quo nempe suum erga homines Deus aperit amorem per Verbi donum, *Mariae Iosephique conubium* plena quidem « libertate » ad effectum deducit « sponsale sui donum » accipiendo videlicet atque exprimendo tali amore.[16] « Hoc in ingenti opere omnia in Christo renovandi, fit matrimonium, ipsum etiam purificatum et redintegratum, nova res novi Foederis sacramentum. Ecce quippe Novo ineunte Testamento,

[12] S. AUGUSTINUS, *Sermo 51,* 10, 16: *PL* 38, 342.

[13] S. AUGUSTINUS, *De riuptiis et concupiscentia,* I, 11, 12: *PL* 44, 421; cf. *De consensu evang elistar um,* II, 1, 2: *PL* 34, 1071; *Contra Faustum,* III, 2: *PL* 42, 214.

[14] S. AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia,* I, 11, 13: *PL* 44, 421; cf. *Contra Iulianum,* V, 12, 46: *PL* 44, 810.

[15] Cf. S. AUGUSTINUS, *Contra Faustum,* XXIII, 8: *PL* 42, 470s.; *De consensu evangelistarum,* II, 1, 3: *PL* 34, 1072; *Sermo 51,* 13, 21: *PL* 38, 344s.; S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 29, a. 2 in conclus.

[16] Cf. *Allocutiones* (9 et 16 Ianuarii, 20 Februarii 1980): *Insegnamenti,* III/I (1980), 88-92; 148-152; 428-431.

haud secus atque Veteris Testamenti principio, adest coniugum par. Verum, licet Adami Evaeque fuerit par maiorum fons quae orbem obruerunt, culmen efficiunt Iosephus ac Maria unde diffunditur universa in terras sanctimonia. Opus namque salutis Servator ex virginali hac et sacra coniunctione incohavit, ubi omnipotens ipsius ostenditur voluntas *purificandae ac sanctiftcandae familiae,* quae et amoris sacrarium est et vitae ipsius seminarium ».[17]

Quot hinc in familiam derivantur doctrinae principia ! Quoniam « dicendum est essentiam et munera familiae amore ad extremum definiri » atque « hanc ob causam familia accipit *missionem custodiendi, declarandi et communicandi amorem* tamquam vivam quasi repercussionem veramque participationem amoris Dei cum humano genere et amoris Christi Domini cum Ecclesia eius sponsa »,[18] ideo sacra in Familia primariam nempe apud hanc « Ecclesiam domesticam ».[19] referri et resplendere velut in speculo debent familiae christianae cunctae. « Arcano enim Dei consilio plures annos in ea Dei Filius absconditus vixit: est proinde ipsa christianarum exemplar familiarum omnium et quasi primigena species ».[20]

8. A Deo est Sanctus Iosephus arcessitus ut Iesu recta via munerique eius *per suae paternitatis exsecutionem* famularetur: eo ipso prorsus modo ille in temporis plenitudine magno redemptionis mysterio adiutricem praestitit operam reque vera ((salutis minister » exsistit.[21] Concreta autem ratione paternitas illius inde declarata est « quod. sua ex vita ministerium

[17] PAULUS VI, *Alloc,* ad Motum « Equipes Notre-Dame » (4 Maii 1970), ii. 7: *AAS* 62 (1970), 431. Laudes Familiae Nazarethanae, quae domesticae communitatis perfectum habendum est exemplar, similes inveniuntur, v. g., apud LEONEM XIII, Litt. Apost. *Neminem fugit* (14 Iunii 1892): *Leonis XIII P. M. Acta,* XII (1892), 149s.; apud BENEDICTUM XV, Motu proprio *Bonus sane* (25 Iulii 1920): *AAS* 12 (1920), 313-317.

[18] Adhort. Apost. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 17: *AAS* 74 (1982), 100.

[19] *Ibid.,* 49: *I. c,* 140; cf. CONC OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 11; Decr. de Apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 11.

[20] Adhort. Apost. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 85: *I. c,* 189 s.

[21] Cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Matth. Horn.* V, 3: *PG* 57, 57 s.

effecit ac sacrificium ipsi incarnationis mysterio necnon redimendi officio ei inhaerenti, quod legis auctoritate utebatur quam iure in sacram habebat Familiam ut sui ipsius et vitae suae et sui operis inde donationem illi Familiae praeberet, quod humanam suam domesticum ad amorem vocationem transfiguravit is idem in oblationem vires humanas excedentem sui cordisque sui et omnis facultatis, in amorem ministerio Messiae destinatum iam domi suae generatum ».[22]

Illud porro commemorans Liturgia sacra, quod commissa sunt « humanae salutis ... primordia beati Ioseph fideli custodiae»,[23] aliud non tacet, quod nempe ille «fidelis servus ac prudens super Familiam ... est constitutus, ut Unigenitum ... paterna vice custodiret »,[24] Cuius exinde operis excellentiam sublimem Pontifex Leo XIII extulit : « Augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est ».[25]

Quando concipi mente non potest muneri adeo excelso dotes non respondere necessarias illud convenienter ad perficiendum, concedi oportet coluisse Iosephum in Iesum « peculiari Caeli largitione universum illum naturae amorem omnemque sollicitudinis affectum quem patris cognoscere posset animus **M.**[26]

Patria autem simul cum potestate in Iesum tribuit etiam Deus Iosepho congruentem amorem, illum videlicet originem suam qui in Patre habet « ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur » *(Eph* 3, 15).

Paternum vero Iosephi erga Iesum officium in Evangeliis lu-

[22] PAULUS VI, *Alloc.* (19 Martii 1966): *Insegnamenti,* IV (1966), 110.

[23] *Missale Romanum, Collecta* in «Sollemnitate S. Ioseph Sponsi B.M.V.».

[24] *Ibid., Praefatio* in « Sollemnitate S. Ioseph Sponsi B.M.V. ».

[25] Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *I. c,* 178.

[26] Pius XII, Nuntius radiophonicus ad alumnos transmissus in Scholis Catholicis Foederatarum Americae Civitatum discentes (19 Februarii 1958): *AAS* 50 (1958), 174.

culenter proponitur. Etenim quae per humanam Iesu naturam transit salus, gestis rebus perficitur cotidianum familiaris vitae cursum pervadentibus, illa scilicet observata « dignatione » sive descensione quae incarnationis inest consilio. Enituntur quippe valde evangelistae ut comprobent nihil in Iesu vita casui omnino esse relictum, omnia contra secundum rationem divinitus praestitutam evenisse. Saepius enim iterata formula: « Hoc factum est, ut adimpleretur ...» atque eventus descripti consociatio cum Veteris Testamenti aliquo loco illuc quidem spectant ut cohaerentia et consonantia unius consilii extollatur quod suam in Christo consecutum est perfectionem.

<(Promissa » ac « figurae » Testamenti Veteris « solidae res » per incarnationem fiunt: loca et personae, eventus et ritus secundum clara Dei praecepta inter se nectuntur, quae angelorum transmissa ministerio sunt atque a creaturis percepta quae Dei voce vehementer permovebantur. Maria humilis erat Domini ancilla ab aeterno praeparata tempore ut Dei Mater esset; Iosephus vero ipse est quem delegit Deus « dispensatorem ortus Dominici »,[27] cui munus est curandi ut Dei Filius in mundum « ordinatim » ingrediatur, asservatis tum divinis iudiciis tum legibus humanis. Custodiae profecto illius tota concreditur sic dicta « privata » vel « abscondita » Iesu vita.

CENSUS

9. Bethlehem sese propter census descriptionem conferens Iosephus, cum legitimae auctoritatis pareret edictis, adversus infantulum grave explevit significansque officium, publice id est inscribendi nomen « Iesu, filii Ioseph a Nazareth » (cf. *Io* 1, 45) in Romani Imperii fastis. Conspicuo exinde modo inscriptio haec demonstrat Iesum ad humanum pertinere genus, inter homines hominem orbisque huius civem, civilibus obnoxium legibus et institutionibus, verum etiam « *servatorem mundi* ».

[27] **ORIGENES,** ***Horn. XIII in Lucam,*** **7: S. Ch. 87, 214.**

Bene igitur theologicam vim explicat Origenes huic eventui historico minimeque secundario adhaerentem : « Quid me iuvat ista narratio, quoniam prima descriptio universi orbis sub Caesare Augusto fuerit et inter omnes etiam Ioseph cum Maria desponsata sibi atque praegnante nomen retulerit in censum ac, priusquam descriptio completur, ortus fuerit Iesus? Diligentius in tuendi sacramentum quoddam videtur significari, quia in totius orbis professione describi oportuerit et Christum, uL cum omnibus scriptus sanctificaret omnes et cum orbe relatus in censum communionem sui praeberet orbi, ut post hanc descriptionem describeret quoque ex orbe secum in librum viventium, ut, quicumque credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in caelis : cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen ».[28]

IN BETHLEHEM NATIVITAS

10. Uti mysterii « absconditi a saeculis in Deo » quodque incipit ante oculos sese complere « in plenitudine temporis » depositarius *Iosephus una cum Maria nocte illa apud Bethlehem* est testis praelatus Dei Filii adventus inter homines. Sic proinde Lucas perscribit: «Cum *essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum;* et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in deversorio » *(Lc* 2, 6-7).

Oculatus fuit Iosephus testis huius ortus, qui inter adiuncta humanitus abiecta contigit, uti primus illius nuntius « exinanitionis »' (cf. *Philp* 2, 5-8) cui libere Christus est assensus ad peccatorum remissionem. Eodem autem tempore ipse fuit *testis pastorum adorationis* qui in locum advenerant Iesu nativitatis, postquam laetificam hanc magnamque rem eis nuntiavit angelus » (cf. *Lc* 2, 15-16); fuit aequabiliter postmodum *testis Magorum observationis ex Oriente advectorum* (cf. *Mt* 2, 11).

[28] **ORIGENES, *Horn. XI in Lucam,* 6: S. Ch. 87, 194 et 196.**

CIRCUMCISIO

11. Quod filii circumcisio primum patris est religiosum opus, eo ritu (cf. *Lc* 2, 21) perfungitur Iosephus iure suo officioque erga Iesum.

Principium quidem illud, quo omnes Testamenti Veteris ritus umbrae sunt rerum (cf. *Heb* 9, 9 s. ; 10, 1), explanat cur illos Iesus recipiat. Haud sane secus atque ceteri ritus, circumcisio quoque in Iesu 'perfectionem' suam reperit. Dei enim cum Abrahamo foedus, cuius erat circumcisio signum (cf. *Gn* 17, 13), in Iesu suum plenum assequitur effectum perfectamque exsecutionem suam, cum sit Iesus « est » antiquarum promissionum omnium » (cf. *2 Cor* 1, 20).

NOMINIS ASSIGNATIO

12. Iesu nomen circumcisionis in ritu filiólo Iosephus imponit. Unum hoc est in quo oportet salvum fieri (cf. *Act* 4, 12); atque ipsi Iosepho reclusa eius significatio est una cum proprii muneris nuntiatione : « Et vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » *(Mt* 1, 21). Nomine autem sic indendo testatur suam Iosephus paternitatem legitimam in Iesum ac pronuntiando item nomine illo opus praedicat illius tamquam servatoris.

IESU PRAESENTATIO IN TEMPLO

13. A Luca commemoratus hic ritus (2, 22 s.) simul redemptionem complectitur primogeniti simul collustrat futuram Iesu duodecim annos nati commorationem in templo.

Aliud patris officium est *primogeniti redemptio* quae a Iosepho est peracta. In primogenito enim Foederis populus exhibebatur ex servitute videlicet redemptus ut ad Deum pertineret. Hac similiter in re, qui est verum redemptionis illius « pretium » (cf. *1 Cor* 6, 20; 7, 23; *1 Pe* 1, 19), Iesus non tantum Veteris Testamenti « complet » ritum, sed eodem etiam tem-

pore eum supervadit, quandoquidem non ille redimendus quidem est, verum auctor ipse redemptionis.

Id effert Evangelista quod : « erat pater eius et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo » *(Lc* 2, 33) ac praesertim de *iis quae Simeon protulit* Iesum suo in cantico ad Deum directo indicans velut « salutare ... ante faciem omnium populorum » ac « lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis ... Israel » deindeque etiam « signum, cui contradicetur » (cf. *Lc* 2, 30-34).

IN AEGYPTUM FUGA

14. Praesentato in templo Iesu Lucas notat evangelista : « Ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, *reversi sunt in Galilaeam* in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia; et gratia Dei erat super illum)) *(Lc* 2, 39-40).

Attamen, *scribente ipso Matthaeo,* etiam ante hunc in Galilaeam reditum reponatur quidam magni ponderis eventus oportet, ubi ad Iosephum iterum divina Providentia recurrit. Legitur : « Qui [Magi] cum recessissent, ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph dicens : *"Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in A egyptum* et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum" » *(Mt* 2, 13). Advenientibus namque Orientis Magis, cognoverat de ortu « regis Iudaeorum » (cf. *Mt* 2, 2) Herodos. Cumque iidem abissent Magi, ipse « mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra » *(Mt* 2, 16). Sic profecto cunctis interficiendis illum cupiebat nuper natum « regem Iudaeorum » exstinguere, quem adeuntibus regiam ipsius Magis noverat. Iosephus proinde, excepta in somnis admonitione, « accepit puerum et matrem eius nocte et *recessit in A egyptum* et erat ibi *usque ad obitum Herodis,* ut adimpleretur, quod dictum est a Domino

per prophetam dicentem : "Ex Aegypto vocavi filium meum" » *(Mt* 2, 14-15; cf. *Os* 11, 1).

Hoc nempe pacto iter Iesu reditus de Bethlehem ad Nazareth per Aegyptum transmittitur. Quem ad modum Israel exodi sive egressionis viam « de domo servitutis » arripuit ut Foedus Vetus iniret, ita plane *Iosephus, sequester ac providentiae Dei mysterii adiutor,* in exsilio eum aequabiliter tuetur qui Novum Foedus in actum deducit.

IESU COMMORATIO IN TEMPLO

15. Ab illo annuntiationis tempore cum Maria simul Iosephus certo quodam modo invenitur *in medio ipso arcano* a saeculis in Deo abscondito quod carne tandem est vestitum: *« Verbum caro factum est et habitavit in nobis » (Io* 1, 14). Inter homines demorabatur eiusque morationis locus erat *sacra Nazarethana familia* — una sane complurium huius Galilaeae viculi, una terrae Israelis plurimarum familiarum. Inibi Iesus « puer ... crescebat et conf ortabatur plenus sapientia ; et gratia Dei erat super illum » *(Lc* 2, 40). Pauculis Evangelia verbis *longum « absconditae » vitae intervallum* perstringunt, quo ad suum se messianicum munus Iesus comparabat. Unum dumtaxat subducitur momentum huic "occultatione' atque in *Lucae Evangelio describitur: Pascha Hierosolymitanum, cum duodecimum agebat Iesus annum.*

Huius particeps celebrationis fuit Iesus ut peregrinator adulescens una cum Maria et Iosepho. Et ecce: « Consummatis ... diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius » *(Lc* 2, 43). Exacto autem uño die rem intellexerunt atque « inter cognatos et notos » inquisiverunt : « Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos ; stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius » *(Lc* 2, 46-47). Percontatur Maria : « Fili, quid fecisti nobis sic? *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus*

te)) (Lc 2, 48). Talis, vero reddita est a Iesu responsio ut ipsi non intellexerint verbum, quod locutus est ad illos. Dixerat enim : « Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis *quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me essef » (Lc* 2, 49-50).

Hoc audivit responsum Iosephus, pro quo Maria paulo ante declararât: «pater tuus». Siquidem dictitabant sic homines atque cogitabant : « Iesus erat..., ut putabatur, filius Ioseph » *(Lc* 3, 32). Verum responsio tamen Iesu in templo reddita illud in conscientia et animo « praesumpti patris » excitare debuit quod is nocte quadam duodecim ante annis perceperat : <(Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est* ». Iam se illo ex tempore comprehendebat custodem et depositarium Dei esse mysterii; ac duodecim agens annum *Iesus hoc ipsum revocavit mysterium:* « In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse ».

SUSTENTATIO IESU ET EDUCATIO IN NAZARETH

16. Iesu profectus « sapientia et aetate et gratia » *(Lc* 2, 52) intra fines contingit sacrae Familiae sub ipsis Iosephi oculis cuius celsum erat officium « educandi », id est nutriendi et vestiendi et instituendi Iesum ipsum in Lege atque opere secundum munia patris propria.

Eucharistico in sacrificio veneratur Ecclesia memoriam ... in primis gloriosae semper Virginis Mariae ... sed et beati Ioseph,[29] quia illum ipse « enutrivit quem populus fidelis uti panem de caelo descensum sumerat

Sua vicissim ex parte « erat subditus illis » *(Lc* 2, 51) Iesus sua quidem reverentia et observantia beneficiis « parentum » suorum par referens. Ita quidem officia sanctificare cupiit familiae atque operis quod iuxta Iosephum exercitabat.

[29] Cf. *Missale Romanum, Prex Eucharistica I.*

[30] SACBOR. RITUUM CONGREG., Decr. *Quemadmodum Deus* (8 Decembris 1870): *I. c,* 282.

III

VIR IUSTUS - CONIUX

17. Progrediente sua vita., peregrinatio quae fuit in fide, Iosephus perinde ac Maria fidelis usque ad extremum vocanti Deo esse perseveravit. Vita quidem Mariae fuit exsecutio in finem illius primi *fiat* quod annuntiationis pronuntiaverat tempore; contra vero Iosephus, uti dictum est, suae « annuntiationis » momento non ullam protulit vocem : tantummodo is *« fecit,* sicut praecepit ei angelus Domini » *(Mt* 1, 24). Et *hoc primum « fecit » principium evasit « Iosephi viae »*. Quam totam per viam nullum ab eo expressum denotant evangelistae sermonem. Atqui *Iosephi silentium* peculîarem suam prae se fert eloquentiam: propter illud enim veritas plane percipi potest quam iudicium continet de eo in Evangelio : vir « iustus » *(Mt* 1, 19).

Eandem oportet quis sciat recte legere veritatem quoniam in ea residet *una quaedam ex praestantissimis de viro ipso eiusque munere testificationibus.* Volventibus porro aetatibus attentior usque ac magis conscia Ecclesia hoc perlegit testimonium, tamquam si ex thesauro huius singularis figurae « nova et vetera » *(Mt* 13, 52) proferat.

18. Vir « iustus » Nazarethanus in primis perspicuas possidet coniugis dotes. Mariam exhibet evangelista « virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph » *(Lc* 1, 27). Prius itaque ante nos Evangelia *imaginem mariti et uxoris* constituunt quam « mysterium a saeculis absconditum » *(Eph* 3, 9) compleri incipiat. Ex Hebraici populi more duobus gressibus continebatur matrimonium: primum celebrabatur legitimum conubium (verum ipsum matrimonium), ac deinde solum post certum temporis spatium uxorem perducebat vir suam in domum. Antequam igitur cum Maria communiter vivebat, iam eius Iosephus erat « coniux » ; *verum tamen intra se voluntatem*

colebat Maria donum sui ipsius plenum Deo uni deferendi. Interrogari quidem licet quo pacto voluntas haec cum « nuptiis » concilietur. Ex eventibus solis salvificis eorumque progressibus accipitur responsio, e peculiari scilicet Dei ipsius actu. Iam inde ab annuntiationis momento novit Maria sese *exsequi debere* suum *virginitatis propositum,* Deo nempe ratione completa et exclusoria se devovendi, omnino *statu suscipiendo Filii Dei matris.* Maternitas de Spiritu Sancto est ipsa donationis illius forma quam ipse Deus a Virgine poscit, « desponsata » Iosepho. Suum ideo *fiat* eloquitur Maria.

Quod autem illa « desponsata » est Iosepho, iam *in ipso concluditur Dei consilio.* Id quod ambo antehac memorati indicant evangelistae, sed praesertim Matthaeus. Gravissimae sunt voces illae Iosepho dictae : « Noli timere accipere Mariam *coniugem tuam.* Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est» *(Mt* 1, 20). Arcanum enim explanant coniugis Iosephi: virgo est Maria sua in maternitate. In illa « Filius Altissimi » corpus suscipit humanum evaditque « hominis Filius ».

Appellans Iosephum Deus angeli sermonibus ad ipsum se vertit veluti *Virginis Nazarethanae coniugem.* Quod in ea perfectum a Spiritu Sancto est, simul peculiarem significat *confirmationem vinculi sponsalis* iam pridem Iosephum inter ac Mariam vigentis. Nam liquido nuntius praecipit Iosepho: « Noli timere accipere Mariam *coniugem tuam* ». Idcirco, quod evenerat antea — conubium ipsius cum Maria — Dei voluntate erat factum proptereaque asservandum. Sua Maria in divina maternitate pergat necesse est vivere tamquam « virgo desponsata viro » (cf. *Lc* 1, 27).

19. Non modo *audit Iosephus* in « annuntiationis » nocturnae dictis divinam veritatem de vocatione coniugis suae ineffabili, verum *de munere suo veritatem* similiter *repetit.* Vir hic « iustus », qui sensu affectuque nobilissimarum populi electi consuetudinum Virginem Nazarethanam amabat eique sponsali amore alligabatur, denuo hunc vocatur ad amorem a Deo.

« Ioseph ... fecit, sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam» *(Mt 1,* 24); quod in ea genitum est, « de Spiritu Sancto est » : nonne hisce e locutionibus colligi fortassis debet eius etiam *amorem ut viri a Spiritu Sancto renovari?* Nonne cogitandum forsitan est Dei caritatem, quae diffusa sit in hominum cordibus per Spiritum Sanctum (cf. *Rom* 5, 5), conformare quam perfectissima ratione omnem humanum amorem? Efformat etiam unico quodam modo sponsalem coniugum amorem, dum omnia in eo altiora ac maiora reddit quae digna humanitus sunt et pulchra, quae nempe secum inferunt exclusoriae deditionis signa, pactum personarum ipsarum foedus atque veram communitatem ad exemplum Mysterii Trinitarii.

« Ioseph ... accepit coniugem suam; et *non cognoscebat eam,* donec peperit filium » *(Mt* 1, 24-25). Quae insuper verba *aliam* designant *conubialem propinquitatem.* Altitudo autem propinquitatis eiusdem sive potius spiritalis coniunctionis vehementia et consortionis inter personas, tandem e Spiritu proficiscuntur « qui vivificat » *(Io* 6, 63). *Obsequens autem Spiritui Iosephus fontem in illo denique ipso repperit amoris,* sui scilicet conubialis amoris ut viri; qui quidem amor maior illo amore fuit quem « vir iustus » secundum cordis sui humani modum exspectare sibi potuit.

20. Celebratur sacra in liturgia Maria ut « Ioseph viro iusto arctissimo virginalique amoris vinculo iuncta ».[31] De duobus enim agitur amoribus qui mysterium Ecclesiae *coniuncte* demonstrant, virginis atque uxoris, quae in Mariae Iosephique coniugio suum detegit exemplar. « Virginitas et caelibatus propter Regnum Dei non solum non adversantur matrimonii dignitati, sed eam prius poscunt atque confirmant. Matrimonium ac virginitas duae rationes sunt exprimendi unicum my-

[31] ***Collectio Missarum de Beata Maria Virgine,* I, « Sancta Maria de Nazareth », *Praefatio.***

sterium Foederis Dei cum Populo Eius »,[32] quod amoris Deum inter atque homines est communio.

Per totum sui ipsius sacrificium suum erga Dei Matrem amorem nobilem recludit Iosephus deferens ei « sponsale sui donum ». Quamvis certum ei sit subducere se ipsum ne Dei impediat opus quod in illa iam completur, luculenta motus angeli admonitione apud se eam retinet eiusque r evere tur deditionem unicam Deo factam.

Aliunde vero dignitas ipsius singularis propriaque in Iesum iura ad Iosephum deveniunt e coniugio illius cum Maria. « Certe matris Dei tam in Excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin *accesserit ipse, ut nemo magis.* Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere *participem ».*[33]

21. *Caritatis autem vinculo tali continebatur sacrae Familiae vita,* primum inter Bethlehemi egestatem, deinde in exsilio Aegyptio ac postremo per Nazarethanam commorationem. Permagna veneratione circumdat Ecclesia Familiam hanc, quam omnium domuum effert exemplar. In arcanum incarnationis directo iniecta efficit Nazarethana Familia et ipsa peculiare mysterium. Simul vero — sicut in incarnatione — vera pertinet paternitas ad hoc mysterium: *humana constitutio Filii Dei familiae,* quae vera fuit humana familia divino mysterio conformata. *In illa pater Iosephus est:* cuius tamen

[32] **Adhort. Apost. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 16: *I. c,* 98.**

[33] **LEO XIII, Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889) : *I. c, III* s.**

paternitas haud ex generatione ipsa deducitur. Nihilominus eadem non solum « apparet » aut « substituitur » sed *veritatem plene possidet humanae paternitatis* munere ex ipso patris in familia. Unionis hypostaticae consectarium aliquod inibi reperitur : hominis nempe natura in Personae divinae Verbi-Filii unitatem suscepta. Assumpta vero humanitate, in Christum simul *omne id assumitur quod est humanum ac particulatim familia ipsa,* quae prima condicio illius vitae est in terris. Qua in re paternitas quoque Iosephi humana suscipitur.

Hoc ex principio rectum suum sensum verba consequuntur a Maria adulescenti dicta Iesu duodecim annorum in templo : *« Pater tuus et ego ...* quaerebamus te ». Non est haec locutio usu recepta: Matris enim Iesu voces omnem declarant incarnationis veritatem quae ad Familiae Nazarethanae mysterium spectat. Qui iam ab initio *per « oboeditionem fidei » accepit* suam erga Iesum paternitatem, *Iosephus* Sancti Spiritus secutus lumen, quod homini tribuitur per fidem, sine dubio plus plusque *ineffabile huius suae paternitatis donum* reserabat.

IV

LABOR AMORIS TESTIFICATIO

22. *Huius amoris intra Familiae Nazarethanae vitam cotidiana comprobatio est opus ipsum.* Circumscribit evangelica narratio operis sive laboris genus, quo nitebatur Iosephus suae Familiae alimenta praebere: opus est *f abri lignarii.* Totum vitae Iosephi ambitum complectitur simplex hic titulus. Hi anni sunt vitae absconditae Iesu de quibus evangelista post eventum in templo edisserit : « Et descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis » *(Lc* 2, 51). Quae sane « subditio », Iesu videlicet oboedientia in Nazarethana domo, etiam *uti communicatio operis Iosephi intellegitur.* Qui namque « fabri filius » nominatus erat, sui putativi *patris* didicerat

opus. Si autem in salutis sanctitatisque ordine Nazarethana Familia species exstat et humanarum familiarum exemplar, consimili certe modo taliter exsistit *etiam Iesu labor iuxta fabrum Iosephum.* Nostra quidem aetate hanc partem Ecclesia extulit liturgica quoque celebratione Sancti Iosephi Opificis Kalendis Maiis. *Labor humanus* ac singillatim manuum opus *in Evangelio vim particularem invenit.* In mysterium incarnationis una cum Filii Dei natura humana susceptum etiam illud est pariterque *modo peculiari redemptum.* Ex mensa igitur opificinae suae, ubi cum Iesu opus factitabat suum Iosephus, hominum laborem ad redemptionis arcanum propius adduxit.

23. Cum hominum ritu Iesus cresceret « sapientia et aetate et gratia », partes in ipso praestantes agebat *operositatis virtus,* quandoquidem « est... labor hominis bonum » quod « mutat naturam » sicque per illud « quodammodo magis homo evadit » *

Pondus ipsum laboris in hominis vita postulat ut eius perspiciantur ac suscipiantur elementa unde « omnes homines adiuvet ut per ipsius viam appropinquent Deo Creatori ac Redemptori, ut salvifica eius consilia de homine mundoque communicent et ut sua in vita altius perspiciant et excolant amicitiam cum Christo, participantes vivo modo per fidem triplex ipsius munus: Sacerdotis, Prophetae, Regis».[35]

24. Denique tandem de cotidianae agitur sanctificatione vitae, quam quisque suam secundum condicionem assequi debet et quae ad exemplum omnibus patens promoveri potest : « Humilium est Iosephus exemplar, quos christiana fides sublimes

[34] **Litt. Enc. *Laborem exercens* (14 Septembris 1981), 9: *AAS* 73 (1981), 599 s.**

[35] ***Ibid.,* 24: *I. c,* 638. Hac recentiore aetate Summi Pontifices assidue S. Ioseph tamquam operariorum opificumque «exemplum» exhibuerunt; cf., v.g., LEO XIII, Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *I.* c.,. 180; BENEDICTUS XV, Motu proprio *Bonum sane* (25 Iulii 1920): *I. c,* 314-316; Pius XII, *Alloc.* (11 Martii 1945), 4: *AAS* 37 (1945), 72; *Alloc.* (1 Maii 1955): *AAS* 47 (1955), 406; IOANNES XXIII, in Nuntio radiophonia), it. *Radiomessaggio* (1 Maii 1960): *AAS* 52 (1960), 398.**

ad fines provehit; ... documentum hoc est: non posci « res magnas », ut homines boni sint verique Christi sectatores, sed peti tantummodo communes humanas simplices virtutes, at solidas et germanas *n.*[36]

V

INTERIORIS VITAE PRINCIPATUS

25. Adiuncta eadem silentii super lignarii f abri opus apud Nazarethanum domicilium protenduntur quae reliquas res omnes Iosephi figuram afficientes comitantur. *Silentium vero est quod eiusdem personae huius interiorem recludit insigniter naturam.* De eo solo narrant Evangelia quod « fecit iosephus ; sinunt tamen eius in « factis » silentio involutis *altae contemplationis* statum deprehendere. Cotidiano quodam consortio versabatur Iosephus cum mysterio « abscondito a saeculis » quod « habitavit » illius sub tecto. Hinc verbi gratia explicatur quare Sancta Teresia a Iesu, insignis Carmeli contemplativi novatrix, sese vindicem praestiterit inter occidentalis orbis christianos redintegrandi Sancti Iosephi cultus.

26. Sacrificium universale illud totius vitae, quod obtulit Iosephus ipsis postulatis adventus Messiae propriam in domum consentaneam reperit rationem « in ipsius interiore vita impenetrabili, unde emergunt mandata ei ac solacia prorsus singularia et afferuntur etiam illi logica vis ac virtus, animorum simplicium limpidorumque propria, magnis in capiendis consiliis, quale fuit propositum illud statim voluntati divinae tradendi libertatem propriam legitimamque vocationem humanam et conubialem ipsam felicitatem, cum statum et officium et onus familiae reciperet atque ex incomparabili amore virginali reiceret coniugalem naturae amorem qui efficit eam et enutrit ».[37]

[36] PAULUS VI, *Alloc.* (19 Martii 1969): *Insegnamenti,* VII (1969), 1268.
[37] *Ibid. : I. c,* 1267.

Haec Deo ipsi subiectio, quae prompta voluntas est se illis rebus dedendi quae servitutem illius respiciunt, nihil est aliud nisi *devotionis exercitatio* quae unum efficit religionis virtutis documentorum.[38]

27. Vitae inter Iosephum et Iesum communitas huc nos aequabiliter adducit ut incarnationis arcanum sub ratione omnino contemplemur Christi humanitatis quae divini fuit Numinis instrumentum in hominum sanctificationem : « Actiones ipsius ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferae, utpote gratiam in nobis causantes, et per meritum et per efficientiam quandam ».[39]

Eas autem inter actiones evangelistae praecipuo quodam iure donant actus ad paschale attinentes mysterium; verum haud omittunt momentum efferre tactus ipsius physici cum Iesu in sanationibus (cf., exempli causa, *Me* 1, 41) atque impulsum ab eo adhibitum ad Ioannem Baptistam, cum in utero uterque matris adhuc iaceret » (cf. *Lc* 1, 41-44).

Quem ad modum iam est superius visum, apostolica testificatio narrationem ortus Iesu minime praetermisit nec circumcisionis, in templo praesentationis, in Aegyptum fugae et vitae Iesu in Nazareth abditae propter ipsum gratiae « mysterium » talibus in rebus « gestis » salvificis omnibus repositum, cum eiusdem participes essent amoris originis, quae est Christi divinitas. Si illius per humanitatem amor hic diffusus universos est in homines, eo certe in primis fruebantur illi quos divina voluntas in eius artissima intimitate posuerat: dulcissima nempe ipsius mater Maria ac putativus pater Iosephus.[40]

Cum « paternus » Iosephi amor non potuerit « filialem » non afficere Iesu amorem atque ex contrario Iesu « filialis » dilectio haud valuerit Iosephi non permovere « paternam » dilectionem, cur in abditissimos huius unicae prorsus necessitudinis reces-

[38] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II", q. S2, a. 3, ad 2.

[39] *Ibid.,* q. 8, a. 1, ad 1.

[40] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Hauriens aquas* (15 Maii 1956), III: *AAS* 48 (1956), 329 s.

sus ingredi non licet? Non sine causa percipiunt hominum animi impulsionibus divini amoris maxime intenti luculentum in Iosepho interioris vitae exemplar.

Praeterea apparens quaedam contentio inter actuosam et umbratilem vitam in eo denique solutionem seu victoriam optimam attingit, quae ei contingere potest cui caritatis est perfectio. Discrimen nos pernotum persequentes, quod prae se ferunt *caritas veritatis* hinc et illinc *necessitas caritatis*[41] asseverare iure possumus tum *veritatis caritatem* expertum esse Iosephum, purum videlicet contemplationis amorem divinae Veritatis ex Christi humanitate r ducentis, tum *caritatis necessitatem,* amorem scilicet item ministerii purum quod tuitio ac progressio deposcebat eiusdem illius humanitatis.

VI

ECCLESIAE PATRONUS TEMPORIS NOSTRI

28. Difficilibus quidem Ecclesiae temporibus cum Pontifex Romanus Pius IX cuperet praesidio eam peculiari patriarchae sancti Iosephi concredere, ipsum illum « Catholicae Ecclesiae Patronum » declaravit.[42] Sciebat profecto se idem Pontifex non actum complere alienum, quia ob dignitatem sublimem huic fidelissime servo a Deo collatam « semper Beatissimum Iosephum post Deiparam Virginem eius Sponsam Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est, eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit ».[43]

Quae vero ipsae sunt huius fiduciae tantae rationes? Leo XIII Pontifex persequitur eas hunc in modum : « Cur beatus Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur,

[41] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II", q. 182, a. 1, ad 3.

[42] SACBOR. RITUUM CONGREG., Decr. *Quemadmodum Deus* (8 Decembris 1870): *l.* c, 283.

[43] *Ibid.* : *l. c,* 282 s.

causae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi (...). Officia sponte sequebantur ... ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis (...). Est igitur consentaneum, et beato Iosepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat ».[44]

29. Quod quidem etiamnum patrocinium est advocandum etiamque nunc Ecclesiae necessarium est non ad defensionem modo exorientia adversus pericula verum ac potissimum ad renovatum illud firmandum propositum evangelizationis in mundo novaeque aequaliter evangelizationis illas inter regiones necnon nationes in quibus — perinde ac scripsimus Nos in Adhortatione Apostolica Nostra cui *Christifideles laici* titulus — « anteacto tempore religio et vita christiana florebant, ... nunc rebus adversis premuntur ».[45] Primus igitur ut Christi nuntius afferatur aut ut illuc referatur, ubi neglegitur oblivioneve exstinguitur, opus quidem Ecclesiae est peculiari « virtute ex alto » (cf. *Lc* 24, 49; *Aet* 1, 8) Spiritus Domini nimirum munere, a quo haud aliena est ipsius Sanctorum deprecatio atque imitatio similiter.

30. Praeter certam ideo eius tutelam confidit item Ecclesia perinsigni Iosephi exemplo, quod nempe singulos excedit vitae status omnique proponitur christianae communitati, quaecumque in illa condicio est et quaecumque christifidelis cuiusque sunt munera.

Sicut in Constitutione dogmatica Concilii Vaticani II de Divina Revelatione praecipitur, ita denique tota se gerere debet Ecclesia, ut aliquis « Dei Verbum religiose audiens »,[46] id est

[44] LEO XIII, Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *I. c,* 177-179.

[45] Adhort. Apost, post-synod. *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 34: *AAS* 81 (1989), 456.

[46] Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 1.

prompta prorsus ac parata ad fideliter obsequendum salvificae Dei voluntati in Iesu reclusae. Iam ergo ad redemptionis humanae initia ipsa quasi concorporatum deprehendimus oboedientiae exemplar post Mariam proprie in Iosepho, illo nominatim qui fideli mandatorum Dei antecellit exsecutione.

Iosephi ut patrocinium invocaretur, Pontifex Paulus VI hortatus est, « quem ad modum recentioribus hisce temporibus facere consuevit Ecclesia, ante omnia pro se ipsa, pro voluntaria deliberatione theologica de actionis divinae coniugio cum humana actione in immenso redemptionis consilio, ubi actio prima, scilicet divina, ex sese tota sufficit, at secunda, nempe humana, licet non possit ex se agere quidquam (cf. *Io* 15, 5), numquam tamen ex humili eximitur sed condicionali nobilitantique adiutorio. Ecclesia eum vindicem compellat ex alto vivissimoque desiderio vitam suam perennem quasi iterum viridissimam reddendi veris virtutibus evangelicis quae in Sancto Iosepho coruscant».[47]

31. Has porro necessitates omnes convertit Ecclesia in precationem. Illud prae oculis defigens, quod Deus nempe « humanae salutis ... primordia beati Ioseph fideli custodiae » commisit, ab eo idcirco petit sibi ut concedat fideliter operari coniuncte cum salutis consilio sibique pariter tribuat eandem illam fidelitatem animique integritatem qua movebatur Iosephus Verbo Incarnato inserviens, ut secundum Sancti huius mores precesque coram Deo in viis ambulet sanctimoniae atque iustitiae.[48]

Incitavit nominis catholici fideles abhinc centum iam annos Leo XIII ut ad Sancti Iosephi universae Ecclesiae patroni tutelam impetrandam preces funderet. Quapropter Epistula Encyclica *Quamquam pluries* appellata illum commemoravit « paternum ... amorem », quo Iosephus « Puerum Iesum am-

[47] PAULUS VI, *Alloc.* (19 Martii 1969): *Insegnamenti,* VII (1969), 1269.

[48] Cf. *Missale Romanum, Collecta; Super oblata* in « Sollemnitate S. Ioseph Sponsi B.M.V.»; *Post comm.* in «Missa votiva S. Ioseph».

plexus » est ipsique, quem exclamatione invocavit « O Custos providentissime divinae Familiae », « hereditatem, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo » concredidit. Quo ex tempore — ut exordientes Nos meminimus — *Sancti Iosephi praesidium efflagitat Ecclesia* « per eam, quae [illum] cum immaculata Virgine Dei Genitrice coniunxit, caritatem », cui cunctos suos item commendat angores ob minas quoque omni hominum familiae impendentes.

Complures vel etiam *hodie causae* nobis sunt *ut eodem prorsus precemur modo* : « Prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem ... ; in hoc cum potestate tenebrarum certamine e caelo adesto ; et sicut olim Puerum Iesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende ».[49] *Hodierno* adhuc tempore *rationes perpetuas* habemus *cur quemque hominem Sancto Iosepho committamus.*

32. Valde quidem haec Nostra personae Iosephi commemoratio exoptamus ut in nobis quoque precationis impulsiones renovet quae Decessor Noster suasit ut ad illum attolleretur. Hanc enim precem patet *ftguramque* ipsam *Iosephi dierum nostrorum Ecclesiae praesentem afferre utilitatem,* prospecto videlicet novi Millennii christiani exordio.

Rursus sane Concilium Vaticanum II omnes effecit multo magis conscios « magnalium Dei », *illius nempe « salutis oeconomiae* » cuius fuit Iosephus minister praecipuus. Tutelae igitur eius nos tradamus quem ipse Deus « principalium ... thesaurorum suorum custodem elegit »[50] *eodemque tempore ab eo famulari discamus « oeconomiae salutis* ». Utinam fiat

[49] Cf. LEO XIII, «Oratio ad Sanctum Iosephum», quae proxime sequitur textum ipsius Epist. Enc. *Quamquam pluries* (15 Augusti 1889): *Leonis XIII P. M. Acta,* IX (1890), 183.

[50] SACROR. RIIUUM CONGREG., Decr. *Quemadmodum Deus* (8 Decembris 1870): *I. c,* 282.

universis Sanctus Iosephus magister singularis hoc in opere *muneri* serviendi *salutifero Christi* quod pertinet in Ecclesia ad singulos cunctosque: ad coniuges et parentes, ad homines manuum suarum labore viventes aut alio quolibet opere, ad personas in contemplativam vocatas vitam sicut et in apostolatum !

Qui totum in se patrimonium gerebat Foederis Antiqui, *vir iustus ad « primordia » aequabiliter novi in Christo Iesu aeternique Foederis est inductus.* Commonstret ideo ipse vias nobis huius salutiferi Foederis iam ad proximi Millennii limen, ubi idem Foedus oportet persistat atque ulterius proficiat « plenitudo temporis » ea quae arcani inefïabilis propria est Verbi incarnationis.

Ecclesiae tandem orbique omni impetret Iosephus Sanctus, perinde ac singulis nobis, Patris et Filii et Spiritus Sancti benedictionem.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Augusti, sollemnitate in Assumptione Mariae Sanctissimae, anno **MCMLXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

IOANNES PAULUS PP. II

SACRA CONSISTORIA

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die XX **mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum* cuius acta ex ordine referuntur :**

I • SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO

Precatione « Adsumus » recitata, ad Patres cardinales sanctae Romanae Ecclesiae Ss.mus D.nus Ioannes Paulus II hanc allocutionem habuit :

In Aula hac ipsa adsistentes vos, Venerabiles Fratres, maximo ego cum gaudio conspicio et consaluto, nec minore quidem animi studio gratias habeo singulis vobis, quod tempus eripientes aliis e vestris cotidianis negotiis huc hodie mane convenistis, ut Pontifici Romano revera auxiliemini tum consilio et consensu vestro tum etiam solido iudicio et motu, in re videlicet non minimi ponderis pro Ecclesia universa atque docendi auctoritate eiusdem Episcopi Romani.

Nostrum enim hoc tempore est postremam ferre communiter sententiam ac decernere graviter de ipsa canonizatione alicuius caelitis Beati, cuius causam scio iam vos penitus cognovisse et expendisse: nempe Muciani Mariae, in saeculo Aloysii Iosephi Wiaux — religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum. Quoniam hic nominatim agitur de falli nescia potestate Ecclesiae in edicendis Regni Dei Sanctis, idcirco opus in primis esse sentio declaratione mentis vestrae aperta de dignitate comprobata certaque opportunitate extremi huius honoris, quem diu iam Ecclesia Mater eidem Beato addere cupit, de cuius vitae moribus rebusque gestis mox breviter a venerabili fratre Nostro Praefecto Congregationis de Causis Sanctorum edisseretur.

Data vero occasione hac, de quibusdam Ecclesiis per orbem capta consilia et provisio ipsa diligenter renuntiabuntur vobis. Adsit nobis — ita profecto precamur ex animo — Ecclesiae suae Christus redemptor, quam Petri beatissimi fundamento inniti voluit; adstent nobis una hic congregatis ipsi sancti Petrus et Paulus, quorum nuperrime meminimus pio affectu religionisque cultu in dedicatione eorum Romae basilicarum; adsistat denique beatus ipse Mucianus Maria Wiaux caelitus hodie nobis qui consiliamur graviter de suprema ipsi tribuenda corona ad maiorem sane Dei miserentis honorem totiusque Ecclesiae utilitatem maximam.

II - NUNTIUS ECCLESIARUM QUAE IAM CONCREDITAE SUNT

Postea Summus Pontifex certiores fecit S. R. E. Cardinales post proxime celebratum sacrum Consistorium centum octoginta quattuor Ecclesiarum sacros Pastores a se per Apostolicas sub plumbo Litteras nominatos fuisse, videlicet :

Metropolitanarum quindecim, quos inter :
***Tyrnaviensem,* Ioannem Sokol ;**
***Baltimorensem,* Villelmum Keeler ;**
***Anconitanum-Auximanum,* Dyonisium Tettamanzi ;**
***Kupangensem,* Gregorium Monteiro.**

Archiepiscopalem titularium quattuor, quos inter :
***Heracleensem,* Iosephum Kowalczyk ;**
***By~bliensem,* Edmundum Farhat.**

Episcopalium residentialium septuaginta novem, quos inter :
***Tellicherriensem,* Georgium Valiamattan ;**
***Patavinum,* Antonium Mattiazzo ;**
***Bathurstensem in Canada,* Andream Richard ;**
***Constantiensem,* Iacobum Fihey ;**
***Berolinensem,* Georgium Sterzinsky.**

Episcopalium titularium viginti quinque, quos inter :
***Praecausensem,* Iosephum Wysqcki ;**
***Girensem,* Iulianum Garsia Centeno ;**
***Plovacensem,* Sebastianum Roque Rabelo Mendes ;**
***Oëensem,* Michaelem Dubost.**

Praelaturarum territorialium tres, quos inter :
Sinuensem Superiorem, Fabium Calle Zapata.

Demum Summus Pontifex assensum dedit :
Electioni canonice factae in Synodo Episcoporum *Maronitarum:*
Venerabilis fratris Hamid Antonii Mourany, ad archiepiscopalem Ecclesiam *Damascenam Maronitarum;*
Venerabilis fratris Iosephi Dargham, ad cathedralem Ecclesiam *Cahirensem Maronitarum.*

HI - RELATIO CAUSARUM

Rev.mus Angelus card. Felici, Diaconus Ss. Blasii et Caroli ad Catinarios, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, sermonem habuit de vita et miraculis beati Muciani Mariae Wiaux, et acta recensuit quae in causa canonizationis eiusdem servi Dei eadem Congregatio admittenda et approbanda putavit.

Relatione expleta, beatissimus Pater rev.morum Cardinalium sententiam de proposita canonizatione exquisivit.

CONSISTORIUM UNICUM

Consistorio secreto absoluto, vocatis praesentibusque in eadem Aula sacris Praesulibus, abbatibus *nullius,* necnon Romanae Curiae Praelatis, quibus solet intimari, statim initium habuit *Consistorium unicum:*

PERORATO) CAUSAE CANONIZATIONIS

Ex advocatis sanctae Sedis seu consistorii unus, pro canonizatione beati de more institit.

Cui viro beatissimus Pater per praelatum quemdam Secretariae Status sic respondit :

Responsum ut publicum rèddam ipsi postulationi nunc modo exhibitae, mihi pro munere proprio praecipitur. Quapropter nuntio in primis valde quidem beatissimum Patrem gestire et cupere in Sanctorum numerum referendum brevi tempore curare eundem Beatum, quippe cuius virtutes christianas ac religiosae ipsius professionis omnino proprias iam pridem cognoverit atque utilissimas esse iudicaverit ad excitandam aliorum docentium et religiosorum imitationem praesertim in re scholastica versantium.

Innumerabiles enim fere annos humili opere tacitoque ministerio Beatus idem consumpsit in vocatione sua uti Frater Scholarum Christianarum diligenter implenda. Nec dici poterit umquam quot homines ad Christi laetificum nuntium ipse adduxerit alacritate sua oboediendi, sua perseverantia precandi, voluntate perpetua serviendi inter non parvas nec paucas difficultates et oppugnationes. Virginem porro Mariam sibi maximam semper adiutricem habuit praesentem neque intermisit umquam familiariter cum Deo colloquendi consuetudinem.

Scholam igitur Christianam suo exemplo pientissimo illustravit ac quodam quasi artificis modo conformavit. Ipse itaque beatus Mucianus Maria tacitus plerumque, at scriptis etiam vocibus, hortatur ut totis viribus omnes docentes tum Ecclesiam diligant suamque vocationem magni aestiment, tum iuvenes praesertim peculiari Christi ipsius amore suscipiant atque exemplo potius quam verbo in viis dirigant veritatis aeternaeque salutis.

Quantumvis autem festinet Summus Pontifex hunc caelitem Beatum in Sanctorum tandem album inscribere, nihilominus, ut in tantae gravitatis causa serventur omnia de more servanda, non suam scilicet est prius sententiam pronuntiaturus quam ii omnes, quorum iure id refert, mentem quisque reseraverint suam.

Ad cardinales et praesules Ss.mus allocutionem ad vota pro canonizatione exquirenda sic habuit :

Quemadmodum res postulat, intento animo perpendimus ea, quae ad illustrandas et comprobandas causas sunt allata.

Verumtamen, ut nostro nomine significatum est, rei gravitas suadet, ut mentem vestram cognoscamus, antequam decretoriam sententiam nostram edicamus.

Quapropter vos oramus, ut, ad gloriam Dei et utilitatem animarum spectantes, circa allatas causas suffragia vestra feratis.

Tunc singuli, servato suo cuiusque ordine, sententiam aperuerunt. Exceptis congregatorum patrum suffragiis, Summus Pontifex haec addidit verba :

Vehementer sane gaudemus, quod vos concordibus suffragiis postulavistis, ut huic Beato Sanctorum Caelitum honores

tribuantur; id enim flagrantissimis etiam Nostris votis respondet.

Nihil igitur est, cur a peritorum iudiciis atque e membrorum Congregationis de Causis Sanctorum sententiis discedamus, quae multis ac gravibus argumentis innituntur.

Quare, nulla mora, iam nunc hunc Beatum summis sanctitudinis honoribus dignum iudicantes, eum inter Sanctos annumerandum esse decernimus; quod, iuvante Deo, sollemni ritu faciemus, die decima mensis Decembris advenientis.

Interea, autem, vos omnes hortamur ut Deo preces sine intermissione adhibeatis, ut consilia nostra Ecclesiae sanctae prosint atque christianae vitae afferant incrementum.

Statim ac Ss.mus eloquio suo finem imposuit, Magistro celebrationum domini Papae rogante, adstantibus Protonotariis Apostolicis ut iuridica instrumenta de omnibus supra recensitis conficerent, de more mandatum est.

Deinde, benedictione a Summo Pontifice impertita, Consistorium est absolutum.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

NOVOLAREDENSIS

Quibusdam ab archidioecesi Monterreyensi et a dioecesi Matamorensi distractis territoriis nova constituitur dioecesis Novolaredensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo facilius fructuosiusque evangelica veritas disseminetur in Reipublicae Mexicanae civilibus regionibus, lingua patria *Nuevo León* et *Taumalipas* appellatis, Adolfus Suárez Rivera, Archiepiscopus Monterreyensis, et Saba Magaña García, Episcopus Matamorensis, audita Conferentia Episcopali Mexicana, ab Apostolica Sede postulaverunt ut, e suis ecclesiasticis circumscriptionibus amplis abstractis territoriis, nova constituatur dioecesis. Nos igitur, bono consulentes anima-

rum, audita sententia Venerabilis Fratris Hieronymi Prigione, Archiepiscopi titularis Lauriacensis et in Mexicana Republica Delegati Apostolici, consultisque Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus necnon Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis negotiis gerendis Congregationis pro Episcopis praepositis, precibus concessimus. Hinc, suppleto consensu eorum quorum intererat, vel eorum qui sua interesse putabant, haec decrevimus quae sequuntur. Ab archidioecesi Monterreyensi territoria civilium municipiorum separamus, quae vocantur *Anahuac, N. L., Bustamante, N. L., Lampazos, N. L., Paras, N. L., Sabinas Hidalgo, N. L., Vallecillo, N. L., Villaldama, N. L.;* a dioecesi autem Matamorensi territoria seiungimus civilium municipiorum, quae nominantur *Nuevo Laredo, Tamps, Miguel Alemán, Tamps, Mier, Tamps, Guerrero, Tamps,* et ex ista distractis territoriis novam condimus dioecesim *Novolaredensem* appellandam, iisdem circumscriptam finibus, quibus memorata municipia, simul sumpta, in praesenti terminantur. Huius dioecesis sedem in urbe collocamus sermone domestico *Nuevo Laredo* dicta, cuius paroeciale templum Spiritui Sancto dicatum ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus, cum ceteris eiusmodi Ecclesiis per omnia adaequatae, cuiusque Praesulem Ordinarium pro tempore cum ceteris Episcopis residentialibus aequiparamus. Novam dioecesim constituimus Ecclesiae metropolitanae Monterreyensis sufiraganeam, eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Monterreyensis pro tempore subicimus. Volumus dein Collegium Consultorum institui, quod sit auxilio Praesuli, et huius dignae congruaeque sustentationi prospici Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C. facienda, bonorum quae hucusque ad mensas episcopales (usitate Mitras appellatas) Monterreyensem et Matamorensem pertinuerunt. Quod ad seminarium statuendum et sacrorum alumnorum formationem spectat, praeter normas a Congregatione pro Institutione Catholica editas, ius commune servetur. Quidam denique alumni et sacerdotes, ii philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi, hi in disciplinas altius incubituri, Romam mittantur ad Pontificium Collegium Mexicanum. Quantum ad reliqua, quae sacri canones praescribunt de rebus dioeceses contingentibus, iidem prorsus canones serventur. Novolaredensis dioecesis creatione ad finem adducta, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur, in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium ; ceteri autem sacerdotes et seminarii tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent

domicilium. Acta insuper et documenta constitutae dioecesis Curiae Monterreyensis et Matamorensis ad eandem transmittant. Haec omnia faciendi munus legamus Venerabili Fratri Hieronymo Prigione, necessariis eidem et opportunis factis facultatibus etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum exemplar mittendi actus confectae exsecutionis. Quae denique his Litteris praescripsimus, nunc firma esse volumus et in posterum.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

SB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco Si Plumbi
In Secret. Status tab., n. 250.522.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

In dioecesi Cerretana-Thelesina-Sanctae Agathae Gothorum templum B. M. V. in caelum Assumptae et Sancto Philippo Neri dicatum titulo exornatur ac dignitate Basilicae Minoris.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Pro explorato habemus in oppido vulgo « Guardia Sanframondi » intra fines dioecesis Cerretanae-Thelesinae-Sanctae Agathae Gothorum templum Beatae Virginis Mariae in caelum Assumptae necnon Sancti Philippi Neri sacrum, quod usque ab anno MCDLV ibi exstat, certa quadam honestandum esse laude. Cum paroeciale id prius templum esset atque deinceps in sanctuarium Mariale conversum, anno denique MDCLV Confoederationi Oratorii S. Philippi Neri traditum est ab Alexandro VII, decessore Nostro; cumque super vetustioris ruinas ipsum post terrae motus annorum MCDLXV et MDCLXXXVIII rursus aedificatum aut in pristinum restitutum esse con-

staret, de nova e contra consecratione dubitaretur, postremum idcirco consecratum est anno MCMLXXXVIII. Quod pluris tamen est, ecclesialem utique sollicitudinem omnemque curam spectantes Reverendorum sodalium memorati Oratorii S. Philippi Neri, animo libenter flngimus publicum in praesenti incrementum eiusmodi sacrae aedis et ad christianam fidem alendam et ad pietatem erga caelicam Christifidelium Matrem tuendam haud parum conferre posse. Hac potissimum de causa Nos, qui audiendas esse censemus preces huic Sanctae Sedi nuper, una cum votis etiam cleri populique illius foci ad idem propensi, a Venerabili Fratre Leonardo Felice, Episcopo Cerretano-Thelesino-Sanctae Agathae Gothorum, adhibitas, ut clarum templum illud titulo Basilicae Minoris rite decoretur, hodie ex sententia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam probatam ratam facimus, Nostraque ex Apostolica potestate et harum Litterarum virtute quod diximus templum vetustum insigneque sanctuarium B.M.V, in caelum Assumptae Sanctoque Philippo Neri dicatum ad gradum honoremque Basilicae Minoris, et quidem perpetuum in modum, evehimus, omnibus eidem traditis iuribus et privilegiis ad reliquas eiusdem ordinis Basilicas pertinentibus, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgatum sunt iure servanda. Contrariis quibuslibet non obstantibus. Quas Nostras Litteras nunc et in posterum religiose observari volumus omnesque suos habere effectus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiii mensis Septembris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ÜB Sigilli
In Secret. Status tab., n. 245.753.

II

Beata Maria Virgo in caelum Assumpta dioecesis Bataënsis Patrona confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Fidelem populum, ad beatam patriam aeternamque sedem per terrestria profecto itinera peragrantem, superno muniri praesidio ac tutela, omnino doctrinae catholicae consentaneum est ac translaticiis eiusdem institutis. Quod vero praesidium quaeque tutela evadunt sane firmissima, si ipsa tuetur Beata

Virgo Maria. Idcirco cum christianus coetus dioecesis Bataënsis, sua motus pietate erga Caelestem Matrem sub titulo in caelum Assumptionis, Eandem Ecclesiae suae Patronam elegerint, ac Venerabilis Frater pariter Anacletus Sima Ngua supra memoratae Sedis sacrorum Antistes electionem probaverit, quam et a Nobis confirmari' postulaverit, Nos libentes quidem volentesque his precibus concedendum esse censuimus ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30. Quapropter prorsus comprobantes ea quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, Apostolica Nostra usi potestate Beatam Mariam Virginem in caelum Assumptam dioecesis Bataënsis confirmamus Patronam, iuribus additis et privilegiis, quae honorem hunc secundum rubricas consequuntur, contrariis rebus minime obstantibus. Postremum plurima prece optimam rogamus Matrem ut benignis oculis respicere velit Ipsa amatam hanc communitatem, quae tam fidenter in omnibus vitae casibus ad Ipsius decurrere consuevit patrocinium.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Octobris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 247.287.

III

Paroeciale templum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, quod in loco « Ouidah » intra fines metropolitanae Ecclesiae Cotonuensis exstat, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes Beninensis Nationis excellere novimus paroeciale templum Immaculatae Conceptioni Beatae Mariae Virginis in archidioecesis Cotonuensis loco « Ouidah » nuncupato dicatum, quod mirum arte ac pulchritudine non solum prisca habita est sedes, ex qua Christi Evangelium est diffusum in nonnullos quidem populos Africae ad occidentem spectantis, sed etiam hac nostra aetate notum exstat centrum Christianae vitae operumque pastoralium et caritatis necnon pietatis in Deiparam Virginem, quam

incolae eiusdem loci peculiari prosequuntur cultu tamquam suam Matrem, Magistram Augustamque Reginam. Qua re, cum Venerabilis Frater Christophorus Adimou, Archiepiscopus Metropolita Cotonuensis, nomine quoque Episcopi Coadiutoris, parochi ecclesiae clerique populique petiverit per litteras, die v mensis Maii hoc anno datas, ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae Nostrum signum tam dilectis filiis cupientes praebere, illius Pastoris precibus censemus libentes obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate harumque Litterarum virtute perpetuum in modum paroeciale templum, de quo mentionem fecimus, titulo atque dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus vero iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris)) die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, sunt servanda. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum volumus esse ratas, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

6& AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 248.45Ą.

EPISTULAE

I

Episcopis Poloniae missa: de secundo bello mundiali saec. XX.

LIST JEGO ŚWIĄTOBLIWOŚCI PAPIEŻA JANA PAWŁA II DO KONFERENCJI EPISKOPATU POLSKI NA 50-LECIE WYBUCHU II WOJNY ŚWIATOWEJ.

1. ((I tu orędzie nasze osiąga punkt szczytowy — mówił Papież Paweł VI do Zgromadzenia Narodów Zjednoczonych w dniu 4 października 1965 — ... oto słowa, których nie możemy wypowiedzieć bez uświadomienia sobie ich powagi i wzniosłości : ***nigdy więcej jedni przeciwko drugim, nigdy już nigdy ...*** **Nie trzeba długich przemówień dla wska-**

zania najwznioślejszego celu waszej instytucji. Wystarczy przypomnieć, że krew milionów ludzi, że bezsensowne masakry i straszliwe ruiny uprawomocniają pakt wiążący was przysięgą, która musi zmienić przyszłą historię świata : nigdy więcej wojny, nigdy więcej wojny ! To pokój, *pokój musi kierować losami narodów i całej ludzkości »* *(AAS* 57 [1965], 881).

2. W dniu *1 września 1989 r.* wspominamy 50 rocznicę wybuchu drugiej wojny światowej. Kiedy tego dnia w godzinach porannych *Polska została zaatakowana* od Zachodu, cały Naród był gotów odpowiedzieć na ten zbrojny najazd, podejmując wojnę w obronie śmiertelnie zagrożonej Ojczyzny.

Minęło wówczas niewiele więcej niż dwadzieścia lat od chwili, kiedy Polska odzyskała niepodległość i mogła znowu rozpocząć samodzielne życie jako suwerenne państwo. Ą chociaż w tym stosunkowo krótkim okresie państwo to natrafiało na wiele trudności zarówno zewnętrznych jak i wewnętrznych na drodze swego rozwoju, to jednak rozwój ten wyraźnie postępował. Dlatego też *zdecydowana była wola obrony Ojczyzny* nawet pomimo nierównych sił. Godny podziwu i wiecznej pamięci był ten bezprzykładny zryw całego społeczeństwa, a zwłaszcza młodego pokolenia Polaków w obronie Ojczyzny i jej istotnych wartości.

I ta wola obrony niepodległego Państwa towarzyszyła synom i córkom naszego Narodu nie tylko w okupowanym kraju, ale także na wszystkich frontach świata, na których Polacy walczyli o wolność własną i cudzą. Rozpoczęta bowiem w dniu 1 września *wojna rozszerzała się* na coraz dalsze kraje europejskie i pozaeuropejskie. Coraz nowe narody padały ofiarą hitlerowskiego najazdu, albo też znajdowały się w stanie radykalnego zagrożenia. *Naród polski* w tej wojnie, która była nieodzowną obroną Europy i jej cywilizacji wobec totalitarnej przemocy, *wywiązał się* w pełni — rzec można : w nadmiarze — *ze swoich zobowiązań alianckich,* płacąc najwyższą cenę za « wolność naszą i waszą ».

Świadczą o tym również straty poniesione. Były one ogromne, może proporcjonalnie większe niż -straty poniesione przez którekolwiek ze sprzymierzonych państw. Nade wszystko *straty w ludziach,* a równocześnie *ogromne zniszczenie kraju.* Straty ponoszone na Zachodzie i na Wschodzie, wiadomo bowiem, że 17 września 1939 *r.* Rzeczpospolita została zaatakowana również od Wschodu. Podpisane dawniej akty o nieagresji zostały złamane i przekreślone umową pomiędzy

hitlerowską Rzeszą Niemiecką a Związkiem Radzieckim z dnia *23 sierpnia 1939 r.* Umowa ta, która bywa określana jako « czwarty rozbiór Polski », wydawała równocześnie wyrok śmierci na sąsiadujące z Polską od północy Państwa bałtyckie.

Rozmiar strat poniesionych, a bardziej jeszcze *rozmiar cierpień zadanych* osobom, rodzinom, środowiskom, jest zaprawdę trudny do wyliczenia. Wiele faktów jest znanych, wiele pozostaje jeszcze do wyjaśnienia. Wojna toczyła się nie tylko na frontach, lecz jako *wojna totalna* uderzała ona w całe społeczeństwa. Deportowano całe środowiska. Tysiące osób stawały się ofiarą więzień, tortur i egzekucji. Ginęli ludzie pozostający poza zasięgiem działań wojennych jako ofiary bombardowań oraz systematycznego terroru, którego zorganizowanym środkiem były *koncentracyjne obozy pracy,* które zamieniały się w *obozy śmierci.* Szczególną zbrodnią drugiej wojny światowej pozostaje zbiorowa eksterminacja Żydów, przeznaczanych do komór gazowych z motywów samej tylko nienawiści rasowej.

Gdy to wszystko staje nam przed oczyma, nabierają pełnego pokrycia słowa Pawła VI na forum Narodów Zjednoczonych. Owszem, historyczna rzeczywistość II wojny światowej jest straszliwsza niż słowa, którymi można o niej mówić.

3. *Czy trzeba mówić f* Gdy upływa 50 lat od wybuchu tej wojny, żyje jeszcze pokolenie ludzi, którzy ją przeżyli i przecierpieli. Ale wyrosły już co najmniej dwa pokolenia, dla których jest ona tylko historią. Trzeba jednak, aby była zarazem przestrogą.

Narody Zjednoczone dały temu wyraz, uchwalając wkrótce po zakończeniu wojny *Kartę Praw Człowieka.* Wymowa tego dokumentu jest zasadnicza. Druga wojna światowa uświadomiła wszystkim nieznane przedtem rozmiary pogardy dla człowieka, pogwałcenie jego praw. Była szczególną mobilizacją nienawiści, depczącej człowieka i to, co ludzkie, w imię imperialistycznej ideologii.

Wielu zadawało sobie pytanie : *czy* po tych straszliwych doświadczeniach *możliwa jest jeszcze jakaś afirmacjaf* Przecież potworności tej wojny wyrosły na kontynencie, który chlubi się szczególnym rozkwitem kultury i cywilizacji, na kontynencie, który najdłużej pozostawał w zasięgu Ewangelii i Kościoła.

Zaprawdę, *trudno jest iść dalej mając za sobą tę straszliwą kalwarię ludzi i narodów.* Jeden pozostaje tylko punkt odniesienia : Chrystusowy

Krzyż na Golgocie, o którym Apostoł narodów powiedział : « tam, gdzie tak potężnie zaobfitował grzech, jeszcze bardziej zaobfitowała łaska » (por. *Rz* 5, 20).

Kierując się tą wiarą Kościół *stara się* wspólnie z ludźmi naszego stulecia, z narodami Europy i świata, *szukać dróg ku przyszłości.*

4. Szukanie tych dróg dotyczy wszystkich na kontynencie europejskim. Dotyczy w sposób szczególny Polski, która przed pięćdziesięciu laty pierwsza starała się zdecydowanie powiedzieć « nie » zbrojnej przemocy hitlerowskiego państwa — i pierwsza też za tę swoją determinację zapłaciła. Na wszystkich frontach, a także w podziemnej walce w okupowanym kraju, w Powstaniu Warszawskim, synowie i córki naszego Narodu dawali niezliczone dowody tego, jak cenna jest dla nich *sprawa niepodległości Ojczyzny.* Po zakończeniu tych straszliwych zmagań musieli stawiać sobie pytanie : czy decyzje, jakie podjęto na zakończenie tej wojny, respektują olbrzymi wkład ich wysiłków i poniesionych ofiar? Czy znajdując się w obozie zwycięzców, nie zostali potraktowani raczej jako zwyciężeni? Pytanie to stawało się coraz bardziej natarczywe. Coraz bardziej też domagało się podejmowania nowych zmagań. *'Nie ma* bowiem *prawdziwej suwerenności państwo, w którym społeczeństwo nie jest suwerenne* : gdy nie ma możności stanowienia 0 wspólnym dobru, gdy odmówione mu jest zasadnicze prawo uczestniczenia we władzy i odpowiedzialności.

Pius XII wytyczając zasady moralne, którymi powinienby się kierować świat po zakończeniu wojny, podkreślał z mocą, że « w dziedzinie nowego porządku opartego o zasady moralne, nie ma miejsca na naruszanie wolności, integralności i bezpieczeństwa innych narodów, jakakolwiek byłaby ich rozciągłość terytorialna, albo ich zdolność do obrony ».

Przechodząc do dziedziny ekonomicznej, Papież przypomniał « prawa narodów do ochrony ich rozwoju ekonomicznego, bo tylko w ten sposób będą mogły w całości osiągnąć dobro wspólne, dobrobyt materialny 1 duchowy własnego ludu » *(Przemówienie radiowe,* 24 grudnia 1941 : *AAS* 34 [1942], 16-17).

Trudno się oprzeć przeświadczeniu, że dziesięciolecia powojenne nie przyniosły owego wzrostu i postępu tak bardzo upragnionego przez Naród polski po wyniszczeniach drugiej wojny światowej i tak bardzo koniecznego dla Ojczyzny, ale raczej doprowadziły *do wielkiego kryzysu społeczno-ekonomicznego.* Do nowych strat, już nie na frontach walki

zbrojnej, ale na pokojowym froncie zmagania się o lepszą przyszłość Ojczyzny, o należne jej miejsce pośród narodów i państw Europy i świata.

5. Pozwolę sobie raz jeszcze powrócić do słów Pawła VI. Przytaczałem te słowa już dwukrotnie podczas moich odwiedzin w Polsce (2 czerwca 1979 i 17 czerwca 1983 r.). Powtarzam je raz jeszcze w kontekście dzisiejszego dnia. Mówi Papież : « *Polska dostatnia i szczęśliwa ...w interesie pokoju i dobrej współpracy między narodami Europy ».*

Słowa te są zwrócone do Polaków. Z całą pewnością *od Polaków zależy* w zasadniczej mierze to, czy Polska będzie ((dostatnia i szczęśliwa)) — czy będzie krajem wielkiego postępu — czy nadrobi zapóźnienie nie tylko ekonomiczne, które stało się gorzkim owocem systemu sprawującego władzę — czy odbuduje w milionach swych obywateli, zwłaszcza młodych, zaufanie do własnej przyszłości. To wszystko zależy od Polaków.

Ale słowa Pawła VI są skierowane również *do całej Europy: na Wschodzie i na Zachodzie.*

Nikt nie może zacierać śladów odpowiedzialności za czyny, które tak straszliwie zaciążyły nad dziejami naszego Narodu i innych narodów Europy.

Wspólna decyzja z sierpnia 1939 roku, podpis przedstawicieli niemieckiej Rzeszy i Związku Radzieckiego, skazujący na śmierć Polskę i inne państwa, nie był wydarzeniem bez precedensu. Powtórzyło się to, co zostało już raz zadekretowane między naszymi sąsiadami na Zachodzie i na Wschodzie przy końcu XVIII wieku. I co było podtrzymywane programowo aż do początków obecnego stulecia. Około połowy tego stulecia powtórzyła się *ta sama decyzja zniszczenia i eksterminacji.*

0 tym narody europejskie nie mogą zapominać. Zwłaszcza na tym kontynencie, o którym powiedziano, że jest ((Europą ojczyzn », nie można zapominać o *podstawowych prawach zarówno człowieka jak i narodu!*

1 trzeba budować taki układ sił, aby nigdy żadna przewaga ekonomiczna czy militarna nie pociągnęła za sobą niszczenia drugiego, zdeptania jego praw.

6. « Gzy świat zdoła kiedykolwiek zmienić samolubną i wojowniczą mentalność, która aż do tej pory kształtowała tak wielką część jego historii? » — pyta Paweł VI w przemówieniu do Organizacji Narodów Zjednoczonych. I odpowiada : « Trudno to przewidzieć, ale łatwo jest

logue au sein de votre peuple « pétri de traditions religieuses », pour reprendre vos propres termes. Je rends grâce à Dieu de l'harmonie des relations entre musulmans et chrétiens. En particulier, j'apprécie que la République du Niger se propose d'offrir un cadre juridique qui permettra à la communauté catholique de se développer et de poursuivre ses activités, dans le respect des croyances de tous.

Vous le savez, Monsieur l'Ambassadeur, les catholiques ne manquent pas d'apporter leur concours loyal à l'édification de la nation. Dans l'élan de leur foi, ils sont désireux de se joindre à l'ensemble des citoyens pour la réalisation d'une société en marche vers un idéal de progrès. Ils mettent le levain de l'Evangile là où ils vivent, s'efforçant de témoigner de leur amour fraternel, à l'image du Père Charles de Foucauld qui aimait tant les populations de votre région. C'est dans ce sens que veulent travailler les missionnaires, les religieux, les religieuses et les fidèles laïcs, en collaborant, à la mesure de leurs moyens, à ce qui peut promouvoir l'éducation, la santé et la culture.

Ma pensée se tourne maintenant vers tous les Nigériens et, en premier lieu, vers Son Excellence le Général Ali Saïbou, Chef de l'Etat. Je vous prie de lui transmettre les vœux fervents que je forme pour la prospérité du Niger ainsi que pour le bien-être physique et spirituel de tous ses habitants.

Quant à vous, Monsieur l'Ambassadeur, je suis heureux de vous présenter mes souhaits les meilleurs pour la réussite de votre haute mission. Soyez assuré que vous trouverez toujours ici l'attention comprehensi ve dont vous pourrez avoir besoin. En exprimant mon affection au peuple nigérien et en adressant mon salut déférent à ses dirigeants, j'appelle sur la nation entière l'aide de Dieu et l'abondance de ses bienfaits.

II

Ad eos qui plenario coetui Pontificii Consilii pro Familia interfuerunt coram admissos.*

Messieurs les Cardinaux,
Chers Frères dans Vépiscopat,
Chers amis,

1. Je suis heureux de vous accueillir ici, vous qui participez à l'Assemblée plénière du Conseil pontifical pour la Famille. Cette année, le thème de vos réflexions intéresse toutes les familles chrétiennes :

* Die 16 m. Iunii a. 1989.

((Réalité sacramentelle et pastorale des jeunes couples ». En effet, la première étape dans la vie d'un couple peut déterminer positivement son histoire tout entière. En cette période initiale de vie commune, les époux sont marqués non seulement par leur préparation au temps des fiançailles, mais par tous les aspects de la vie conjugale de même que par leur milieu social ou par les problèmes liés à la vie professionnelle. Il s'agit là de réalités normales qui peuvent ou bien favoriser ou bien mettre en difficulté cette vie qui est nouvelle, puisque les deux sont devenus « une seule chair ». Dans ce sens, l'exhortation apostolique *Familiaris consortio* a évoqué « les jeunes familles qui, se trouvant dans un contexte de nouvelles valeurs et de nouvelles responsabilités, sont plus exposées, spécialement dans les premières années du mariage, à d'éventuelles difficultés, comme celles qui proviennent de l'adaptation à la vie en commun ou de la naissance des enfants ».[1]

Le nouveau foyer a besoin d'être soutenu afin de pouvoir approfondir son union et affronter les difficultés dues à son environnement. Dans un projet de pastorale réaliste à l'égard des jeunes couples, il faudra tenir compte de certains phénomènes négatifs trop répandus comme « une conception théorique et pratique erronée de l'indépendance des conjoints entre eux (...), le nombre croissant des divorces, la plaie de l'avortement, le recours de plus en plus fréquent à la stérilisation, l'installation d'une mentalité vraiment et proprement contraceptive ».[2] La pastorale familiale tendra à aider les nouveaux époux et à les rendre capables de « réaliser la vérité du projet de Dieu sur le mariage et la famille »,[3] à leur faire découvrir le danger des propositions qui se présentent sous les apparences de la liberté, mais réduisent le bien des époux et de la famille aux dimensions d'un simple bien-être égoïste. « Dans l'action pastorale vis-à-vis des jeunes familles, l'Eglise devra aussi s'appliquer spécialement à les éduquer à vivre l'amour conjugal de façon responsable, en rapport avec ses exigences de communion et de service de la vie, et de même leur apprendre à concilier l'intimité de la vie de foyer avec la tâche généreuse qui incombe à tous d'édifier l'Eglise et la société humaine ».[4]

Pour cette fonction de formation et d'orientation, il est nécessaire que la pastorale offre un soutien amical et sûr aux nouvelles familles,

[1] *Familiaris consortio,* n. 69.
[2] *Ibid.,* n. 6.
[3] *Ibid.*
* *Ibid.,* n. 69.

en les aidant à surmonter les écueils qui se présentent chaque jour. Dans la communauté chrétienne, les jeunes couples sauront découvrir leur mission qui a sa source dans la nature et dans le dynamisme propres du mariage.[5]

2. Avant tout, on préparera les jeunes foyers à vivre la communion entre époux ouverte aux enfants et, plus largement, à leurs proches. L'amour qui a poussé les époux à l'alliance continue à vivifier leur communion. Toute la force de cohésion interne de la famille se fonde sur la communion interpersonnelle des époux. .C'est une communion naturelle qui, à travers le pacte conjugal, se réalise au niveau ontologique — « une seule chair » — et dont découlent des effets moraux et juridiques propres à la communauté matrimoniale. La loi de l'union conjugale ne limite pas la liberté personnelle, bien au contraire, elle protège et garantit une communication humaine plus profonde, ouverte à une fécondité spirituelle. La grâce du mariage pousse les époux chrétiens à imiter le Christ en donnant leur propre vie et à manifester devant les hommes leur participation à l'union du Christ et de son Eglise.[6]

La communion des personnes progresse continuellement à travers la fidélité quotidienne à un don total de l'un à l'autre. La connaissance mutuelle des qualités réelles et des limites inévitables de chacun éclaire le chemin des premières années du couple. Quand il construit sa vie commune de manière réaliste, jour après jour, il écarte les risques d'instabilité, il met en œuvre au quotidien l'engagement exprimé par le ((oui » du mariage. Dans la vie des jeunes couples, lorsque les défauts et même le péché font éprouver la déception et la souffrance, il faut trouver la force de changer, de se convertir et de pardonner. Ce sont des conditions nécessaires à la réussite et à la durée de la com^ munion familiale. Si le foyer est la première école de sociabilité, c'est parce que le mariage, l'union conjugale des époux, est « l'expression première de la communion des personnes ».[7] C'est de là que provient en fait l'influence des familles dans la construction de la société.

3. Un aspect évidemment important de la pastorale des jeunes couples est leur préparation au service de la vie, couronnement naturel de leur amour et de leur alliance conjugale. Pour cela, il est

[5] Cf. *ibid.,* n. 17.

[6] Cf. *Ep* 5, 21-33.

[7] *Gaudium et spes,* n. 12.

nécessaire que la pastorale familiale aille au-devant de ces jeunes couples pour les aider à réfléchir à cet aspect vital de leur mariage, qui pourrait être déprécié ou même occulté à cause des conditions contingentes de la société actuelle. La transmission de la vie et l'éducation des enfants ne s'inscrivent pas au compte de l'avoir, mais au compte de l'être des époux. Aujourd'hui, il n'est pas facile de dépasser une mentalité dominante peu favorable au don de la vie sans une aide amicale et proche qui conforte l'esprit et consolide la volonté de mettre en pratique les valeurs naturelles inscrites au plus profond de l'être humain. Il faut accueillir la grâce à travers la vie de prière et à travers la fréquentation des sacrements. Mais il n'est pas moins utile d'avoir l'appui de couples chrétiens qui transmettent aux nouvelles familles les critères d'examen et de solution des problèmes qui se posent normalement à toutes les familles. Nous avons là une forme d'apostolat des laïcs qui est tout spécialement nécessaire à notre époque. Un apostolat qui vise à conformer la vie d'un couple chrétien aux exigences naturelles et aux exigences révélées qui sont transmises et clarifiées par le magistère de l'Eglise.

4. Dans l'ordre naturel et clans l'ordre chrétien, les époux sont les premiers formateurs de leurs enfants. Il faut aider les jeunes familles à vivre ce service dans l'édification du peuple de Dieu et soutenir le dynamisme de tant de foyers qui prennent ainsi conscience de leur vocation chrétienne et de leur responsabilité ecclésiale concrète. Ils seront les premiers bénéficiaires de l'apostolat qui consiste à former leurs enfants, avant tout parce que éveiller à la foi chrétienne, cela suppose un approfondissement et une assimilation personnels des vérités doctrinales essentielles et cela favorise une vie familiale cohérente, vivifiée par les convictions de foi partagées entre parents et enfants.

L'exhortation apostolique *Christifideles laici* expose les responsabilités qui reviennent aux époux dans la vie et l'édification de l'Eglise. Il est important de souligner ici le rôle de la catéchèse familiale. Cette tâche des jeunes familles devrait faire partie intégrante de la mission des paroisses: car, d'une part, c'est un élément fondamental de l'apostolat et, d'autre part, la communauté paroissiale doit aider les parents chrétiens dans leur responsabilité d'ouvrir à la foi les enfants qu'ils ont mis au monde.

Les premières années du mariage forment l'étape durant laquelle la famille s'agrandit par la naissance des enfants. Elle les attend,

elle assure leur éducation, elle les assiste dans tous leurs besoins. Les enfants découvriront peu à peu dans leur propre famille comme un noyau qui, au milieu de la société, les favorise et les protège ou, au contraire, les conditionne et les met en difficulté. La société primordiale restreinte qu'est la famille et la société dans son ensemble constituent des pôles d'influence différents et complémentaires au cours de la formation des jeunes.

5. La famille chrétienne, comme toute famille humaine, joue un rôle irremplaçable dans la construction de la société. Elle ne peut rester indifférente aux réalités sociales, bien qu'il ne soit pas en son pouvoir de porter remède à tous les problèmes de la société. Il conviendra que la pastorale familiale invite les jeunes couples à prendre conscience de la dimension sociale de leur agir familial et les aide à repousser avec courage les facteurs de désagrégation, au nom des valeurs chrétiennes acquises au cours de leur formation et de leur préparation au mariage, valeurs lucidement réaffirmées dans l'expérience concrète de leurs premières années de vie conjugale.

De même, les premières difficultés entre les époux et avec leurs enfants seront mieux résolues si les valeurs familiales ont été intériorisées et donnent la force de refuser les égarements. La meilleure garantie pour consolider les valeurs chrétiennes des jeunes familles est toutefois de leur faire découvrir la portée apostolique de leur vie d'époux et de parents, en relation avec les autres familles qui s'apportent mutuellement leur soutien.

Pour résumer cela, on peut rappeler une affirmation de *Familiaris consortio* : la famille chrétienne est appelée à se mettre au service de l'Eglise et de la société dans son être et dans son agir, en tant que communauté intime de vie et d'amour.[8] Les liens de la chair et du sang, les liens de l'amour forment la base même de la société humaine. C'est cette même réalité que le sacrement de mariage sanctifie et fait participer au mystère fécond de l'union du Christ et de son Eglise.

6. Votre Conseil désire promouvoir auprès des familles une pastorale de réflexion et d'assimilation des valeurs exprimées par la doctrine de l'Eglise. Vous accomplissez là une tâche essentielle, vous mettant à l'écoute des interrogations, des difficultés, des réussites dont vous êtes témoins dans les diverses régions du monde auxquelles

[8] Cf. n. 50.

vous appartenez. La mise en commun de vos réflexions a la grande utilité d'aider à comprendre et à exprimer le sens fondamental et les exigences de la vie familiale. Vos échanges contribueront à donner à la pastorale familiale toute son ampleur, afin de transmettre l'expérience des diverses communautés qui est celle de l'Eglise même. Vos travaux soulignent la confiance de l'Eglise dans les familles pour qu'elles prennent leur part à sa mission, avec la richesse très diverse de leurs qualités et de leur générosité. Devant les difficultés du moment, loin de s'installer dans une attitude résignée et stérile, il faut que tous prennent les moyens possibles, humains et spirituels tout ensemble, pour faire résonner au cœur de l'homme l'harmonie que Dieu y a inscrite par l'acte créateur de son amour.

En vous assurant de ma prière pour les fruits de vos travaux, je vous souhaite la joie d'être les témoins généreux et attentifs de la sollicitude de l'Eglise pour les familles, et, de grand cœur, je vous donne ma Bénédiction Apostolique que j'étends à tous vos proches.

III

Ad exc.mam dominam Ioannam Del Vecchio Ugalde, Litoris Divitis Legatum.*

Excelencia :

Me es grato darle mi más cordial bienvenida en este acto de presentación de las cartas credenciales, que la acreditan como Embajador Extraordinario y Plenipotenciario de Costa Rica ante la Santa Sede.

Ante todo, deseo manifestarle mi reconocimiento por las sentidas palabras con que ha tenido a bien saludarme, pues me han permitido comprobar una vez más los nobles sentimientos de cercanía y adhesión a esta Sede Apostólica por parte de los ciudadanos de esa querida Nación. Deseo agradecerle igualmente el deferente saludo que me ha transmitido de parte del Señor Presidente de la República.

Vuestra Excelencia se ha referido a la vocación por la paz, que ha sido un valor distintivo de Costa Rica en su trayectoria democrática. Al respecto, no puedo dejar de recordar cómo su Gobierno —con una iniciativa de su Presidente, el Doctor Osear Arias Sánchez— tuvo un notable papel en el encuentro de Esquipulas II y posteriormente en el

* Die 22 m. Iunii a. 1989.

de Alajuela, y que se ha plasmado en un acuerdo firmado por los cinco Países centroamericanos, con vistas a forjar un destino de paz para esa Región.

La Santa Sede ha visto con gran interés este plan y sigue muy de cerca el proceso en curso, con el vivo anhelo de que se fomente el diálogo y se puedan superar los obstáculos que se oponen al verdadero progreso de aquellos pueblos, evitando siempre la tentación del recurso a cualquier forma de violencia.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Nimatullacii Kassab Al-Hardini, sacerdotis professi Ordinis Libanensis Maronitarum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. *m* S.

£& Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

III

MASSILIEN, SEU MECHLINIEN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servae Dei Mariae a Iesu (in saec.: Mariae Deluil-Martiny), Fundatricis Congregationis Filiarum a Corde Iesu (1841-1884).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Maria Deluil-Martiny nata est Massiliae, in Gallia, die 28 mensis Maii, anno 1841, parentibus nobili genere christianaque pietate claris. Circa religiosam suam vocationem se oppidum *Ars* contulit consilium petitura sancti parochi Ioannis Mariae Vianney. Divina deinde voluntate magis in dies cognita et suadente ipso conscientiae moderatore, novum Institutum condidit Sororum, quae ad culpas Deo illatas reparandas continua immolatione sese Offerent. Anno 1884, die 27 mense Februario, obdormivit in Domino, sanctitudinis fama exornata. Eam heroicas excoluisse christianas et religiosas virtutes Summus Pontifex Ioannes Paulus II f. reg. die 23 Octobris anni 1987 edixit.

Ut autem ipsa Venerabilis Beatorum Caelitum cumularetur honoribus, Causae actores miram quandam sanationem, divinitus patratam eadem Venerabili Serva Dei intercedente, Apostolicae Sedis ad cognoscendum obtulerunt. Qui quidem asserebant, exhibitis testimoniis documentisque, Sororem Mariam Raphaëlam a S. Corde (in saeculo appellatam Iulianam Callewaert), viginti quattuor annorum, in civitate Namurcensi, die 8 Novembris anni 1926, fere in instanti, perfecte ac stabiliter convaluisse ab « ulcera della prima porzione del duodeno, con vomito insistente, turbe della nutrizione e grave decadimento delle condizioni generali ».

Cum praeter naturae vires huiusmodi sanatio evenisse dicebatur, canonicus Processus apostolica auctoritate adornatus est in curia episcopali Namurcensi, a die 19 mensis Maii a. 1928 ad diem 23 Martii insequentis anni 1929, addita inquisitione in Urbe anno 1932 instructa; de harum inquisitionum legitima forma et vi haec de Causis Sanctorum Congregatio die 26 Februarii a. 1988 constare edixit.

Coadunato postmodum, die 9 mensis Novembris eodem anno, eiusdem Congregationis Consulta Medica, atque prolato affirmativo iudicio

de preternaturali praedictae sanationis indole, quaestio est subiecta theologorum studio, idque primum, die 7 mensis Martii anni huius decurrentis, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 6 Iunii subsequentis, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, in Palatio Apostolico Vaticano coadunata. Et in utroque Coetu, posito ad disceptandum dubio « *An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur* », omnes adfirmando responderunt.

Facta de praemissis omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, iussit ut Decretum super praefata mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo, Venerabili Serva Dei Maria a Iesu Deluil-Martiny, fundatrice Filiarum a Corde Iesu, intercedente, a Deo patrato, videlicet de rapidissima, perfecta et constanti sanatione Sororis Mariae Raphaelae Callewaert ab (.(.ulcera della prima porzione del duodeno, con vomito insistente, turbe della nutrizione e grave decadimento delle condizioni generali ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

NAMURCEN.

Canonizationis Beati Fratris Muciani Mariae (in saec.: Aloisii Iosephi Viaux), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (1841-1917).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, m eam et ad effectum de quo agitur.

Mucianus Maria Viaux, in baptismo vocatus Aloisius Iosephus ortum duxit in Belgico pago cui nomen *Mellet,* die 20 mensis Martii anni 1841. Religiosam vitam professus in Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, sodalibus suisque discipulis eorumque parentibus fuit per sexaginta amplius annos christianarum virtutum exemplar et palaestra, quas heroum in modum esse exercitas declaravit Paulus Papa VI anno 1970 eumque, miraculis clarum, in Beatorum Caelitum album die 30 Octobris anno 1977 rettulit.

Porro, ad sollemnem eiusdem Beati Canonizationem assequendam Causae actores miram quandam, quae asserebatur, sanationem, eodem Beato intercedente divinitus patratam, Apostolicae Sedi ad iuris normam cognoscendam, obtulerunt. Asserebant quippe iidem actores Fratrem Madis (in saeculo Franciscum Verstraelen), sodalem praefati Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, septimum supra septuagesimum annum agentem, die 22 Februarii anno 1977, statim perf ee teque convaluisse a gravi forma osteoporosis senilis, praesentibus multiplicibus ac repetitis fracturis gravique syndrome dolorosa atque gradiendi difficultate, edita quidem a medicis reservata quoad valetudinem prognosi.

Qua super asserta mira sanatione adornatus est mensibus Octobri et Decembri anno 1987, apud curiam episcopalem Namurcensem processus, cuius iuridicam formam et vim haec Congregatio de Causis Sanctorum die 20 mensis Maii a. 1988 confirmavit. In indolem autem eiusdem mirae sanationis et adiuncta Medicum collegium eiusdem Congregationis inquisivit et disceptavit, pro sua competentia, die 15 mensis Martii huius anni 1989. Cuius Collegii Sodales, omnibus diligenter perpensis, una voce asseruere agi de instantánea et perfecta clinica sanatione, extincta symptomatologia dolorifica et resti-

tuta deambulano! facultate relate ad aetatem, quod iuxta hodiernas artis medicae cognitiones haud explicari potest.

Quibus peractis, quaestio subiecta est iudicio huius Congregationis, et quidem primum, die 26 mensis Martii a. 19&9, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 4 Iulii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, ponente Em.mo ac Rev.mo Domino Opilio Rossi, ad Vaticanas Aedes coadunata. Porro, utraque in congregatione, posito dubio num de miraculo constaret in casu et ad effectum de quo agitur, omnes, cum Consultores Theologi tum Em.mi Patres Cardinales, adfirmando responderunt, agi scilicet de miraculo tertiae classis, seu quoad modum.

Facta demum de praemissis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata per subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, mandavit ut decretum de eadem sanatione conscriberetur, praemissa quidem, si et quatenus opus esset, dispensatione super praescripto Apostolicae Sedis circa tempus quo mira sanatio superius relata evenerit.

Quod cum rite esset factum, Beatissimus Pater, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Opilio Rossi, Causae Ponente, meque Antistite a Secretis huius Congregationis, ceterisque de more convocandis, eiusque astantibus, declaravit : *Constare de miraculo, Beato Mudano Maria Viaux deprecatore, a Deo patrato, videlicet de instantánea, perfecta et stabili sanatione clinica Fratris Madir Verstraelen, a gravi forma osteoporosis senilis, cum multiplicibus ac repetitis fracturis et ingenti syndrome dolorifico et amissa incedendi facultate.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in actis Congregationis de Causis Sanctorum referri iussit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

OVETEN.

DECRETUM

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Cyrilli Bertrandi et VII Sociorum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Innocentii ab Immaculata Conceptione Canoura Arnau, Sacerdotis professi Congregationis Passionis D.N.I.C, (f 1934).

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et de martyrii causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Martyres ideo vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt » (S. ISIDORUS HISPAL. EP., *Etymologiarum,* Lib. VII, c. XI, *PL* 82, 290).

Ad innumerabiles fidei testes praeteritorum saeculorum, huius saeculi martyres addendi sunt, persecutionum victimae, quae Ecclesiae numquam deerunt (cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* n. 42).

In catholica Hispania Ecclesiae condicio statim difficilis facta est republica die 14 mensis Aprilis anno 1931 renuntiata, ob notam quandam « laicismi », qui dicitur, et religioni contrariam, qua illa tum in rebus socialibus insigniebatur, tum in legibus quae ferebantur. Extremarum rerum studia anarchicorum-socialistarum et francomurariorum conspiraverunt ut Christianae religionis et Ecclesiae in Hispaniae historia vim delerent. Haec die 3 mensis Iunii anno 1933 Pius XI reprehendit per Litteras Encyclicas verbis incipientes *Dilectissimo Nobis,* simul ab omnibus Episcopis fidelibusque catholicis deprecationes exposcens.

Unus ex primis casibus verae contra Ecclesiam persecutionis eiusque instituta evenit in ea, quae appellata est « Asturiarum rerum perturbatio », quaeque seditio fuit popularium in imperia magistratusque reipublicae (diebus 5-14 mensis Octobris anno 1934). Huius persecutionis victimae sodales fuerunt Communitatis Fratrum Scholarum Christianarum, in oppido *Turón* sedem habentis, intra fines dioecesis Ovetensis, atque Sacerdos Congregationis Passionis Iesu Christi, qui ob ministerium apud eos erat.

Fratres Scholarum Christianarum, qui iam tam bene de populi educatione in Asturiis meruerant sex scholis diversis in locis apertis, anno 1919 novum condiderant Centrum institutorium in oppido *Turón,* pro filiis praesertim fossorum illius regionis. Discipulorum numerus celeriter crevit, adeo ut quindecim annis quibus schola exstitit, plus 1200 pueri sollerti Fratrum cura exculti sint. Religiosi illi praecipue suos alumnos educatione catechistica imbuendos curabant, cum in schola, tum in paroecia, eosque ad Missam Dominicam comitabantur adque Primam Communionem et Confirmationem praeparabant. Maxime propter hanc catechesis tradendae navitatem eos seditiosi mense Octobri anno 1934 petiverunt.

Tunc Filiorum S. Ioannis Baptistae de la Salle Communitas, oppidum habitans *Turón,* ex octo constabat Religiosis, quos Fr. Cyrillus Bertrandus regebat. Die Veneris, quinto mensis Octobris anno 1934, mane, qui dies rerum mutationis Asturiarum primus fuit, Religiosi in sacello erant, Missa iam inita a P. Innocentio ab Immaculata Conceptione, Congregationis Passionis sodali. Offertorii momento pulsationes ostii auditae sunt simulque tumultuosae clamitationes copiarum quae « militiani » vocabantur, ingredi conantium. Sacerdos sacrificium abrupit, consumptis et Religiosis distributis particulis consecratis, quae in tabernaculo custodiebantur, ut vitaret ne quomodolibet profanarentur. Servi Dei sic Viaticum acceperunt ut suam oppeterent *Viam Crucis.* Postquam vi introierunt, « militiani » Religiosis praeceperunt ut se captivos haberent, et ex sacello in « Domum Populi » ducti sunt, in custodiam mutatam. Hora fere erat tertia.

Causae comprehensionis novem Servorum Dei naturae religiosae omnino fuisse visae sunt : quod videlicet Fratres imaginem Crucifixi de scholis auferre recusaverant, sicut Consilium rerum novarum cupidum postulabat; quod institutionem religiosam, catechismi imprimis, tollere noluerant; quod alumnos ad Missas, quae in paroecia celebrabantur diebus Dominicis ceterisque diebus festis, comitabantur. Unus ex persecutoribus prorsus dixit: « Optimi essent mundi magistri, si catechismum non docerent ».

Fratrum et P. Innocentii custodia in « Domo Populi » duravit a die quinto usque ad primum mane diei Veneris noni mensis Octobris anni 1934. Illis diebus vere animos suos ad martyrium composuerunt, cum conscii essent se non iam liberatum iri; quod, contra, sacerdotibus accidit paroeciae loci *Turón,* qui postea utiles fuerunt testes sensuum Servorum Dei. Illud egerunt tempus precantes et meditantes,

absolute sereni, socios se sentientes in vinculo communis professionis religiosae inque voluntate supremum testimonium dandi fidelitatis erga Christum et Ecclesiam. Pluries solacio usi sunt sacramentalis absolutionis a P. Innocentio impertitae, qui vicissim a quodam ex sacerdotibus captivis est absolutus. Iidem sacerdos Fratribus confirmaverunt eorum mortem proprietatibus insignitum iri veri martyrii christiani, quod seditiosi nulla alia impellerentur causa cur eos occiderent, quam quia religiosi essent. Tum eorum laetitia immensa facta es, dum suam augebant praeparationem ad extremum periculum subeundum.

Nec iudicati nec publice damnati novem Servi Dei e somno excitati sunt tertia ferme inita vigilia die 9 mensis Octobris anno 1934, paucis rebus privati quas etiam tum secum ferebant et in viam inducti ad coemeterium ducentem, a viginti prope armatis deducti. Quidam ex eis deinde affirmavit Servos Dei ad coemeterium perrexisse « tranquillos, incessu placido et firmo seseque praebuisse oves trucidandas, sine ullo questu ». Cum illuc pervenissent, eadem cum constantia ad fossas iam factas progressi sunt, ante has collocati ac multis plumbearum glandium emissionibus transfossi sunt.

Haec nomina clarorum horum Christi testium :

I - *Frater Cyrillus Bertrandus* (in saeculo José Sanz Tejedor) : qui, die 20 mensis Martii ortus anno 1888 in vico *Lerma,* in dioecesi Burgensi, die 31 mensis Augusti anno 1909 est vota professus apud Fratres Scholarum Christianarum; laudabiliter variis est munibus functus, tum humilibus, tum maioris momenti in Congregatione. Rector erat Communitatis in oppido *Turón* habitantis et adiunctarum ad illam scholarum, cum dignus habitus est qui supremum daret testimonium 46 annos natus.

II - *Frater Marcianus Iosephus* (in saeculo Philomenus López López) : qui natus in vico *El Pedregal,* in dioecesi Seguntina, die 15 mensis Novembris anno 1900, priora vota religiosa nuncupavit die 9 mensis Iulii anno 1919. Progredienti surditate affectus, cum verae humilitatis spiritu varia explevit munera domestica in diversis Communitatibus. Coquus erat in oppido *Turón,*.cum occasionem habuit ad se, coram « militianis », religiosum profitendum cum sodalibus fratribus ; simplex enim famulus putatus erat. Martyrii coronam est adeptus 34 annorum.

III - *Frater Iulianus Alfredus* (in saeculo Vilfridus Fernández Zapico) : qui ortus die 24 mensis Decembris anno 1902 in vico *Cifuentes de Ruede,* in dioecesi Legionensi, vota religiosa nuncupavit die 15 mensis Augusti anno 1927. Vehementer occupatus in suo praeceptoris et catechistae munere, vitam suam devovit ne 32 quidem annos natus.

IV - *Frater 'Victorianus Pius* (in saeculo Claudius Bernabé Cano) : qui natus in pago *8. Millán de Lara,* in dioecesi Burgensi, die 7 mensis Iulii anno 1905, est vota professus postridie Calendas Februarias anno 1923. Ne mensis quidem intercesserat, ex quo *Turón* colebat, cum eius erga Deum et Ecclesiam fidelitas martyrio temptata est, quod 29 annorum subiit.

V - *Frater Beniaminus Iulianus* (in saeculo Vincentius Alonso Andrés) : qui ortus in vico *Jaramillo de la Fuente,* in dioecesi Burgensi, die 27 mensis Octobris anno 1908, inter Fratres professus est Idibus Maiis anno 1926. Verus fuit puerorum apostolus, pietatem Marialem singulariter inculcando. Annum vixerat in loco *Turón* cum est martyrio coronatus 26 annos natus.

VI - *Frater Augustus Andreas* (in saeculo Romanus Martín Fernández) : qui die 6 mensis Maii anno 1910 in vico *Quintana de los Prados* ortus, in dioecesi Santanderiensi, vota religiosa est professus die 15 mensis Augusti anno 1927. Annum ferme iam *Turón* habitabat, ubi supremum obiit sacrificium paulo plus 24 annos natus.

VII - *Frater Benedictus a Iesu* (in saeculo Hector Valdivielso Saez) : qui, die est 31 mensis Octobris natus anno 1910 Bonaëropoli (in Argentina) a parentibus hispanicis, qui, in patriam reversi, in dioecesi Burgensi habitabant. Die 7 mensis Octobris anno 1927 est vota professus et in oppido *Turón* bonorum operum typis exscriptorum apostolatu eminuit, seditiosos in se ita convertens. Et is viginti quattuor annorum martyrii est gloriam assecutus.

VIII - *Frater Anicetus Adolfus* (in saeculo Emmanuel Seco Gutiérrez) : qui in pago *Celada Mariantes* natus, in dioecesi Burgensi, die 4 mensis Octobris anno 1912, priorem professionem religiosam fecit postridie Calendas Februarias anno 1930. Viginti duorum annorum minimus natu Communitatis erat Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, quae in oppido *Turón* sedem habebat. Spiritale suum scripserat consilium : « Mori, sane quidem ; peccare, numquam, qualiscumque erit peccati species ». Firmissime sibi constitit usque ad sanguinis effusionem.

IX - *P. Innocentius ab Immaculata Conceptione* (in saeculo Emmanuel Canoura Arnau) : qui die 10 mensis Martii anno 1887 ortus in loco patrio sermone vocato *Santa Lucia del Valle de Oro,* in dioecesi Mindoniensi, professus est apud sodales Congregationis Passionis Christi die 27 mensis Iulii anno 1905 et ordinationem sacerdotalem accepit die 20 mensis Septembris anno 1913. Ad Communitatem pagi *Mieres* aggregatus erat, in dioecesi Ovetensi, cum accidit ut ob ministerium in oppido *Turón* esset primo mensis Octobris die Veneris. Fratrum Scholarum Christianarum hospes, ultimam Eucharistiam celebravit pro Communitate et in gloriam martyrii consociatus est, aliorum VIII Servorum Dei quasi « capellanus ». Annos 47 natus erat.

Novem Servorum Dei fama martyrii celeriter diffusa est iam ex quo tempore eorum corpora effossa sunt, quod duodecim diebus post supplicium factum est, sed magis etiam cum eorum reliquiae, die 25 mensis Februarii anno 1935, translatae sunt : octo Fratrum Scholarum Christianarum reliquiae ad vicum *Bujedo* et P. Innocentii ad ecclesiam Congregationis Passionis Christi ad locum *Mieres.* A fratribus sodalibus et Christifidelibus ii appellati sunt « Oppidi Turón martyres ». Eiusmodi fama increbrescente apud Curiam Ovetensem est Processus Ordinarius instructus super martyrio a die 5 mensis Octobris anni 1944 ad diem 20 mensis Iulii anni 1945, 38 testibus citatis. Huius Processus auctoritas Decreto agnita est Congregationis pro Causis Sanctorum die 10 mensis Aprilis anno 1987.

Parata igitur Positione super martyrio et iis servatis, quae erant ex iure servanda, ventum est ad disceptationem apud eandem Congregationem circa martyrium eiusque causam praedictorum Servorum Dei, primum quidem, die 9 mensis Decembris anno 1988, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde, die 16 Maii anno 1989 in Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi. Et in utraque congressione proposito ad disceptandum dubio num constaret de martyrio deque martyrii causa, in casu et ad effectum de quo ageretur, omnes qui aderant, cum Consultores Theologi tum Patres Cardinales una voce adfirmantes responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum de martyrio deque martyrii causa praedictorum Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, sollemniter edixit : *Constare de martyrio et de martyrii causa Servorum Dei Cyrilli Beltrandi et VII Sociorum Fratrum Scholarum Christianarum, et Innocentii ab Immaculata Conceptione, sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£& Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

PITILIANEN.-SOANEN.-URBETELLIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Nazareni a Maria Immaculata Santolini, Sacerdotis professi Congregationis Passionis D. N. Iesu Christi (1859-1930).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est ... Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum » *(Mt* 5, 16, 19). Haec verba, quae Divinus Magister in sermone duxit super monte habito, omni eius discipulo propositum sunt assequendum, qui servus fidelis esse velit et prudens (cf. *Mt* 24, 45), praesertim si onere pastoris obstringatur, exemplar gregis fieri studiosi (cf. *1 Pe* 5, 3).

Huius oneris aerem habuit conscientiam Servus Dei Nazarenus a Maria Immaculata, Congregationis Passionis sacerdos professus qui plus triginta annos difficili functus est munere magistri novitiorum, discipulos formans exemplo magis quam verbo. Propositum sane obtinuit, quoniam scienter id est secutus, quod postea tanta cum auctoritate Concilium Vaticanum II docuit : « Cum vitae religiosae ultima norma sit Christus sequela in Evangelio proposita, haec ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur » (Decretum de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae Caritatis,* 2).

Servus Dei die 23 mensis Octobris anno 1859 natus est in pago lingua vernacula *Caldarola* appellato, in archidioecesi Camerinensi, ex duodecim filiis quarto loco genitus a coniugibus Dominico Santolini, medico, et Philomena Gualdi, estque postridie baptizatus vocatusque Nazarenus Raphael. Die 8 mensis Maii anno 1864 sacramentum accepit Confirmationis, in condicione impensae pietatis, qua pii prudentesque parentes suam imbuerunt familiam. Indole alacerrimus sed ad oboedientiam paratus et obsequium, ludum litterarium ad legem frequentavi^ et utiliter quidem. Patrui beneficio, domini Aloisii Santolini, Cardinalis Milesi administri^ anno 1871 Romae admissus est ad Almi Collegii Capranica gymnasium, in quo iam alumnus erat frater maximus natu Nicolaus, qui postero tempore piissimus factus est sacerdos dioecesanus. Ibi primum ad eucharisticam mensam accessit, qua est fortiter impulsus ad progredientem spiritus profectum. Veste ecclesiastica induta, in studia philosophica incubuit apud Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam, in iisque est doctoris gradus adeptus anno 1878. Anno 1881 Licentiam in sacra Theologia est consecutus. Interea ad tonsuram et ad quattuor Ordines minores admissus erat.

Anno ineunte 1881 clericus Santolini occasionem habuit ut religiosos Congregationis Passionis adiret in excursione ad Albanum montem, Algido imminentem, ubi tunc recessus est a Conditore Sancto Paulo a Cruce institutus. Cum iamdiu iuvenis seminarii alumnus de persequenda perfectiore vita cogitaret, humilitate et affabilitate fratris ianitoris captus, animadvertit genus illud vitae simplex et austerum se sitienter expetere. Non paucis superatis difficultatibus, vel ex patre, qui dein est tamen assensus, a Rectore Almi Collegii Capranica comitatus in conspectum venit Beati Bernardi M. Silvestrelli a Iesu, tum Praepositi Generalis rogavitque ut in Congregationem exciperetur tamquam simplex coadiutor frater. At prudens ille Superior, humili-

tatem perspiciens et facultates petitoris, cito affirmavit se non esse eum accepturum, nisi tamquam clericum. Die namque 18 mensis Novembris anno 1881 iniit novitiatum habitus religiosi vestitione in domo generalitia SS. Ioannis et Pauli in Caelio monte, Romae, nomine sumpto Nazareno a Maria Immaculata. Die 19 mensis Novembris anno 1882 vota perpetua nuncupavit. Die 10 mensis Martii anni 1883 est sacerdos ordinatus.

Servus Dei decem ferme annos varia explicavit munia Congregationis Passionis propria, donec anno 1893 primus est Magister novitiorum creatus suae religiosae provinciae Romanae-Etruscae : quod difficile munus et grave plus triginta annos sustinuit, aliquibus interiectis brevibus intervallis. Primo tempore eius institutionis, annis videlicet 1896-1897, novitium habuit Venerabilem Galilaeum Nicolini, ad praemium vocatum ne quindecim quidem annos natum. Ab anno 1897 praeceptionem explevit, fere sine intermissione, in recessu S. Ioseph, in Argentario monte, quem S. Paulus a Cruce ad hoc ipsum condiderat. Ibi, « Pater Magister », uti plerumque a fratribus sodalibus vocabatur, omnibus suis usus est facultatibus et viribus ut novitiis verum iniceret spiritum S. -Pauli a Cruce, in ardenti deprecationis sensu consistentem, solitudinis et paupertatis, quo se ad Christum crucifixum conformarent, respectu nuntii *Verbi Crucis,* qui charisma est Congregationis.

Servus Dei perfecte congruere poterat cum praeceptis, quae novitiis inculcabat, quia iamdudum in exercitio profecerat christianarum, religiosarum et sacerdotalium virtutum, quod ad praestantiae culmen perventurum erat. Omnes testes, qui eum cognoverunt, una voce affirmant se in eo hominem Dei vidisse, prorsus et in perpetuum suae vocationi perficiendae deditum, mundo mortuum omnino et suo intentum officio usque ad extenuatas vires.

Vir itaque fidei probatissimae apparet, cum ad unum Deum se contulisset et ad eius optata; spiritu deprecationis affectus, qui extra perlucebat in eius animi intentione inque modesto habitu; Eucharistiae amantissimus, quam angelico cum ardore celebrabat et accipiebat et, adorator assiduus, longum tempus diu noctuque colebat; in mysterio Passionis defixus, quod cotidie meditabatur exque eodem vivebat, etiam propter quartum votum Congregationis Passionis proprium. Filiorum more pius in Dei Matrem, maxime nominibus notatami Immaculata et Perdolente et cotidiano cultam Rosario, novitiis propensionem illam Marialem inseruit, quae est in S. Gabriele a Vir-

gine Perdolente probata et in Venerabili Galilaeo Nicolini renovata. Suo educatoris officio devinctus, futurorum missionariorum et praedicatorum animos formavit, eorum praeparationem ponendo in assidua verbi Dei meditatione atque in maxima pietate erga Ecclesiae Pastores.

Spes totam illuminabat Servi Dei vitam, qui solum ad caeli bona spectabat ceterosque hortabatur ut difficultates superarent, cum Apostoli consilium ad se traduxisset : « Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum » *(Phil* 1, 21). Sed Pater Nazarenus sua eminuit praecipue caritate erga Deum et proximum, huius maximi mandati exsecutione. Semper intentus et cum Deo coniunctus, hunc Dei amorem ostendebat diligenti austerae regulae Passionistarum observantia, continua continentia, omnium virtutum exercitio constanti. Eius propositum dictum erat : « Oculi ad terram et cor ad caelum ». Erga proximum semper humanus erat et affabilis, sed sine affectatione ; novitiorum bono plane deditus, necessitudinem non neglexit cum ceteris communitatis religiosis, et cor animarum necessitatibus itemque Ecclesiae apertum servavit. Inductus ad corrigendos et obiurgandos iuvenes novitios, numquam in rigores inconsultos prolapsus est, quamvis rationem formationis sequeretur Instituti, quae eius aetatis erat.

Admirationem habuit uti sacerdos prudens et consiliator gravis ; uti iustus, qui generose Deo et proximo tribuit, quae debebantur; uti Passionista temperans et paenitens secundum praecepta et exempla S. Pauli a Cruce; uti fortitudinis exemplar, qui res adversas subiit et incommoda immutabili cum tranquillitate, suos dolores, ex infirma valetudine et aetate proficiscentes, iunxit Christi Passioni, pro tota Ecclesia (cf. *Col* 1, 24).

Variis morbis confectus Servus Dei quiete exstinctus est inter suos novitios in recessu S. Ioseph in Argentario monte die 4 mensis Ianuarii anno 1930, aliquanto plus duos et septuaginta annos natus, sepultusque est in illius loci coemeterio.

Cum fama increbresceret sanctitatis, qua vivus floruerat, annis 1949-1955 Processus Ordinarii acti sunt in Curiis Romana, Grossetana, Camerinensi, Lucensi et Catanensi. Die 3 mensis Martii anno 1957 Decretum editum est super scriptis Servi Dei et anno 1959 eius reliquiae translatae sunt ad ecclesiam recessus Praesentationis, pariter in Argentario monte sita, iuxta corpus eius discipuli Galilaei Nicolini. Recenter alia est translatio peracta, ut eaedem P. Nazareni reliquiae ad recessum S. Ioseph referrentur, qui sedes fuerat novitiatus.

Servato iuris praescripto, die 19 mensis Iunii anno 1982 Decretum proditum est de Causae Introductione Servi Dei, cum vacatione a Processu Apostolico, non omissa tamen accurata Instrumentorum indagatione huic rei utili.

Praeparata *Positione super virtutibus* disceptatum est de Servi Dei Nazareni a Maria Immaculata virtutibus heroum in modum exercitis, primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die 7 mensis Aprilis anno 1989, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde die 5 Iulii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Em.mo Mario Aloisio Ciappi. In utroque autem Coetu, posito ad disceptandum dubio num constaret de heroicis Servi Dei virtutibus, omnes, qui aderant, adfirmando responderunt.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens rataque habens, praecepit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die ad Se cardinalibus subscripto Praefecto 'necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Nazareni a Maria Immaculata Santolini, sacerdotis professi Congregationis Passionis D. N. Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VII

TARRAÇONEN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servae Dei Philumenae a S. Coloma, Monialis professae Ordinis Minimorum (1841-1868).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne : in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me » *(Gal* 2, 19-21). Haec Apostoli experientia, quae solita est in accommodatione ad Christum crucifixum, in animis invenitur, quae iter sanctitatis sibi statuerunt in vita conficiendum quanticumque.

Eiusmodi sanctificationis propositum animo intendit Venerabilis Serva Dei Soror Philumena a Sancta Coloma (in saeculo Philumena Ferrer), Ordinis Minimorum monialis professa: «Deus, anima, aeternitas. Quacumque ratione sancta fieri volo. Dilectus meus totus mihi et ego tota Dilecto meo » *(Scripta S. D.* : ms. 4 Aug. 1865) ; eiusmodi ei persuasio fuit se admissum iri ad se Christo adsimulandam, in fraternitate Servorum Dei, adeo ut hac de re certa posset experientia loqui, cum humilitate et veritate.

Philumena Ferrer Morae ad Hiberum orta est in dioecesi Dertosana inque provincia Tarraconensi (in Hispania), die 3 mensis Aprilis anno 1841, a Felice Ferrer, statuario, et Iosepha Galcerán, domiseda, ex decem filiis secundo loco nata. Sana est instructa educatione, christiana et humana optimoque fuit exemplo domi, in schola atque in sacrorum assiduitate. Variis morbis exercitata, quos inenarrabili est perpessa patientia, constans in pietate mansit et in obsequio erga Deum, suos aliosque aedificans in reliquis deinceps domiciliis, in quibus ob patris professionem ei vivendum fuit. Tredecim annorum, quodam die quo Eucharistiam sumpserat, post longam exstasim, Sanctissimae Virgini Mariae se consecravit voto nuncupato privato virgi-

nitatis; quod fideliter perseveravit, responsionem quoque addidit ad vocationem religiosam, quamvis ab hac parentes dissentirent, quia valetudine minus prospera utebatur. Ob hoc Serva Dei magnos est animi dolores passa, praeter corporis dolores, donec, cum magister spiritus veram esse probasset eius vocationem, obtinuit ut Monasterium a Conceptione ingrederetur in vico *Valls* appellato (in territorio Tarraconensi), uti petitrix illius loci Communitatis Monialium Minimarum a Sancto Francisco Paulano, consilio humilitatis et paenitentiae illecta, quod caritas instigabat.

Philumena Ferrer contemplativa fuit adsiduae deprecationis et arctae cum Deo coniunctionis, imprimis in variis muneribus ac religiosis disciplinis adimplendis. Ad Iesum crucifixum magis magisque se conformavit per studium eius Passionis — in eius plagas incumbens, sicut Dominus eam erat adhortatus, tamquam in lectionem et in Crucifixum in unicum librum suum (cf. *ibidem*: m. 2 Apr. 1866) — eiusque amoris et doloris mysterium penitus perspexit, quemadmodum Sancta Margarita Alacoque et deinde Sancta Gemma Galgani. Ideo Christo se iunxit gratiae vinculo, firmiter volens ministram se gratiae praebere, estque eminentem virtutis gradum adepta, cum peculiaribus charismatibus donis consentaneae, quibus a Deo est exornata. Ex Processuum testimoniis exque eius scriptis manifesto apparent Servae Dei impensa vita theologalis et perfectio moralis, praesertim vero virtutes vitae religiosae contemplativae et regulae propriae, Minimorum religio et ascesis quadragesimalis perpetua: deprecalo, ieiunium, caritas, totam vitam durantia. Inde et eius monasterii Communitas incensa est et totus Minimorum Ordo.

Sacerdotes qui Servae Dei moderati sunt spiritui affirmaverunt eam in baptismali innocentia perse vera visse. Antistita et Sorores sodales confirmaverunt eam omnibus exemplo singulari fuisse perfectionis in precatione, in votis, quibus addidit votum id faciendi, quod est perfectius, atque in virtutibus quae cum iis copulantur, in se ipsam austeram, in ceteros dulcem. « Summarium Positionis super virtutibus » probationibus abundat quod ad haec spectat. Excellentia equidem charismatum Serva Dei acriter intellexit Ecclesiae et animarum necessitates; quam ob rem plus plusque se ad passionem et ad operam Salvatoris redemptricem accommodavit, adeo ut se devovent pro Ecclesiae triumpho, tempore cum Christi in terra Vicarius magnopere vexabatur, proque animarum salute.

Cum mortua est, die 13 mensis Augusti anno 1868, phthisi consumpta, sed potissimum « amoris flamma viva » vulnerata et incensa, quam mystici experiuntur, Serva Dei magnam iam sibi pepererat sanctitatis famam; qua perdurante, quin etiam increbrescente post eius mortem, praecipue propter eius divulgata scripta et gratias eius intercessioni tributas, initus est Processus Ordinarius Tarraconensis (a die 9 mensis Octobris anni 1880 ad diem 9 mensis Martii anni 1887), post quem Causa penes Apostolicam Sedem est anno 1891 introducta. Duoque postea sunt Apostolici Processus instructi (a die 17 mensis Aprilis anni 1893 ad diem 17 mensis Martii anni 1894, et a die 5 mensis Octobris anni 1891 ad diem 4 mensis Novembris anni 1897).

Canonizationis Causa a Minimorum Ordine excitata propterea quod Servae Dei figura est ad nostram aetatem apta et mirabili modo, iuventuti maxime, exemplo est in alacri et fideli virginitate, et insuper animis consecratis, iis praesertim quae vitam sequuntur contemplativarum, et vel infirmis, diu est intermissa, in exspectatione ut scientia progrederetur quoad signa corporea, ac spiritalia, ascetica et mystica quae in Serva Dei patefiebant.

Omni re tandem probata, una cum explicationibus scientiae ratione et via prolatis, perventum est ad Congressum Peculiarem diei 15 mensis Novembris anni 1988, in quo Congregationis pro Causis Sanctorum Consultores Theologi, moderante Fidei Promotore Generali Rev.mo Domino Antonio Petti, consensione sententiarum professi sunt Servam Dei Philumenam Ferrer a Sancta Coloma heroum in modum virtutes exercuisse. Idem uno ore fassi sunt Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria, die 16 mensis Maii a. 1989 acta, ponente Em.mo Cardinali Antonio Innocenti.

Facta post modum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus conscriberetur mandavit.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Venerabilis Servae Dei Philumenae a Co-***

loma, monialis professae Ordinis Minimorum, in gradu heroico exercitis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£& Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VIII

VICTORIEN. VENETORUM

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Claudii Granzotto (in saec.: Richardi), Laici professi Ordinis Fratrum Minorum (1900-1947).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

In Constitutione Apostolica *Gaudium et spes* Concilii Oecumenici Vaticani II, de Litteris deque Artibus, dicitur : « Indolem propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque cognoscendum ediscere contendunt; situationem eius in historia et in universo mundo detegere necnon miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrare atque sortem hominis meliorem adumbrare satagunt. Ita vitam humanam multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent» *(GS,* 62).

Quae Sacrum Concilium de arte dixit et in statuariam artem valet et in sculptorem Fratrem Claudium Granzotto, Ordinis Fratrum Minorum; is namque, cum in artem statuariam se contulisset, per eam nisus est indolem cognoscere hominis, eius problemata et experientias, se ipsum et mundum. Per statuariam mundum interpretari

conatus est, eius cognoscere historiam, se excolere et suis fratribus viam indicare.

Die 23 mensis Augusti anno 1900 S. Luciae ad Plavim, in dioecesi Victoriensi Venetorum, ab Antonio et Ioanna Scotta, honestis coniugibus textoribus, ortus est Richardus, qui postridie Calendas Septembris baptizatus est. A parvulo singulari artis statuariae studio est impulsus.

In labore diligentem se ostendit, fidelem, perspicacem, habilem ad difficultates varias expediendas quae occurrebant. Indole dulcis erat, amabilissimus, quietus et minime iurgiosus. Quantum ad religionis usum se ad loci consuetudines accommodaverat, non excellens, sicut ceteri precationem frequentans et sacramenta. Uti operarius autem ceteris erat exemplo : breviloquens, sedulus ; uti vero christianus, etsi parochus nihil habebat quod exprobaret, suffrigidum et communem se praebebat.

Stipendia meruit Fori Li vii, Romae et in Albania. Militibus admirationem iniecit ob sculpendi facultatem, quamvis nullam frequentasset eiusmodi scholam; sed maiorem etiam ob vitae honestatem, unde carus factus est superioribus et commilitonibus.

In vivendi ratione nulla umquam visus est reprehensione dignus : precationem cotidianam, missas festas, sacramentorum frequentationem observavit, adeo ut a nonnullis aliquantulum insanus haberetur, cum verus et integer christianus esset. Numquam intolerans fuit, numquam sermone usus est obsceno, et, quamquam semper gravitate quadam et austeri tate distinguebatur, affabilis permanebat et benignus. Bonum militem se exhibuit, nec tamen blanditiis, illecebris aut libertati militaribus indulsit. Vehemens artis amor cogitationes distringebat et inter commilitones concordiam conciliabat. Notari poterat eum eo magis in exercitio progredi vitae christianae, quo magis in artem incumbebat.

Missus factus, anno 1921, ad Venetam Ingenuarum Artium Academiam ingrediendam se praeparavit.

Tales in studiis fecit progressus ut annua, eorum causa, ei praeberetur; praeclarum namque illud punctum centum decem cum laude est adeptus. Ita enim eminebat inter ceteros diligentia, exercitationibus, ut omnium professorum obtineret approbationem. Septem solidos annos, ne in studiis exercendis animo excurreret et vagaretur, intemperantias cavit scholasticorum, otio utens ut ecclesias viseret, pinacothecas, musea aliaque aedificia quae eleganti iudicio considerarentur.

Interdum tamen, ut ientaret, popinatus est, semper sane necessariam servans probitatem et dignitatem.

Cotidie plus plusque in animo eius id defigebatur, quod dicturum erat Concilium Vaticanum II : « Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes, artes ingenuae optimo iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusque culmen, ars nempe sacra » (Const. *Sacrosanctum Concilium,* 122). Hinc, ex variis artis formis, religiosam elegit, quin sacram. Vir operosissimus, semper hilaris, omnium amicus, in omnibus religiosis concursibus assiduus, multum temporis impendebat in deprecatione, tum in officina, tum domi. Placide loquebatur, amicitiam adhibens pro bono persequendo. Libenter consociationes catholicas frequentabat domumque paroecialem. Nomen professus est in « Opus Regiae Maiestatis » (italice « Opera della Regalità »), cuius diligenter explevit officia. Procul a republica vixit, eorum temporum consideratione habita, vitam malens fere contemplativam et operosam.

Licet saepe de mundo relinquendo cogitasset ut vitam sequeretur religiosam, capiendo consilio inopinato locum dedit « Discobolus », qui ab eo elaboratus pro Foro Romae iamque a Commissione probatus, est praeter exspectationem reiectus. Inde namque occasionem est nactus et causam, cur gravius mundi futtilitatem et fragilitatem reputaret atque propositum Deo se consecrandi.

Peropportunus haud dubie ei fuit occursus cuiusdam Fratris Minoris, sacerdotis, cui is animum aperuit et a quo admonitiones habuit, consilia, hortationes. Obtento consensu etiam in Religione artem statuariam exercendi, ingressus est Conventum Sancti Francisci «dei Deserto » vocatum, Venetiis situm, se ad annum novitiatus praeparaturus; ibi nomen mutavit Richardum in Fratrem Claudium.

Cum deinde Superiores statuissent in oppido *Chiampo* (intra fines Vicentinae provinciae) « Cryptam Lapurdensem » exstruere, illuc est missus. Multae fuerunt .ei difficultates superandae; sed deprecatione et patientia omnes eas superavit, sicut et fratrum sodalium atque alicuius Superioris pravas interpretationes. Eiusmodi labor peculiarissima fuit ei probatio, verus novitiatus. Sed is studiosissimus fuit eiusdem laboris et, fidei plenus, et non raro exclamavit : « Huc multi venient beatissimam Virginem precaturi ».

Laboribus perfectis in oppido *Chiampo,* reversus est ad Conventum Sancti Francisci « del Deserto » ut annum novitiatus perageret, per quem vitam egit deprecationi deditam, labori, rigidae religiosae

observantiae sicque toti Communitati optimo fuit exemplo. Cum, ob humilitatem, ad sacerdotium accedere noluisset omnino, similiter ac Seraphicus Conditor Sanctus Franciscus Asisinas, professionem fecit uti frater laicus Ordinis Fratrum Minorum die 8 mensis Decembris anno 1936, sollemnitati sacro Immaculatae Conceptionis.

Statim missus est ad Conventum Sancti Francisci Victoriensem Venetorum, ubi publice usque ad mortem habitavit, quamquam alium Conventum adibat aliquando post alium in tempora, quibus Superiores eius operam postulabant.

Iam artem statuariam exercebat solummodo pro Superiorum petitionibus, cum ceterum tempus impenderet pro fratribus, curam ponens in culina, in horto et ad animalia attendens. Peculiari pietate sacerdotem ad altare adiuvabat et horis molestioribus libenter vicem praestabat fratris sodalis ad ostium Conventus, ut ita pauperum mendicorum necessitatibus subveniret, qui una erant ex eius peculiaribus curis.

Mire humilitatem exercuit : non renuit, cum id est postulatum ab eo, stipem emendicare in suo ipsius pago, ubi notus erat, ubi aestimabatur et diligebatur propter suam bonitatem suumque cultum.

Laudes fugiebat; silentii amans erat, et numquam non benevole de ceteris artificibus iudicavit; numquam laudes sibi tributas ostentava et numquam labores repudiavit, qui ab eo petebantur, vel humillimos.

Longa erat eius precatio diurna et praesertim nocturna; dura paenitentia, qua corpus suum affligebat et Domino offerebat ut hominum culpas expiaret et Dei calamitates averterei.

Morbo correptus, in visitatione medici Frater Claudius visus est irreparabiliter cerebrum canceratus. Patavii, in valetudinariis deductus, horis matutinis diei 15 mensis Augusti anno 1947, in sollemnitate Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, ut ipse praedixerat, piissime in Domino obdormivit, nulla ex ore iacta umquam querela, quamvis acerbissimi dolores fuissent.

Populus, et praesertim artifices, ii nempe qui arti vitam iunxerunt serenam et severam ascesim, magnopere eum venerati sunt et venerantur et aestimant. Ideo factum est ut opera eius manibus eflicta significantem habeant vim et talem quidem, ut animos alliciant, quae eos ad pietatem impellat, artem quodammodo mutando in deprecatione.

Frater Claudius, arti serviendo, immensam praebuit spiritalem et pastoralem utilitatem, ita sane ut adhuc Populo Dei viam indicet facilem et idoneam ad spiritales ascensus persequendos.

Qua re is pergit habere magnum propheticum momentum, et arg « Dei nepos », maxime sacra, potest declarare infinitam pulchritudinem divinam, animum humanum ad caelestia tollit Deo reddendo gloriam. Fratri Claudio enim « nihil aliud propositum erat, quam ut operibus suis ad hominum mentes pie in Deum convertere » ***(Sacrosanctum Concilium,*** **12). Magnum namque in vita spiritali non minus quam in vita ad artem pertinente, pellicit populum; quapropter eum dicere possumus verum verbi Dei distributorem.**

Terrificis motus necessitatibus quibus tunc societas vexabatur (proximum tempus erat post bellum), succurrere posse voluisset egenis et pauperibus, praecipue in rebus spiritalibus : tantae ei erant curae. Scimus etenim eum hac ratione nisum esse exempla imitari Divini Magistri in continua caritatis contentione : fratribus sodalibus et Christifidelibus omnibus generose exemplo fuit sereno et clarissimo firmae fidei, secundum Evangelii praecepta explicatae : quae sunt continua cum Deo coniunctio, deprecatio diurna et nocturna, perfectum erga Dei voluntatem obsequium et Providentiae, pia Missae assiduitas, ardens in Sanctissimam Eucharistiam religio, fervidus Sanctae Virginis cultus. Qui cum eo vivebant ad conversionem continuo stimulabantur.

Nec minus se ipsum contemnebat resque terrenas. Vir erat positus atque infixus in Dei fiducia inque eius gratia, acriter ad caelestia attentus, praesertim Dei flagrans et proximi amore, considerate prudens, unice humilis, constantissima praeditus fortitudine imprimis in difficultatibus et in morborum doloribus, mira simplicitate et sinceritate Candidus, manifesta et urbana laetitia iucundus, paenitentia mirandus, iustus praeclare, austere temperans, aequabilis, angelice castus, Superioribus tum ecclesiasticis tum religiosis oboedientissimus, quorum praecepta ad liturgiam et disciplinam pertinentes magni fecit, necnon Magisterio.

Religiosi et populus, qui eum etiam in vita sanctum dicebant, eum celebraverunt et coluerunt, verum illum hominem Dei agnoscentes.

La grâce du mariage, pour la solidité du foyer, c'est le don admirable de l'amour qui vient du plus profond de la vie même de Dieu : la capacité d'aimer, de se donner l'un à l'autre, de rester fidèle à une alliance librement consentie. Il y a la fragilité humaine, c'est vrai, mais la fidélité de Dieu y répond. Souvenez-vous de la parole de saint Paul, entendue tout à l'heure : « Si nous sommes infidèles, le Seigneur restera fidèle, car il ne peut se renier lui-même ».[11] Vous les époux qui m'écoutez, vous êtes nombreux à connaître la joie toujours plus belle que donne la fidélité dans l'amour. Et vous qui avez été blessés par le silence de l'amour, par l'éloignement de votre conjoint, sachez que vous n'êtes pas délaissés par le Seigneur, vous pouvez compter sur sa fidélité, et aussi sur le soutien amical de vos frères et sœurs.

Quand on bâtit sur le roc d'un amour fidèle, la personnalité de chacun s'épanouit grâce à la générosité quotidienne du don de soi et du respect de l'autre. Et la mise en commun de tous les dons reçus conduit le couple à donner la vie à son tour. Il assume de manière responsable la paternité et la maternité, soucieux d'abord de la vie

[9] *Tb* 8, 7-10.

[10] Cf. *Gn 2, 2i; Mt* 19, 6.

[11] Cf. *2 Tm 2,* 13.

de l'enfant, respecté et aimé pour lui-même dès sa conception, avec les espérances et les promesses qu'il porte.

Votre Evêque vous a rappelé par une lettre pastorale l'enseignement moral de l'Eglise: je vous encourage à le comprendre toujours mieux, car ses exigences n'ont d'autre but que d'aider les hommes et les femmes à mener leur vie de famille en se respectant mutuellement. Comme le jeune Tobie, ils ne cherchent pas d'abord à « satisfaire leurs passions »[12] mais à fonder leur famille selon la volonté de Dieu.

7. Il ne faut jamais oublier que des familles saines et heureuses sont à la base de la vie sociale. Non seulement elles donnent naissance aux membres de la société mais elles assurent à chacun sa formation et lui permettent de trouver son équilibre. La réussite des familles est importante pour la réussite de la société tout entière. Et la société, pour sa part, doit tenir compte de la vie des familles et leur permettre de remplir leur vrai rôle.

Je pense d'abord à l'éducation des jeunes : la famille en est la première responsable, mais elle a besoin de l'institution scolaire. Il convient donc que les parents puissent être en plein accord avec les éducateurs sur les valeurs essentielles qu'ils souhaitent transmettre à leurs enfants. A cet égard, je tiens à exprimer mon estime à l'enseignement catholique et j'espère qu'il continuera de bénéficier du soutien que les pouvoirs publics lui accordent, en même temps que lui est garantie la liberté dans l'inspiration de son projet éducatif.

Les jeunes sentent la nécessité d'être compris et soutenus en famille; ils désirent vaincre les obstacles qui nuisent à un dialogue confiant avec leurs parents; ils me l'ont écrit, j'en reparlerai avec eux. Je voudrais simplement souligner ici que c'est d'abord dans leur famille que les jeunes peuvent trouver un sens à leur vie. Lutter contre le désespoir de certains, contre la fuite dans la drogue, contre les dommages graves de l'immoralité, ces préoccupations concernent toute la société, mais en premier lieu les parents. Il faudrait tout faire pour que les contraintes du travail et l'envahissement des loisirs ne puissent jamais empêcher une mère et un père d'être disponibles à leurs enfants et de partager avec eux ce qu'ils ont de plus précieux, leur foi, leur droiture, leur espérance.

8. Chers Frères et Sœurs, je viens de rappeler certaines obligations des familles et leur place essentielle dans la société. Je suis heureux

[12] Cf. *Tb* 8, 9.

de savoir que, chez vous, la haute conception de la morale familiale défendue par l'Eglise est reconnue et adoptée également par bien des personnes appartenant à d'autres traditions spirituelles. Je tiens à encourager les initiatives pastorales de F« Action familiale » et d'autres mouvements qui, depuis plus de vingt-cinq années maintenant, œuvrent ici pour le bien de tous.

Et je voudrais aussi dire la gratitude de l'Eglise à l'égard des époux et des parents : leur rayonnement, leur fidélité quotidienne, leur ouverture aux autres sont indispensables à la vie de l'Eglise. Une famille chrétienne, c'est l'Eglise à la maison ; les familles réunies forment des communautés vivantes et elles prennent une part active dans la mission de transmettre la foi, d'appeler à la vie fraternelle dans la paix, d'annoncer l'amour sauveur du Christ.

9. Chers Frères et Sœurs de l'Ile Maurice, en offrant au milieu de vous le sacrifice eucharistique, l'Evêque de Rome partage votre prière, vos joies et vos soucis.

Je prie pour vos familles. Je prie pour tout le peuple de cette Ile. Je prie pour l'Eglise qui est à Maurice, pour que sa belle vitalité ne cesse de croître et de porter des fruits. Je prie pour que chacun et chacune de vous se sache aimé de Dieu, quelles que soient ses difficultés ou ses souffrances. Je prie pour qu'ensemble vous découvriez toujours mieux les dons de Dieu, en Jésus Christ, « ressuscité d'entre les morts », car « avec lui nous vivrons ».[13]

Avec vous, je rends grâce pour toutes les merveilles que le Seigneur a accomplies parmi vous, dans cette Eglise, en communion avec l'Eglise universelle.

Oui, ((chantez au Seigneur un chant nouveau ...
Le Seigneur a fait connaître sa victoire,
et révélé sa justice aux nations :
il s'est rappelé sa fidélité, son amour ...
Acclamez le Seigneur, terre entière ! ».[14]

[13] *2 Tm* 2, 8. 11.
[14] *Ps* 97 (98), 1-4.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

ANGELORUM

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Iosephi Mariae De Yermo y Parres, sacerdotis, Fundatoris Congregationis Servarum S. Cordis Iesu et Pauperum (1851-1904).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sicut Christus a Patre missus est "evangelizare pauperibus sanare contritos corde" *(Lc* 4, 18), "quaerere et salvum facere quod perierat" *(Lc* 19, 20), similiter Ecclesia omnes infirmitate humana afflictos, amore circumdat, imo in pauperibus et patientibus imaginem Fundatoris sui pauperis et patientis agnoscit, eorum inopiam sublevare satagit, et Christo in his inservire intendit » (CONC. OEC. VAT. II, *Lumen gentium,* 8).

Iesus in Matthaei Evangelio beatos dicit qui fratribus egenis vitam suam suaque bona praestiterunt : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me ; nudus, et operuistis me ; infirmus, et visitastis ; in carcere eram, et venistis ad me » *(Mt* 25, 34-36).

Hoc vitae propositum fuit Servi Dei Iosephi Mariae de Yermo y Parres, sacerdotis, caritati et Evangelii praedicationi prorsus dediti. Iesum imitari voluit, qui venit evangelizare pauperibus.

Ortus in pago *Jalmolonga,* in finibus Civitatis Mexici die 10 mensis Novembris anno 1851, eodem die est baptizatus in aedicula Domi-

nae Nostrae a Conceptione, in praedio sita Jalmolongae, et est Iosephus Maria Emmanuel Andreas Raphael appellatus.

Filius fuit unicus causidici Emmanuelis de Yermo y Soviñas atque Mariae Iosephae Parres y Martínez. Quinquaginta diebus post ortum matre est orbatus; pater Mexicopolim migravit et infans curae est commissus sororis Mariae Carmelitidis, quae eum ab ineunte aetate christiane educavit.

Die 7 mensis Februarii anno 1853 sacramentum accepit Confirmationis et, post aptam praeparationem, die 30 mensis Martii anno 1860, octo annorum, ad Eucharistiae sacramentum primum accessit.

Tranquille infantiam et pueritiam egit Mexicopoli, primosque educationis et disciplinae annos in familia, magistris privatis moderantibus; deinde scholam catholicam frequenta vit. Molliore animo cum esset quoad animi bona, a prima adulescentia se ad sacerdotium vocari animadvertit. Die 10 mensis Maii anno 1867 paternam domum reliquit, ut iter ingrederetur vitae religiosae-sacerdotalis in Congregatione Missionis, in qua vota religiosa mense Maio anno 1869 nuncupavit. Post acerbum et perlatum vocationis discrimen, anno 1877 a Congregatione Missionis semel discessit suamque sacerdotalem formationem in seminario dioecesis Leonensis continuavit, ubi sacerdos ordinatus est die 24 mensis Augusti anno 1879.

Primis sacerdotii annis eminuit ardore apostolico, se peculiariter exercens in ministerio praedicationis, pro qua multum conquirebatur. Episcopus Leonensis ei munera delegavit magni momenti, quibus accurate est functus et diligenter.

Novus Episcopus mense Aprili anno 1885 cappellanum eum nominavit duarum pauperum ecclesiolarum agrestium : quod officium magna cum humilitate accepit et, Evangelii causae se dedens, efficaciter cultum eucharisticum provexit apud pauperes illorum locorum, et exstructionem perrexit humilis sacelli « El Calvario » vocati.

Quodam die, ad hoc sacellum iter faciens, est horribili commotus spectaculo, in quo sues nonnulli duos modo natos infantes vorabant ad improba matre derelictos. Qua re turbatus domum aperire statuit beneficiis in pauperes conferendis, qui in illa plaga multi erant.

Eius propositum quattuor puellae participaverunt. Statim est opus aggressus et die 13 mensis Decembris anno 1885, uno eodemque die domum adiutabilem instituit pro pauperibus et Congregationem Servarum a Sacro Corde Iesu et a Pauperibus appellatam.

Ex illo die eius vita semper eo spectavit ut caritatem erga egenos

explicaret, cum in campo spiritali, tum in sociali. Scholas condidit, orphanotrophia, aedes ad conquiescendum pro senibus, valetudinaria, maximeque in condiciones mulieris renovandas incubuit et, paulo antequam mortuus est, primam constituit domum missionis apud indígenas Tarahumaras Mexici septemtrionalis.

Sui muneris Fundatoris conscius, familiae suae religiosae paterna astitit cum sedulitate, spiritum amoris infundens satisfactionis erga Sacrum Cor Iesu atque benigni in pauperes servitii. Verus fuit Sacri Cordis apostolus, eius cultum vulgando, humili illa ecclesiola facta sede adorationis eucharisticae continuae. Inde a mense Februario anni 1886 primam elaboravit Constitutionum rationem, quam postea variis in tempestatibus variavit et renovavit pro temporum condicionibus et Ecclesiae suae aetatis cursu.

Anno 1888 urbs Legio terrificam passa est eluvionem, in qua, praeter ingentia damna repenti fluminis exundatione excitata, permulti homines mortui sunt aquis abrepti. Eo in casu Servus Dei pluries periculum capitis adiit ut homines eriperet in difficultatibus versantes, rapidae et lutosae illi aquae innatando, et postquam discrimen abiit, in domo beneficiis conferendis loci « EI Calvario)) tribus millibus hominum hospitium praebuit, quos etiam aliquamdiu nutrivit, confirmavit et reiecit, ut laborem cotidianum redintegrarent. Defendit insuper animose pauperum iura contra tyrannorum quaestuum studium et cupiditatem. Ob hoc strenuum servitium appellatus est <(Caritatis gigas)).

Anno 1889 Domum generalitiam Congregationis Legione Angelopolim transtulit et paulo post dioecesi illi se incardinavit. Angelopoli ardenti fulsit sacerdotali navitate, tum ob magnam quam ibi explicavit praedicationem, tum quia ardenter praeclara suscepit pro pauperibus opera caritatis.

Mirum opus cui nomen « Misericordia Christiana » ortum est ex flagranti evangelica caritate Servi Dei, studiosi maximam Dei gloriam expediendi domum dando mulieribus depravatis, in qua se ad bonam frugem reciperent. Ne minimo quidem pepercit conatui omnemque tulit poenam singulari animi fortitudine et tranquillitate.

Tota eius vita auctus fuit fidei et apostolatus : fidei in munere quod ei Deus crediderat uti sacerdoti et uti Fundatori, et fidei vere eximiae in Divina Providentia etiam momentis Servo Dei difficillimis. In deprecatione tempus insumebat vehementerque Virginem Mariam et Sanctos colebat.

Sub spei signo semper vixit cum multa Dei fiducia, unde et audacia cognoscitur eius facinorum, quae per multa impedimenta, falsas interpretationes, simultates et difficultates omne genus iniit et perrexit.

Prudenter Dei voluntatem inquisivit et Superiorum voluntati semper obsequens fuit vel in peculiaris contentionis casibus.

Sciens se esse vivum in manibus Dei instrumentum, exitum operum suorum ei tribuebat, in quem ex animo gratissimus erat, aperte etiam de eo loquens, ut omnes secum illi gratias agerent.

Propter multa caritatis opera, saepe in difficultatibus fuit, quas fortiter et serene obiit, pro certo habens se a Deo non relictum iri.

Vitam vixit sobriam et austeram, semper paupertate mixtam et saepissime maxima penuria. Servus Dei sine intermissione laboravit, nihil supervacanei sibi concedens, castigatione interna et externa minime neglecta.

Post vitam incommodis refertam, pro proximorum bono proque Dei gloria subitis, laetus ultimo Domini accitui respondit die 20 mensis Septembris anno 1904.

Eius operae Deus benedixit in hac probanda vita, breviore quidem (annis 1851-1904) : Congregatio sese extenderat ad complura Mexicanae nationis loca tredecim conditis Domibus, omnibus servitio evangelizationis et progressionis humanae derelictorum deditis.

Servus Dei famam sanctitatis habuit tum in vita tum post mortem; qua re Archiepiscopus Angelopolis seu Angelorum, obtento permissu Sanctae Sedis ad normam Litt. Apost. « Sanctitas clarior » Motu Proprio datarum, die 31 mensis Iulii anno 1981, Processum celebravit historicum-cognitionalem (anno 1983), cuius auctoritas et vis a Congregatione pro Causis Sanctorum agnita est Decreto anno 1985, die 7 mensis Iunii, edito. Consultores theologi in Congressu Peculiari die 19 mensis Maii anno 1989 acto, cui Rev.mus Dominus Antonius Petti, Fidei Promotor praesidebat, Servi Dei virtutes prospero cum exitu consuluerunt. Die 4 mensis Iulii anno 1989, Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria coacti, ponente Causae Exc.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, agnoverunt Servum Dei Iosephum Mariam de Yermo y Parres heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta denique de hisce omnibus' rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens ra-

taque habens, mandavit ut Decretum de heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die accitis ad Se infrascripto Cardinali Praefecto necnon Archiepiscopo Causae ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Mariae de Yermo y Parres, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri iussit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

DERTHONEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Caroli Sterpi, Sacerdotis professi Parvi Operis Divinae Providentiae (1874-1951).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sacerdos Carolus Sterpi, primus beati Aloisii Orione successor, variis modis perpensus, clare videtur fuisse peculiari ratione a divina Providentia electus ut, respectu Fundatoris, necessaria esset expletio in efficienda nova in Ecclesia religiosa familia.

In pago *Gavazzano* natus, intra Derthonensis dioecesis fines, die 13 mensis Octobris anno 1874, agresti, sed fortunata nec experti ali-

cuius gradus familia, praemature pius et cruce probatus ob amissam matrem cum octo tantum esset annorum, vocem Dei audivit et, prima classe gymnasii perfecta in ephebeo Ordinis Clericorum Regularium a Somascha in oppido, patrio sermone *Novi* appellato, seminarium est ingressus.

Ibi consilio divino factum est ut in clericum incurreret Aloisium Orione, qui venerat ex Oratorio Taurinensi sacerdotis Ioannis Bosco, qui animoso suo exemplo seminarii eiusdem vitam, Iansenismo corrupti, retroagebat.

Carolus Sterpi apud amicum, iam praemature Fundatorem, quandam expertus est alteram vocationem, quae magis ac magis Dei **voluntatem de eo explicabat. Hoc tamen ab eo conatum et renuntiationem postulabat.**

Cum Aloisio Orione coniunctus, permissu Episcopi Bandi, factus est monitor orientis ephebei S. Clarae (Derthonae), futurae Congregationis incunabulorum. Exinde totam apostolicam actionem suam pauperibus impertivit, una cum eis paupertatem colens.

Ita Aloisius Orione factus est eius superior, quem missum nuntii charismatica vitae suae propositi summi, existimavit. In hoc servitio suas adhibuit facultates : aequabilitatem, sensum ordinis, prudentiam in consiliis.

Muneribus functus est oeconomi et administri in ineunte Parvo Opere Divinae Providentiae, quod anno 1904 episcopi approbationem obtinuit.

Servus Dei, die 13 mensis Iunii anno 1897 ordinatus sacerdos, prima Congregationis Instituta aperuit et rexit, Remopoli (anno 1898), Derthonae et Venetiis (anno 1923).

Post annum 1927 domicilium Derthonae in omne tempus collocavit, Vicarius factus, vel potius « alter ego » Beati Aloisii Orione, qui expresse gratias Deo egit, quod sibi successorem dedisset « secundum cor suum ».

Carolus Sterpi praesertim eminuit cum Fundator Derthona aberat et postea ab ipsa Italia.

Inter terrae motus Reginum et Messanensem (anni 1908-1909) ac Marsicum (anno 1914) Aloisius Orione districtus omnino est auxilio tempestive ad calamitosos allato; quin, expressa S. Pii X voluntate — qui eum multum diligebat — Messanae triennium tamquam Vicarius generalis mansit. Tempora iniqua erant et idem Pontifex non dubitavit sacerdotem Orione « verum martyrem » definire.

Hinc famulus Dei Carolus Sterpi re factus est novi Instituti superior; cumque conditor navi ad Americam profectus est (annis 1921 et 1934), is potuit suas ostendere dotes condendo Romae Institutum Sancti Philippi pro plus mille alumnis, « Parvum Cottolengo » pro masculis Genuae-Quarti, novum Congregationis Lyceum Barderate, semper humiliter obsequens absenti Fundatori.

« Facere, creare, se occultare » dictum iterabat. Miram imprimis memoriam reliquit uti iuvenum formatons, in quibus Congregationis spes posita erat. Omnes probandos nominatim cognoscebat variorum Institutorum, qui eum tamquam matrem diligebant eique se confidenter aperiebant, quamquam eius salutares timebant reprehensiones et consulta, perpensa quidem sed irrevocabilia.

Visitatio Apostolica, absente Fundatore inita, a Servo Dei officiosam et prudentem postulavit humanitatem, quae statim Visitatorem, Abbatem E. Caronti, O.S.B., cepit et omnem expulit dubitationem.

Anno 1940 successio in locum Fundatoris facultates ostendit servi Dei Sterpi. Inevitabilis turbamenti et orbitatis sensus in Congregatione mox est fidenti eius securitate reparatus. « Et nunc, eum interrogabant, quid faciemus? ». « Sicut antehac pergemus » simpliciter et significanter respondit. Et sane omnia perrexerunt secundum sulcum a d.no Aloisio Orione impressum, etsi maxima fuit condicionum difficultas per bellum et post bellum pancosmicum, quam omnes novimus.

Servus Dei non sibi pepercit, adeo ut vitam suam in discrimen adduceret, dummodo ad omnes perveniret, fratres sodales, pueros, aegrotos. Suadentibus moderationem respondebat : « Oporteret patrem non esse, at ego pater sum ».

Mense Ianuario anni 1944 Religiosis tradidit Constitutiones, quae « Decreto Laudis » Apostolicae Sedis approbatae sunt.

Sed ad ultimum valetudo defecit et, post nervorum resolutionis accessionem die 19 mensis Maii anno 1944, Visitator impulsus est ad continendum Dei Famulum, ei quietem iniungendo absolutam et eius munera Vicario generali delegando.

Anno 1946, cessante mandato suffragiis collato, sponte novam electionem, quae fieri posset, renuit, et ad pagum suum *Gavazzano,,* postea vero Derthonam secessit, apud Sanctuarium Beatae Mariae Virginis «della Guardia », semper a pueris, parentibus orbatis, circumdatus, quibus maternis curis prospiciebat.

Manens semper Congregationis « Pater », quo nomine eum successor appellavit, in humilitate et in silentio se abdidit et die 22 mensis Novembris anno 1951 animum piissime Deo reddidit.

« Pietas ad omnia utilis » eius hereditas dici potest : semper namque fulsit uti deprecationis atque coniunctionis cum Deo exemplar. In omnibus eius scriptis, etiam in communi commercio epistulari, censores constantem notaverunt iunctionem eius, qui est prorsus Domino consecratus.

Ex eius navitate apparet uti Pater et servus Pauperum (hoc verbum volebat semper littera grandi scribi) ; etenim plene intellexit evangelicam significationem Pauperis, imaginis Christi, inque hoc servitio consumptus est, cum illo ecclesiali et sociali obtutu, qui beati Aloisii Orione charismatis proprius fuit.

Amor in pauperes vere factus est paupertatis participatio : semper enim voluit Servus Dei quodlibet, vel leve, opulentiae genus reicere et removere a suis Institutis, omne oblectamentum repudians. Vel quod ad pietatem attinebat, simplicitatem inculcabat et popularem rationem. « Nos ne spiritu quidem optimates sumus », religiosis suis repetebat.

Omnes memoriam tenent eius rigidae modestiae, significatis exempli normae, qua tuenda est et extollenda virtus pulchra quam quae pulcherrima. Eius, sicut et beati Aloisii Orione sententia, castitas virtus erat propria Filiorum Divinae Providentiae.

Eius cum Instituti Fundatore necessitudo cumque Auctoritatibus ecclesiasticis in lucem profert eius oboedientiam, cum fide exercitam etiam in rebus minimis.

Senex et aeger exemplo erat, quamlibet parvam disciplinam colens Regula praescriptam.

Suscepta eius vocatio non intellegitur nisi notabilem spiritum Fidei coniciendo simulque Spe exercitium, cum actio cotidiana apta sit ad ostendendam maximam theologalem virtutem : caritatem. Is in omni homine, vel miserrimo, « imaginem Dei » contemplatus est et nisus illam instaurare similitudinem Dei, quam peccatum maculaverat.

Officia autem Vicarii et Superioris fortes effecerunt eius virtutes cardinales. Prudentia a sodalibus fratribus ei proximis definita est : « Dei donum peculiarissimum ». Iustitia semper religiosissime servata apparuit; Fortitudo vehementer fatigata est in condicionibus periculosis, et Temperantia videtur totam eius vitam religiosam assidue esse secuta.

Eminuit quoque in eo ardens erga Papam et Ecclesiam amor, quem explicabat diligenti cuiuslibet ecclesiastici praecepti observantia; amor denique in Beatissimam Virginem Mariam, cui se credebat tamquam

optimae Matrum, constanter imitans eius absconditas Nazareth virtutes.

Servi Dei sanctitatis famam, qua vivus quoque decorabatur, in dies crebrescentem Deus caelestibus signis visus est comprobare. Quapropter Causa de Beatorum Caelitum honoribus ipsi decernendis agi coepta est. Itaque instructo processu ordinaria auctoritate annis 1952-1972 apud Curiam ecclesiasticam Derthonensem atque rogatoriali in curiis Mediolanensi et Venetiarum, de quorum iuridica forma et vis decretum exiit die 1 Iunii a. 1984, concinnata est Positio, quae dicitur, super virtutibus eiusdem Servi Dei. Quae quidem examini est subiecta in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 13 mensis Ianuarii anni huius 1989. Postea, die 11 Iulii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum Congregationis de Causis Sanctorum, ponente Em.mo Cardinali Agnelo Rossi, denuo disceptatio est habita super virtutibus eiusdem Servi Dei. Et utroque in Coetu, posito dubio utrum Servus Dei virtutes excoluerit heroum in modum, omnes adfirmando responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus, infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caroli Sterpi, sacerdotis professi Parvi Operis Divinae Providentiae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS **card.** FELICI, *Praefectus*

L. © S.

ÊB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, a *Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

I

IANUENSIS-BOBIENSIS ET PLACENTINAE

DECRETUM

De finium deque nominum mutatione

Pastoralis collocatio, hodie animarum bono magis congrua, earum paroeciarum, quae olim Bobiensem dioecesim constituebant nunc autem ad archidioecesim Ianuensem-Bobiensem pertinent, hisce annis sollicitam curam ad se convertit Congregationis pro Episcopis, quae eo spectabat, ut rei solutio maxime idonea ac definitiva dari posset.

Quam ad rem, praeter indicia et odierna pastorali experientia praehabita, eadem Congregatio — socia opera utens Nuntiaturae Apostolicae in Italia — Praesidentiae Conferentiae Episcoporum Italiae, Conferentiarum Episcoporum Regionum Liguriae et Emiliae-Romandiolae, atque etiam singulorum Episcoporum, quorum magis interest, sententias audivit; atque eodem tempore considerationes prae oculis habuit a Clero et Christifidelibus illarum regionum pastoralium magno sensu ecclesiali expositas.

Auxilio sententiarum collectarum necnon magnae auctoritatis collata opera tum Secundae Sectionis Secretariae Status, tum Nuntiaturae Apostolicae in Italia, tum Conferentiae Episcoporum Italiae, Congregatio pro Episcopis Beatissimo Patri Ioanni Paulo II conclusiones subiecit, quae sunt approbatae ; atque igitur eadem Congregatio, facultatibus fruens sibi a Summo Pontifice collatis, ea quae sequuntur statuit ac decernit :

1. Omnes paroeciae (nominatae in Indice hic adnexo) quae extenduntur in territorium quod antea dioecesim Bobiensem constituebat, ab archidioecesi Ianuensi-Bobiensi separantur et aggregantur dioecesi Placentinae, exceptis solummodo paroeciis pertinentibus ad civitatem « Borzonasca », quae dioecesi Clavarensi integre unitur.

2. Archidioecesis Ianuensis-Bobiensis iam nunc nomen sumet « Archidioecesim Ianuensem » ; dioecesi vero Placentinae novum nomen erit « Dioecesis Placentina-Bobiensis ».

Statuit quoque eadem Congregatio ut, una cum territorio paroeciarum, ecclesiae, oratoria, domus et coemeteria paroecialia, piae fundationes et quaecumque alia ecclesiastica bona et iura quomodocumque ad paroecias illas spectantia adnectantur.

Mandat insuper ut documenta et acta praefatorum territoriorum, clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia, a Curia a qua ad Curiam dioecesis cui territoria aggreganda sunt tradantur.

Ad clerum vero quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium legitime detinent; ceteri sacerdotes, clerici, seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio habent domicilium.

Unuscuiusque tamen dioecesis Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Antonium Mazza, Episcopum Placentinum, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Hoc decretum ad exsecutionem mandabitur nonnisi postquam Ordinarius dioecesanus Ianuensis-Bobiensis consulerit per suam provisionem — in casibus qui elementa ad id necessaria ostenderint — bonorum translationi ab Instituto dioecesano pro cleri sustentatione « a quo » ad paroecias quae transferentur ; quod maxima sollicitudine erit adimplendum.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 16 mensis Septembris anno 1989.

83 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. M S.

83 Ioannes Baptista Re
arch. tit. Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., ». 1019/88.

ELENCO DELLE PARROCHIE DELL'EX DIOCESI DI BOBBIO OHE VENGONO AGGREGATE ALLA DIOCESI DI *PIAGENZA*

PROVINCIA DI GENOVA (24) - 5 Comuni

Comune di Fontanigorda

1. Parrocchia di S. Giustina, sita in: 16020 Canale di Fontanigorda;
2. Parrocchia di S. Bartolomeo Apostolo, sita in: 16020 Casoni di Fontanigorda;
3. Parrocchia dei Ss. Antonio e Giacomo, sita in: 16023 Fontanigorda;

Comune di Gorreto

4. Parrocchia di S. Siro, sita in: 16020 Alpe di Gorreto;
5. Parrocchia di Beata Vergine Addolorata, sita in: 16020 Fontanarossa di Gorreto;
6. Parrocchia di S. Caterina da Siena, sita in: 16020 Gorreto;

Comune di Rezzoaglio

7. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 16040 Alpepiana di Rezzoaglio;
8. Parrocchia di S. Maria Maggiore, sita in: 16048 Brignole di Rezzoaglio;
9. Parrocchia di S. Bernardo Abate, sita in: 16040 Cabanne di Rezzoaglio;
10. Parrocchia di S. Bartolomeo Apostolo, sita in: Magnasco di Rezzoaglio;
11. Parrocchia di S. Giovanni Battista, sita in: 16040 Priosa di Rezzoaglio;
12. Parrocchia di S. Michele Arcangelo, sita in: 16048 Rezzoaglio;
13. Parrocchia di S. Giuseppe, sita in: 16040 Vicosoprano di Rezzoaglio;
14. Parrocchia di S. Rocco, sita in: Villanoce di Rezzoaglio;

Comune di Rovegno

15. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 16020 Casanova di Rovegno;
16. Parrocchia di Nostra Signora della Guardia, sita in: 16028 Loco di Rovegno;
17. Parrocchia dei Ss. Giuseppe e Antonio, sita in: 16028 Pietranera di Rovegno;
18. Parrocchia di S. Giovanni Evangelista, sita in: 16028 Rovegno;

Comune di S. Stefano d'Aveto

19. Parrocchia di S. Maria Assunta, sita in: 16040 Allegrezze di S. Stefano d'Aveto;
20. Parrocchia di S. Michele Arcangelo, sita in: 16040 Alpicella di S. Stefano d'Aveto;
21. Parrocchia dei Ss. Angeli Custodi, sita in: 16040 Amborzasco di S. Stefano d'Aveto;
22. Parrocchia di S. Bernardo da Méntone, sita in: 16049 Ascona di S. Stefano d'Aveto;
23. Parrocchia di S. Giovanni Battista, sita in: 16049 Pievetta di S. Stefano d'Aveto;
24. Parrocchia di S. Stefano PM., sita in: 16049 S. Stefano d'Aveto;

PROVINCIA DI PARMA (4) - 1 Comune

Comune di Bedonia

25. Parrocchia di S. Apollinare, sita in: 43050 Calice di Bedonia;
26. Parrocchia di S. Bernardo Abate, sita in: 43050 Casalporino di Bedonia;
27. Parrocchia di Maria SS. Assunta, sita in: 43050 Drusco di Bedonia;
28. Parrocchia di S. Giacomo Apostolo, sita in: 43050 Rumezzano di Bedonia;

PROVINCIA DI PAVIA (10) - 6 Comuni

Comune di Menconico

29. Parrocchia di S. Giorgio M., sita in: 27050 Menconico;
30. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 27050 S. Pietro Casasco di Menconico;

Comune di Romagnese

31. Parrocchia di Nostro Signore Gesù Cristo Lavoratore, sita in: 27050 Casa Matti di Romagnese;
32. Parrocchia di N. S. Assunta, sita in: 27050 Gobbione di Romagnese;
33. Parrocchia di S. Lorenzo M., sita in: 27050 Romagnese;

Comune di Ruino

34. Parrocchia di Nostra Signora di Fatima, sita in: 27040 Pometo di Ruino;
35. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 27040 Ruino;

Comune di Valdinizza

36. Parrocchia di S. Albano, sita in: 27050 S. Albano Valdinizza;

Comune di Valverde

37. Parrocchia di S. Stefano PM., sita in: 27050 Valverde;

Comune di Varzi

38. Parrocchia di S. Colombano Abate, sita in: 27057 Monteforte di Varzi;

PROVINCIA DI PIACENZA (30) - 10 Comuni

Comune di Bobbio

39. Parrocchia di Maria SS. Assunta, sita in: 29022 - Piazza Duomo 5 - Bobbio;
40. Parrocchia di S. Colombano Abate, sita in: 29022 - P. S. Colombano - Bobbio;
41. Parrocchia di S. Policarpo M., sita in: 29022 Ceci di Bobbio;
42. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 29022 Dezza di Bobbio;
43. Parrocchia di S. Cristoforo, sita in: 29022 S. Cristoforo di Bobbio;
44. Parrocchia di S. Maria del Carmine, sita in: 29020 S. Maria di Bobbio;
45. Parrocchia di S. Eustachio M., sita in: 29020 Vaccarezza di Bobbio;

Comune di Caminata

46. Parrocchia dei Santi Timoteo e Sinforiano, sita in: 29010 Caminata;

Comune di Cerignale

47. Parrocchia di S. Lorenzo M., sita in: 29020 Cerignale;
48. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 29020 Carisasca di Cerignale;
49. Parrocchia di Invenzione di S. Stefano PM., sita in: Selva di Cerignale;

Comune di Coli

50. Parrocchia di S. Vito M., sita in: 29020 Coli;
51. Parrocchia di S. Lorenzo M., sita in: Rosso - Piana di Coli;

Comune di Corte Brugnatella

52. Parrocchia di S. Giuseppe, sita in: 29020 Corte Brugnatella;
53. Parrocchia di S. Giacomo Apostolo, sita in: Pieve di Montarsolo;

Comune di Ferriere

54. Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 29020 Torrio di Ferriere;

Comune di Nibbiano

55. **Parrocchia di S. Giacomo Apostolo, sita in: 29010 Trebecco di Nibbiano;**

Comune di Ottone

56. **Parrocchia del Cuore Immacolato di Maria di Monte Alf eo, sita in: 29026 Barchi di Ottone;**
57. **Parrocchia di S. Marziano, sita in: 29020 Bogli di Ottone;**
58. **Parrocchia di S. Lorenzo M., sita in: 29026 Campi di Ottone;**
59. **Parrocchia di S. Martino Vescovo, sita in: 29026 Fabbrica di Ottone;**
60. **Parrocchia di S. Martino Vescovo, sita in: 29026 Gramizzola di Ottone;**
61. **Parrocchia di S. Pietro Apostolo, sita in: 29020 Orezzoli di Ottone;**
62. **Parrocchia di S. Marziano, sita in: 29026 Ottone;**
63. **Parrocchia di S. Colombano Abate, sita in : 29026 Ottone Soprano di Ottone;**
64. **Parrocchia di S. Giovanni Battista, sita in : 29026 Traschio di Ottone;**

Comune di Pecoraro

65. **Parrocchia di S. Maria della Natività, sita in: 29010 Lazzarello di Pecorara;**

Comune di Zerba

66. **Parrocchia di S. Rocco, sita in: 29020 Cerreto di Zerba;**
67. **Parrocchia di S. Nicolò, sita in: 29020 Pei di Zerba;**
68. **Parrocchia di S. Michele Arcangelo, sita in: 29020 Zerba.**

ELENCO DELLE PARROCHIE DELL'EX DIOCESI DI BOBBIO CHE VENGONO AGGREGATE ALLA DIOCESI DI *CHIAVARI*

PROVINCIA DI GENOVA (3) - 1 Comune

Comune di Borzonasca

1. **Parrocchia di S. Bartolomeo Apostolo, sita in: 16041 Borzonasca;**
2. **Parrocchia di S. Margherita V., sita in: 16041 Brizzolara di Borzonasca;**
3. **Parrocchia dei Ss. Vincenzo e Anastasio M., sita in: 16041 Caregli di Borzonasca.**

II

VILLARICENSIS

DECRETUM

De mutatione nominis dioecesis

Apostolicis sub plumbo Litteris «Universi dominici gregis... » diei 1 Maii 1929, dioecesis Villaricensis, ab urbe vulgo *Villarrica dei Espíritu Santo,* erecta fuit ac metropolitanae Ecclesiae Ss.mae Assumptionis suffraganea constituta.

Episcopalis sedes dioecesis Villaricensis, inde ab anno erectionis in urbe vulgo Villarrica del Espíritu Santo posita est. Nunc vero Exc.mus P. D. Philippus Iacobus Benitez Avalos, Episcopus Villaricensis, vota cleri ac christifidelium exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit, ut dioecesis, priore retento titulo, aptius «Villaricensis Spiritus Sancti » appellaretur.

Quibus omnibus rite perpensis, Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia PP. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Georgii Zur, Archiepiscopi titulo Sestensis ac in Republica Paraguaiae Apostolici Nuntii, de consilio infrascripti Cardinalis Congregationis pro Episcopis Praefecti, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter idem Summus Pontifex, praesenti Decreto Congregationis pro Episcopis, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, appellationem Spiritus Sancti titulo veteri Villaricensi addit, ita ut posthac dioecesis et Episcopus « Villaricensis Spiritus Sancti)) vocari possint et queant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 13 mensis Ianuarii anno 1990.

© BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Iustinus Rigali, *a Secretis*

In Congr. pro Episc, tao., n. 857/89.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 21 Octobris 1989. — **Archiepiscopali titulari Ecclesiae Torcellanae, R. D. Ioannem Tonucci, e clero dioecesis Fanensis-Forosempronensis-Calliensis-Pergulanae, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Republica Boliviana.**

die 6 Novembris. — **Metropolitanae Ecclesiae Sucrensi, Exc.mum P. D. Iesum Gervasium Pérez Rodríguez, ofm., hactenus Episcopum titularem Lilybaetanum et Auxiliarem necnon Administratorem Apostolicum eiusdem archidioecesis.**

die 20 Novembris. — **Titulari episcopali Ecclesiae Valentinianensi, R. D. Philippum Pargeter, Administratorem templi cathedralis archidioecesis Birminghamiensis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem Ecclesiae.**

die 9 Decembris. — **Praelaturae territoriali Ecclesiae Libmananae, noviter erectae, R. D. Prosperum Arellano, hactenus in Seminario Archidioecesis Cacerensis magistrum.**

die 19 Decembris. — **Titulari episcopali Ecclesiae Thimidensi, R. D. Beniaminum Almoneda, hactenus Pontificii Collegii Philippini Romae moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Caebuani.**

die 21 Decembris. — **Metropolitanae Ecclesiae Olomucensi, Exc.mum P. D. Franciscum Vaňák, hactenus Episcopum titularem Assuritanum et Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem archidioecesis.**

— **Cathedrali Ecclesiae Reginae Gradecensi, Exc.mum P. D. Carolum Otéenásek, hactenus Episcopum titularem Chersonensem in Creta et Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.**

die 27 Decembris. — **Cathedrali Ecclesiae Ibánae, Exc.mum P. D. Deogratias Iñiguez, hactenus Episcopum titularem Claternensem et Auxiliarem Episcòpi Malolosini.**

die 30 Decembris. — **Metropolitanae Ecclesiae Limanae, Exc.mum P. D. Augustum Vargas Alzamora, S.I., hactenus Episcopum titularem Oissitanum, Secretarium generalem Conferentiae Episcopalis Peruvianae.**

die 4 Ianuarii 1990. — **Titulari episcopali Ecclesiae Auzegerensi, R. D. Antonium Arregui Yarza, e clero praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, Secretarium adiunctum Conferentiae episcopalis Equatorianae, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Quitensis.**

die 20 Ianuarii. — **Abbatiae territoriali Montisvirginis, R. D. Pium Franciscum Tamburrino, O.S.B.**

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

i

MAIUNGAËNSIS

DECRETUM

De nominis mutatione

Apostolicis sub plumbo Litteris « Dum tantis Ecclesiae », die quarto decimo mensis Septembris anno Domini 1955 a Summo Pontifice Pio XII datis, dioecesis Maiungaënsis erecta fuit.

Nunc vero Exc.mus ac Rev.mus Dominus Armandus Razafindratandra, Episcopus Maiungaënsis, vota quorum interest exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut dioecesis Maiungaënsis deinceps Mahagiangana, seu vulgo Mahajanga, appellaretur.

Hoc Dicasterium missionale, praehabito voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Augustini Marchetto, Archiepiscopi titulo Astigitani atque Apostolici in Madagascaria Pro-Nuntii, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia PP. II sibi tributarum, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata dioecesis posthac Mahagiangana et Episcopus pro tempore Mahagianganus nuncupetur.

Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die vigesimo octavo mensis Octobris anno Domini 1989.

IOSEPHUS card. TOMKO
Praefectus

L. © S.

© Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 5019/89.

II

TANANARIVENSIS

DECRETUM

De nominis mutatione

Apostolicis sub plumbo Litteris « Dum tantis Ecclesiae», die decimo quarto mensis Septembris anno Domini 1955 a Summo Pontifice Pio XII datis, archidioecesis metropolitana Tananarivensis erecta fuit.

Nunc vero Em.mus ac Rev.mus Dominus Victor S.R.E. card. Razafimahatratra, Archiepiscopus Tananarivensis, vota quorum interest exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut archidioecesis Tananarivensis deinceps Antananarivensis, seu vulgo Antananarivo, appellaretur.

Hoc Dicasterium missionale, praehabito voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Augustini Marchetto, Archiepiscopi titulo Astigitani atque Apostolici in Madagascaria Pro-Nuntii, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia PP. II sibi tributarum, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata archidioecesis et Archiepiscopus pro tempore posthac Antananarivensis nuncupetur.

Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die vigesimo octavo mensis Octobris anno Domini 1989.

IOSEPHUS card. TOMKO
Praefectus

L. © S.

£& Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 5017/89.

III

TULEARENSIS

DECRETUM

De nominis mutatione

Apostolicis sub plumbo Litteris « Cum id ob temporum », die octavo mensis Aprilis anno Domini 1957 a Summo Pontifice Pio XII datis, dioecesis Tulearensis erecta fuit.

Nunc vero Rev.mus Dominus Iosephus Doutriaux, hodiernus Ordinarius Tulearensis, vota quorum interest exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut dioecesis Tulearensis deinceps Toliarana, seu vulgo Toliara, appellaretur.

Hoc Dicasterium missionale, praehabito voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Augustini Marchetto, Archiepiscopi titulo Astigitani atque Apostolici in Madagascaria Pro-Nuntii, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia PP. II sibi tributarum, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata dioecesis posthac Toliarana et Episcopus pro tempore Toliaranus nuncupetur.

Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die vigesimo octavo mensis Octobris anno Domini 1989.

IOSEPHUS card. TOMKO
Praefectus

L. © S.

£& Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 5018/89.

IV

DE DIEGO SUAREZ

DECRETUM

De nominis mutatione

Apostolicis sub plumbo Litteris « Qui benignissime Dei », die undecimo mensis Decembris anno Domini 1958 a Summo Pontifice Ioanne XXIII datis, archidioecesis de Diego Suarez erecta fuit.

Nunc vero Exc.mus ac Rev.mus Dominus Albertus Iosephus Tsiahoana, Archiepiscopus de Diego Suarez, vota quorum interest exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut archidioecesis de Diego Suarez deinceps Antsirananensis, seu vulgo Antsiranana, appellaretur.

Hoc Dicasterium missionale, praehabito voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Augustini Marchetto, Archiepiscopi titulo Astigitani atque Apostolici in Madagascaria Pro-Nuntii, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia PP. II sibi tributarum, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata archidioecesis et Archiepiscopus pro tempore posthac Antsirananensis nuncupetur.

Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die vigesimo octavo mensis Octobris anno Domini 1989.

IOSEPHUS card. TOMKO
Praefectus

L. © S.

83. Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 5020/89.

V

AFRICAE CENTRALIS REGIONIS

DECRETUM

quo Coetus Episcopalis Conferentiarum Africae Centralis Regionis ad experimentum erigitur.

Conferentiae episcopales Rerum publicarum Africae Centralis, Cammaruniae, Tzadiae, Gabonis et Guineae Equatorialis, ut communes quaestiones ad opus evangelizationis spectantes, in spiritu Concilii Vaticani II, melius cognoscere aptiusque resolvere possint, a Sancta Sede petunt ut particularem Unionem earumdem Conferentiarum episcopalium inire queant, sic appellatam : « Coetus Episcopalis Conferentiarum Africae Centralis Regionis ».

Haec Congregatio pro Gentium Evangelizatione, considerata indole stricte pastorali et consiliativa praedictae Consociationis, omnibus rite perpensis auditoque favorabili quorum interest voto, per praesens Decretum

COETUM EPISCOPALEM
CONFERENTIARUM AFRICAE CENTRALIS REGIONIS

comprehendentem Res publicas Africae Centralis, Cammaruniae, Tzadiae, Gabonis et Guineae Equatorialis, ad experimentum erigit atque Statuta Coetus ad quinquennium adprobat.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione die 18 mensis Novembris a.D. 1989, in festivitate Dedicationis Basilicarum Vaticanae et Ostiensis.

IOSEPHUS card. TOMKO
Praefectus

L. © S.

£B Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evangel. tab., ». 5188/89.

VI

ARCIS DELPHINI

DECRETUM

De nominis mutatione

Apostolicis sub plumbo Litteris « Dum tantis Ecclesiae », die decimo quarto mensis Septembris anno Domini 1955 a Summo Pontifice Pio XII datis, dioecesis Arcis Delphini erecta fuit.

Nunc vero Exc.mus ac Rev.mus Dominus Petrus Zévaco, Episcopus Arcis Delphini, vota quorum interest exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut dioecesis Arcis Delphini deinceps Tolagnarensis, seu vulgo Tolagnaro, appellaretur.

Hoc Dicasterium missionale, praehabito voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Augustini Marchetto, Archiepiscopi titulo Astigitani atque Apostolici in Madagascaria Pro-Nuntii, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia PP. II sibi tributarum, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata dioecesis posthac Tolagnarana et Episcopus pro tempore Tolagnaranus nuncupetur.

Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die 23 mensis Novembris anno Domini 1989.

SB IOSEPHUS T. SÁNCHEZ, *a Secretis*

L. © S.

Carolus A. Schlech, C.S.C.
Subsecretarius

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 5274/89.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 15 Maii 1989. — Cathedrali Ecclesiae Morombensi R. P. Alvinum Hafner, Congregationis Missionariorum a S. Familia sodalem, hactenus Administratorem Dioecesanum eiusdem dioecesis.

die 19 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Antsirabensi Exc.mum P. D. Filibertum Randriambololona, Societatis Iesu sodalem, hactenus Episcopum Coadiutorem eiusdem dioecesis.

die 1 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Ikotekpenensi Exc.mum P. D. Camillum Archibong Etokudoh, hactenus Auxiliarem eiusdem dioecesis et Episcopum Caprensem.

— Cathedrali Ecclesiae Tunguensi Exc.mum P. D. Isaacum Danu, hactenus Episcopum Bonustensem.

die 25 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Manonensi R. D. Nestorem Ngoy Katahwa, e clero dioecesano Kottarensi.

die 7 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Kabgayensi Exc.mum P. D. Thaddaeum Nsengigyumva, hactenus Episcopum Coadiutorem eiusdem dioecesis.

die 23 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Regalitanae, noviter erectae in Statu Sancti Vincentii et Grenadensium, R. P. Robertum Rivas, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem et hactenus delegatum Magistri Generalis eiusdem Ordinis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Petri in Litore Eburneo, noviter erectae in Litore Eburneo, R. D. Bartholomaeum Djabla, e clero dioecesano Gagnoaënsi.

— Vicariatui Apostolico Pucallpaënsi Exc.mum P. D. Ioannem Mariam Martinum, Episcopum titulo Aquensis in Numidia et hactenus Episcopum Coadiutorem eiusdem Vicariatus.

— Titulari episcopali Ecclesiae Utimmirensi R. P. Ignatium Velasco García, Societatis S. Francisci Salesii sodalem, quem constituit Vicarium Apostolicum Portus Ayacuquensis.

— Cathedrali Ecclesiae Daltonganiensi R. P. Carolum Soreng, Societatis Iesu sodalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tubulbacensi R. D. Augustinum Cheong Myong-Jo, e clero dioecesano Pusanensi, quem constituit Ordinarium Castrensem Ordinariatus Castrensis, noviter erecti in Corea.

die 10 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Kumbakonamensi R. D. Petrum Remigius, e clero dioecesano Kottarensi.

— Cathedrali Ecclesiae Kigomaènsi, R. D. Paulum Ruzoka, hactenus rectorem Seminarii minoris interdioecesani in loco vulgo Itaga.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Benedicti Iacobi Acharuparambil, O.F.M. Cap., Episcopi Trivandrensis Latinorum, R. D. Mariam Callistum Soosa Pakiam, e clero eiusdem dioecesis.

NOMINATIO

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 2 Octobris 1989. — R. P. Ludgerum Holling, Instituti Oblatorum S. Francisci Salesii sodalem, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Keetmanshoopensis Vicariatus Apostolici, in Namibia.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, **4** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **FAGNANAMA KONE,** Ambasciatore del Mali presso la Santa Sede.

Venerdì, **5** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **ALLAM-MI AHWAD,** Ambasciatore della Repubblica del Ciad presso la Santa Sede.

Giovedì, **11** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **MADHAW KESHAV MANGALAMURTI**, Ambasciatore dell'India presso la Santa Sede.

Venerdì, **12** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **JAMES** L. **KATEKA,** Ambasciatore di Tanzania presso la Santa Sede.

Giovedì, **18** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **JEAN DELACROIX CÁMARA**, Ambasciatore della Repubblica di Guinea presso la Santa Sede.

Venerdì, **19** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **EDWARD** M. **LUBINDA**, Ambasciatore dello Zambia presso la Santa Sede.

Lunedì, **22** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **PATRICK POWER,** Ambasciatore d'Irlanda presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Sabato, **14** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **TOSHIKI KAIFU,** Primo Ministro del Giappone.

Sabato, lé Gennaio **1990,** l'Ecc.mo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

Giovedì, **18** Gennaio **1990,** S. E. il Signor **GYULA HORN**, Ministro degli Affari Esteri di Ungheria.

Sabato, **20** Gennaio **1990,** l'On. Signor **JAN CARNOGTJRSKIJ,** Primo Vice-Presidente del Consiglio del Governo Cecoslovacco; TOn. Signor **JOZEF HROMADKA**, Vice-Presidente del Consiglio, e l'On. Signor **JIRI DIENSTBIER**, Ministro degli Affari Esteri del Governo Cecoslovacco.

Da giovedì 25 Gennaio a giovedì 1 Febbraio 1990 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Africa, sostando nelle Isole di Capo Verde, in Guinea Bissau, nel Mali, in Burkina Faso e nel Ciad.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

15 gennaio 1990. S. E. mons. Giovanni Oeirano, Arcivescovo tit. di Tagase, *Pro-Nunzio Apostolico nelle Isole Salomone.*

25 » » S. E. mons. Patrick Ooveney, Arcivescovo tit. di Satriano, *Pro-Nunzio Apostolico in Etiopia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

4 dicembre 1989. Mons. Pierfranco Pastore, *Segretario del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali, «in aliud quinquennium ».*

14 » » Sua Em.za Rev.ma il Sig. Card. Francis Arinze; S. E. mons. Zenon Grocholewski, Vescovo tit. di Agropoli; S. E. mons. Alois Wagner, Vescovo tit. di Siccenna; Mons. Jozef Zlatnansky; Mons. Pere Tena Garriga; Mons. José Tomas Amândio; Padre Oscar Chupungco, O.S.B.; Öuor Maddalena Lainati, delle Missionarie Francescane di Maria, *Memori del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali.*

14 dicembre 1989. **Gli Em.mi Signori Cardinali Simon D. Lourdusamy ed Edouard Gagnon; Mons. Pierre Duprey, Vescovo tit. eletto di Thibaris; Mons. Peter Coughlan; Padre Pavao Melada, O.F.M.; la Sig.na Rosemary Goldie,** ***Membri del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali « in aliud quinquennium ».***

16 » » **Mons. Luigi De Magistris,** ***Consultore delia Congregazione delle Cause dei Santi «in aliud quinquennium)).***

19 » » **P. Bernard Dupuy, O.P., e P. Maurice Gilbert, S.I.,** ***Consultori delia Commissione per i rapporti religiosi con l'Ebraismo presso il Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani.***

)) » » **S. E. mons. Pietro Rossano, Vescovo tit. di Diocleziana; S. E. mons. Jorge Maria Mejia, Vescovo tit. di Apollonia; Mons. Franz Mussner; P. Michael Louis Fitzgerald, P.A.; P. Roger Le Déaut, C.S.Sp.; P. Marcel Dubois, O.P.; Prof. Tommaso Federici; Dott. Eugene Fisher,** ***Consultori della Commissione per i rapporti religiosi con l'Ebraismo presso il Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, a in aliud quinquennium)).***

21 » » **Le LL. EE. i monsignori Miroslav Stefan Marusyn, Arcivescovo tit. di Cadi e José T. Sánchez, Arcivescovo emerito di Nueva Segovia,** ***Consultori del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani « in aliud quinquennium ».***

1 gennaio 1990. **Mons. Paolo Gillet,** ***Prelato Segretario del Vicariato di Boma.***

2 » » **S. Ë. mons. Justin Francis Rigali, Arcivescovo tit. di Bolsena,** ***Segretario del Collegio Cardinalizio.***

9 » » **S. E. mons. Donato Squicciarini, Arcivescovo tit. di Tiburnia, Nunzio Apostolico a Vienna,** ***Rappresentante Permanente della Santa Sede presso l'Agenzia Internazionale dell'Energia Atomica, e Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione delle Nazioni Unite per lo sviluppo Industriale e presso l'Ufficio delle Nazioni Unite a Vienna.***

10 gennaio 1990. Il Sac. José María Pinero Carrion, *Giudice del Tribunale ecclesiastico di prima istanza dello Stato della Città del Vaticano.*

17 » » Il Dott. Pietro Menchini, *Capo ufficio della Sezione straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

» » » P. Eugen Hillengass, S.I., *Consultore della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede din aliud quinquennium ».*

21 » » P. Ambrogio Eszer, O.P., *Relatore Generale della Congregazione delle Cause dei Santi.*

» » » P. Cristoforo Bove, O.F.M. Conv., *Relatore presso la Congregazione delle Cause dei Santi.*

22 » » L'Em.mo Signor Cardinale Edmund Casimir Szoka, *Presidente della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede.*

» » » S. E. mons. Karl-Josef Rauber, Arcivescovo tit. di Giubalziana, *Presidente della Pontificia Accademia Ecclesiastica.*

NECROLOGIO

4 gennaio 1990. Mons. Jean Dozolme, Vescovo emerito di Le Puy-en-Velay *(Francia).*

» » » Mons. Alfred M. Watson, Vescovo emerito di Erie *(Stati Uniti d'America).*

12 » » Mons. Patrick Lennon, Vescovo emerito di Kildare e Leighlin *(Irlanda).*

20 » » Mons. Jean Wolff, Arcivescovo emerito di Diego-Suarez *(Madagascar).*

23 » » Mons. Francisco Juan Vennera, Vescovo emerito di San Nicolas *(Argentina).*

24 » » Mons. Manuel Casares Hervás, Vescovo emerito di Almería *(Spagna).*

30 » » Mons. Henry L. P. Hallett, Vescovo di Rustenburg *(Sud Africa).*

An. et vol. LXXXH 9 Martii 1990 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Dominicus Ibáñez de Erquicia, O.P., Iacobus Kyushei Tomonaga, O.P., Laurentius Ruiz de Manila atque XIII Socii Martyres in Sanctorum album referuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Praedicatorum Fratrum apostolatus iam primo saeculo christiano Iaponiae recensetur, quod quidem S. Franciscus Saverius incohavit. Hi enim anno MDCII missionem instituerunt, quam provinciae Sancti Rosarii demandarunt, de industria ad ultimas nationes orientales evangelizandas destinatae. Eorundem opus in insulis Kyushu et Honshu explicabatur maximeque Nagasakii.

Missionalis actio valde ferbuit et fuit ea frugifera. Varii fuere casus quos Evangelii hi praecones passi sunt ab Europa oriundi, ab Hispania praesertim, sectantibus et adiuvantibus religiosis laicisque Iaponensibus. Hac in consociata opera ad martyrii usque testimonium XVI héroes numerantur hi, hodie inter Sanctos referendi, veluti illius missionis sobóles postrema, iam anno MDCXXXVII exstinctae.

Temporis ordine primus, qui pasorali quoque rei praeerat, Vicarius fuit Provincialis, Dominicus scilicet Ibáñez de Erquicia, Regilii ortus in Hispaniae finibus, idemque Manilae in S. Thomae collegio professor missionariusque pariter in insula quam eius accolae Luzón vocant. Anno MDCXXIII in Iaponiam se contulit sodalibus ut opem ferret Ordinis S. Dominici et christianos solaretur. Inibi autem virorum illorum

assimilis, qui a Spiritu Sancto sunt laudati *(Heb* 11, 36-39), decem per annos est operatus. Legis vi anno MDCXXXIII a militum duce proscriptae cui nomen Tokugawa Yemitsu, quique Christi religionem vetuit, die xiv mensis Augusti illius anni immolatus est, supplicio furcae affectus et foveae. Eiusdem adiutor fuit Franciscus Shoyemon catechista, qui veluti socius inter praedicatores erat receptus.

Tribus post diebus idem iisdemque locis duobus aliis contigit Iaponensibus sacerdoti scilicet Iacobo Kyushei Tomonaga O.P., missionario quondam Formosa in insula, atque ipsius catechistae Michaeli Kurobioye. Die autem xix mensis Octobris eadem Lucas Alonsus Gorda seu a Spiritu Sancto passus est, natione Hispanus et sacerdos O.P., et is Evangelii praeco impavidus, qui decem annos ad ultimas usque illius nationis regiones septentrionales peragravit. Eum est comitatus dominicanus novitius ipsiusque catechista Matthaeus Kohioye a Rosario, adulescens vixdum duodeviginti annorum.

Anno vero MDCXXXIV, die xvn mensis Novembris, Ecclesiae Nagasakiensis martyrologio alii duo dominicani annumerantur fratres, Siculus scilicet Hyacinthus Iordanus Ansalone et Iaponensis Thomas Hioji Rokuzayemon Nishi. Alter sacrum ministerium Manilae praestituerat alter in septentrionali parte Formosanae insulae. Praeter furcae foveaeque supplicium, eorum in fide fortitudo acerrime temptata est per aquae tormenta vi exhaustae et deinceps emissae, necnon per arundinum cruciatum, cum eaedem praeacutae subter ungues Agerentur.

Nec minus fortiter duae restiterunt virgines adulescentes, alumnae fratrum et sociae, Magdalena videlicet Nagasakiensis, ad S. Augustini pertinens Tertium Ordinem ac deinceps S. Dominici quoque, atque socia in Ordine hoc, Marina scilicet Omurensis, in urbe sua natali viva exusta. Una die xv mensis Octobris passa est, altera die xi mensis Novembris.

Manipulus novissimus qui Manila navem anno MDCXXXVI solvit ut populum illum fidelem levaret vexatum quidem et indigentem, ex quattuor constabat fratribus O.P. duobusque laicis; quem manipulum Antonius González moderabatur, natione Hispanus, Leonensis scilicet, qui apud S. Thomae Manilae collegium docebat, quod postea factum est Pontificia studiorum Universitas; alter istorum Michael de Aozaraza erat, Ognatensis, in regionis finibus quam vocant Guipúzcoa, idemque missionarius in paene insula Bataanensi Philippinarum insularum; item Villelmus Courtet, vel Thomas a S. Dominico, Gallus Serignanensis, theologiae doctor; denique Vincentius Shiwozuka, seu a

Cruce, Iaponensis, qui Manilae ordinationem presbyteralem susceperat. In horum numerum ascribuntur, ducis et interpretis fungens munere, Lazarus Kyotensis, propter fidem diu patria extorris, atque furtim Laurentius Ruiz, Manilensis ortu, trium liberorum pater, S. Rosarii sodalis atque Dominicanorum in paroecia Binondina adiutor.

Vinculis annum devincti in insula Okinavensi, translati sunt postea Nagasakium, ubi aperte fidem sunt testati ante tribunal, quemadmodum egit Christus coram Pontio Pilato *(1 Tim* 6, 13), ut eosdem ac alii cruciatus paterentur necnon capitis damnationem. Die vero xxix mensis Septembris mortui sunt, anno MDCXXXVII, quos autem Antonius González antecessit, carcere confectus, die xxiv eiusdem mensis.

Eorum nempe martyrium consequensque fama in annales sunt relata rerum gestarum christianarum Iaponensium, dum processus informativi instituebatur tum Manilae tum Macaunensi in civitate annis MDCXXXVI et MDCXXXVII. HOS post inventos ineunte saeculo xx, repetita est beatificationis Causa, inquisitionibus redintegratis et pervestigationibus quibus ((Positio super introductione causae et martyrio)) constituta est, quae evulgata est deinceps anno MCMLXXIX. Postquam eorum propter fidem agnita est mors die xi mensis Octobris anno MCMLXXX, inter beatos sunt relati die xvni mensis Februarii anno MCMLXXXI Manilae, cum Nos iter faceremus pastorale in Philippinensi Ecclesia quacum variis de causis nectebantur ipsi, nominatim Laurentius Ruiz, primus huius loci habitus martyr.

Illarum insularum fidelis populus magis magisque Beatum suum venerabatur una simul cum passionis sociis, qui a Deo impetravit mirum sacris canonibus expostulatum ad canonizationem, sanationem scilicet puellae Caeciliae Alegría Policarpio perfectam et stabilem, quae sine medicamentis morbo liberata est paralysis cerebri anatomicae-functionalis. Quod quidem miraculum cum comprobavissemus die i mensis Iunii anno MCMLXXXVII, die xxn eiusdem mensis consistorium celebravimus, in quo, Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus faventibus necnon Fratribus Episcopis participantibus, diem canonizationis statuimus, dominicum, xvni scilicet mensis proximi Octobris.

Tempus illud erat opportunum, cum ageretur dies pro Missionibus universalis occurrente etiam Episcoporum Synodo de Missione laicorum in Ecclesia et huius temporis mundo. De christiano nomine proferendo bene sane sunt meriti, suas quisque secundum facultates, XVI Martyres

Nagasakienses, quorum XI religiosi et V laici, ab Europa oriundi et Asia. Unum propositum unumque testimonium ex pluribus.

Die igitur statuta in Petriano foro, rogatione audita Venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Petri Cardinalis Palazzini, Congregationis pro Causis Sanctorum Praefecti, inter sacra hanc sumus elocuti formulam :

« Nos, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Laurentium Ruiz de Manila, Dominicum Ibáñez de Erquicia, Iacobum Kyushei Tomonaga et tredecim Socios, Martyres in Iaponia, Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo ascribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***



Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 242.881.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

REGALITANAE

Nova dioecesis in Barbadia, Regalitana nomine, conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Diligenter iamdiu ita conspicamur in Episcopatu Fratres Nostros unaque cum illis complures Ecclesiae ministros per dissitas insulas Caraibicas evangelizationis opus complentes atque ecclesiastica pariter instituta passim confirmantes ut maiorem usque communitatum earundem florem iam liceat nunc prospici certaque praevideri cum laetitia futurum. Id quod apud gregem dilectum Pontipolitanum-Regalitanum felicissime cernimus contigisse, qui adeo scilicet proximis hisce annis creverit sacrorum pastorum diligentia et effloruerit ut in duabus iis civitatibus, quas una adhuc dioecesis sit complexa, totidem posse ecclesiales sui iuris communitates exsistere videantur. Commemorata enim modo circumscriptio simul Barbadiam finibus suis continebat simul Statum Sancti Vincentii et Grenadiensium. Quo igitur eadem illorum gregum prosperitas citius in tuto collocetur atque utriusque civitatis paroeciae et institutiones facilius gubernentur, haec quae sequuntur capimus ex apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine legitima consilia, audita profecto iam ante sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum causis praepositorum Congregationis pro Gentium Evangelizatione necnon favore percepto Venerabilis Fratris Emmanuelis Monteiro de Castro, Archiepiscopi titulo Beneventensis atque Apostolici in Barbadia Pro-Nuntii in Antillisque Delegati, postquam simili observantia universos consuluimus Episcopos totius Coetus Episcopalis Antillarum. Sic nempe iam paene viginti annos exstantem ibi dioecesim Pontipolitanam-Regalitanam partimur ut, altera parte Barbadiam in posterum occupante semperque Pontipolitana dicta, ex altera nova erigatur circumscriptio riteque condatur uno posthac nomine *Regalitana* nuncupanda. Subiacere vero volumus hanc dioecesim tamquam suffraganeam Ecclesiae Metropolitanae Castriensi, illam autem Pontipolitanam ad provinciam ecclesiasticam usque pertinere

Portus Hispaniae. Porro templum cathedrale gregis Regalitani esse iubemus aedem adhuc concathedralem Mariae Sanctissimae in Caelum Assumptae in urbe ipsa Regalitana, vulgari quidem titulo Kingstown, sitam. Quod tandem ad singulas administrationis et gubernationis partes normasque attinet novam apud hanc sedem et communitatem ecclesialem, commonemus graviter ut universa quam religiosissime canonum sacrorum praescripta custodiantur et impleantur. Apostolicas denique hasce Litteras tam in praesentia valere volumus tempora quam in subsequentia, contrariis quibusvis rebus neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Octobris anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri duodecimo.

£&. AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, ***Proton. Apost.***
Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 248.776.

II

SANCTI PETRI IN LITORE EBURNEO

Nova conditur dioecesis Sancti Petri in Litore Eburneo nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo efficacius evangelizationis operi in Republica Litoris Eburnei consuleretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Venerabiles Fratres Episcopi Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus quorum interest auditis, consentiente quoque Venerabili Fratre Antonio Mattiazzo, tunc Archiepiscopo titulo Virunensi et Nuntio Apostolico in Eburneo Litore, censuerunt nuper in eadem Natione novam dioecesim esse condendam. Nos igitur de sententia eorum, quam ratam habemus, deque plenitudine Apostolicae potestatis harumque Litterarum virtute haec decernimus atque iube-

mus. A Gagnoënsi dioecesi distrahimus territorium olim dictum « Arso », quod hodie efficitur quattuor vulgo « départements » de San Pedro, de Sassandra, de Soubré et de Tabou quodque pariter decem sub-praefecturas complectitur; ex eoque ita detracto territorio novam condimus dioecesim *Sancti Petri in Litore Eburneo* (patrio sermone « San Pedro-en-Côte d'Ivoire ») appellandam, quam metropolitanae Sedi Abidianensi subicimus et iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam facimus. Praeterea iubemus cathedram Episcopi collocari in templo exstante in urbe San Pedro, Deo in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis dicato ; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae quidem praescripsimus perducat ad exitum Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, Archiepiscopus titulo Madaurensis et Apostolicus in Litore Eburneo Nuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, cito riteque mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram sive nunc sive in posterum ratam esse volumus, nullis quibuslibet rebus vel minime quidem obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri duodecimo.

EB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 251.218.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Servo Dei Michaeli Kozal beatorum caelitum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Cum Iesus, Dei Filius, caritatem suam manifestaverit, animam suam pro nobis ponendo, nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro Eo et fratribus suis ponit (cf. *1 Io* 3, 16; *Io* 15, 13). Ad hoc ergo maximum amoris testimonium reddendum coram omnibus, praesertim persecutoribus, aliqui christiani iam a primo tempore vocati sunt et semper vocabuntur » (Conc. Vat. II, Constit, dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 42).

In praeclaro eiusmodi Christi testium numero, qui Magistro similes facti sunt libere mortem obeuntes pro mundi salute et sicut Is sanguinem suum fundentes, hac nostra aetate ponendus est quidem Polonicae nationis Episcopus, Servus Dei Michael Kozal, Episcopus Auxiliaris Vladislaviensis dioecesis.

In eius vita, quinquaginta annorum spatio conclusa, gratiae Dei divitiae effulserunt, quae operabantur in eo et per eum munere fungentem animarum pastoris, quod est martyrio pro fide consummatum, die XXVI mensis Ianuarii anno MCMXLIII subito Dachaviae a satellitibus nazismi athei Hitleriani.

Episcopus Michael, vir piraestantissimae spiritualitatis, martyrium existimabat summum honorem et ardenter illud cupiebat. Id confirmavit vitam suam Domino devovendo pro Ecclesiae libertate.

Servus Dei natus est die xxv mensis Septembris anno MDCCCLXXXXIII in urbe patrio sermone Nowy Folwark vocata, intra fines archidioecesis Gnesnensis-Posnaniensis, a familia ferventis pietatis. Ordinatus sacerdos, insolito studio se dedidit actioni pastorali in communitatibus paroecialibus et postea formationi iuvenum spirituali uti gymnasii praefectus. Eundem sedulitatis spiritum pro causa Dei ostendit deinde in Seminario Gnesnensi, ubi per duodecim annos animos instituit eorum, qui sacerdotium petebant, magis magisque eorum corda aperiens ad altum sacerdotii exemplar, sicut et ad christianum martyrium.

Anno MCMXXXix Servus Dei in collegium successorum Apostolorum ascriptus est ut Episcopus auxiliaris dioecesis Vladislaviensis. Duabus hebdomadis post episcopalem consecrationem eius dioecesis

facta est theatrum crudelium bellicorum certaminum, et postero tempore regio est a copiis Germanicis occupata. Cum, post occupationem, nazistae destruere coeperunt fidem catholicam ecclesias claudendo, scripta prohibendo et instituta catholica, atque ecclesiasticos apprehendendo, ilico Episcopus se fidei defensorem et assertorem professus est. Quam ob causam reprehensus est, percussus, segregatus.

Custodiae tempore, cum nuntii ad eum perveniebant de cruenta Ecclesiae persecutione in patria a nazistis occupata, firmissime statuit vitam suam Domino devovere ut holocaustum pro sacerdotum libertate. Cum gaudio quidem hoc sumpsit sacrificium. Episcopus invicta patientia et aequo animo accepit omnes dolores, custodiam, vexationes et mortem ut Christi fidem testificantur. Tribus annis, quibus in vinculis fuit, in publicae custodiae campo apud *Dachau,* moderator spiritualis fuit sacerdotum concaptivorum, exemplar integrum fiduciae Providentiae Divinae, magister in suscipiendo dolore, signum spei et caritatis, se confirmans Episcopum maerentium et ob fidem oppressorum.

Episcopus animi vim hauriebat ex deprecatione et praesertim ex eucharistica pietate. Ita se gessit tum diebus sui ministerii sacerdotalis tum diebus calamitatis. Panis Eucharisticus re omnia illi fuit. Cum potuerat illum clam captivis distribuere, dicebat : « Do vobis donum maximum, Iesum Eucharisticum. Deus adest nobis. Deus numquam nos deseret ».

Tempore « aerumnae carceris », quod Episcopus ducebat longam Viam Crucis cum Salvatore patienti perrectam, is dictus est suo exemplo et verbo ceteros omnes sacerdotes sustinere, praecipue autem feria sexta in Passione Domini (anno MCMXLII), quando mysterium doloris melius cognoscere poterant. Episcopus ita perfudit animos, ut omnes senserint se parvam partem habere dolorum Salvatoris.

Episcopus Michael non solum ipse fuit martyr, sed verus martyrum magister.

Fama martyrii, statim post mortem orta et sponte diffusa in Polonia et extra, sicut dein multae gratiae eo deprecante obtentae, induxerunt Episcopum dioecesanum Dominum Antonium Pawlowski ad instruendum annis MCMLX-MCMLXIV Processum Informativum « super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum ». Acta Processus tradita sunt Congregationi pro Causis Sanctorum. Eadem autem Congregatio exquisita Causa, ab Episcopo dioecesano rogata, Domino Ioanne Zareba, in Congressu Originario concessit ut Causa a via virtutum ad

viam martyrii transiret, iubens tamen instructionem Processus Additicii « de fama martyrii et ipso martyrio » ; qui processus actus est primis mensibus anni MCMLXXXVI apud tribunal dioecesanum Vladislaviense. Interim apparata est « Positio super martyrio ».

Servato deinde iuris ordine, instituta est apud S. Congregationem pro Causis Sanctorum disceptatio super martyrio praedicti Servi Dei, et primum quidem, die xxiv mensis Martii anno MCMLXXXVII, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, deinde in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, die xxvin mensis Aprilis eodem anno, in qua Em.mus Cardinalis Andreas Maria Deskur, Causae huius Ponens seu relator, dubium proposuit discutiendum : « An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur ». Porro, in utroque Coetu responsiones affirmantes prolatae sunt.

Itaque consideratis suffragiis Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, die VIII mensis Maii anno MCMLXXXVII decrevimus sollemnem beatificationem Venerabilis Michaelis Kozal, Episcopi, die xiv mensis Iunii huius anni Varsaviae, inter tertium Nostrum iter in Polonia et secundum Congressum Eucharisticum Nationalem, peragere. Qua re per ritum coram frequentissima fidelium multitudine sub divo celebratum haec protulimus verba : « Nos, vota Fratris Nostri Iosephi Cardinalis Glemp, Archiepiscopi Gnesnensis et Varsaviensis, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Servus Dei Michael Kozal, Episcopus, Beati nomine in posterum appelletur eiusque festum die ipsius natali xxvi mensis Ianuarii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Contrariis quibuslibet neutiquam obstantibus.

Datum Varsaviae, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Iunii anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 288.949.

II

Iunipero Serra beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Convocatis autem Duodecim, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent, et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos, et ait ad illos : "Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram neque panem neque pecuniam neque duas túnicas habeatis". ... Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique» *(Lc* 9, 1-3. 6).

Haec quidem verba, quibus munus evangelii nuntiandi Duodecim concredidit Dominus Iesus pariter atque aegritudinis fratrum levandae quos ipsi forte in itinere erant offensuri, probe planeque intellecta sunt atque ad effectum adducta a Dei servo, fratre Iunipero Michaele Iosepho Serra Ferrer, Ordinis Fratrum Minorum sacerdote. Procul dubio verba haec diutius volutavit ipse animo atque in iisdem eundem spiritum agnovit quo nempe Franciscus Assisiensis, illius Ordinis conditor in quem is ascriptus est, fratres suos quoquoversus mittere voluit.

Pedrae natus in Maiorica insula die xxiv mensis Novembris anno MDCCXin, ex agricolarum familia quae sacro baptismatis rore tincto ei indidit nomen Michaeli Iosepho. Ingressus Fratrum Minorum Ordinem anno MDCCXXX, nomen habuit Iuniperum ; qui subinde sacerdotio auctus anno MDCCXXXVII, aliquandiu philosophiam docuit et theologiam, haudquaquam pastorali usu neglecto, praedicatione nominatim, in qua protinus clari sibi peperit laudem praedicatoris.

Anno autem MDCCXLIX Mexicum petiit, ubi, paulo post quam illuc pervenerat, Missioni destinatus est quae vocabitur Sierra Gorda quaeque inter septemtriones et orientem solem sita erat, Mexicopolis respectu. Novem per annos ibidem Dei servus novitiorum magistri functus est munere, qui interea praedicationem factitabat praeoptatam. Anno MDCCLXVii praeses est renuntiatus Inferioris Californiae missionum, atque exigue biennio post ad Superiorem transiit Californiam (quae nunc Californiae Civitas vocitatur), ubi, illo praesertim auctore, S. Didaci, S. Caroli Borromaei, S. Antonii Patavini, S. Gabrielis Archangeli, S. Ludovici Episcopi, S. Francisci Assisiensis, S. Ioannis a Capistrano, S. Clarae Assisiensis atque S. Bonaventurae exstiterunt missiones.

Inter autem missionarios atque in California Hispaniae vicarium regis ortae dissentiones Fratri Iunipero ansam dederunt « Iurium Indorum constitutionem » conscribendi, qui pariter sibi moderandi et educandi Indos officium vindicabat, sacro fonte lustratos.

Cunctis in missionibus in agris excolendis copiisque naturae rerum utendis instituerunt Frater Iuniperus eiusque fratres Indos ut obtinerent hi potiorem vitae condicionem.

Eius erga Indos amor eandem habebat vim animique effusionem atque amor ille evangelicus, qui quidem ex plena sui abnegatione constabat atque reconciliationis pacisque spiritu, tum spectatis christianis Indis, tum paganis. Quae vero Frater Iuniperus scripsit vicario regis verba habentur veluti vitae institutum ac spiritale testamentum : « Si forte sive christiani sive pagani Indi me necaverint, eis ignoscendum erit... Interfector adiuvandus erit sibi ignotum esse ut intellegat, unde christiana lex adimpleatur quae peccatoris non vult mortem sed salutem ».

Postremos suae vitae annos in missionibus moderandis transegit Frater Iuniperus ac in litteris conscribendis omnibus missionariis, novas cupiens instituere missiones. Die XXVIII mensis Augusti mortuus est anno MDCCLXXXIV in missione S. Caroli Borromaei, ab omnibus defletus, praesertim ab Indis veluti « Benedictus Pater ». XXXIV annos in missionario opere impendit, qui sustentabatur a Iesu, cui usque ipse mentem convertebat veluti Cruci affixo, qui inenarrabiles dolores pro hominum redemptione passus est. Ipsius magna sane caritas maiores minoresque natu permovit, qui eum noverunt ac tanquam sanctum et apostolum germanum suspexerunt.

Eius sanctitatis fama semper exstitit viva atque in dies increbruit ad praesentem usque aetatem.

Ab anno MGMXLVIII ad annum MCMXLIX processus habitus est informativus in dioecesi olim Montereyensi in California et Angelorum in California.

Anno autem MCMLXXXI a Congregationis pro Causis Sanctorum officio historico-hagiographico positio super vita et virtutibus edita est. Deinde, nempe ad iuris normam, apud eandem Congregationem de virtutibus Servi Dei rite disceptatum est; quas heroicas fuisse die IX mensis Martii, anno MCMLXXXV, Ipsi declaravimus.

Mirum ad beatificationem Servi Dei productum, est die XV mensis Aprilis anno MCMLX patratum in nosocomio quod vulgari sermone De Paul appellatur et in urbe Sancti Ludovici situm est, quae ad foe-

deratas civitates Americae Septemtrionalis pertinet ; quo miraculo soror religiosa fruita est Bonifatia Dyrda.

Servatis ex iure servandis, die XI mensis Decembris anno MCMLXXXVII constare de veritate eiusdem mirae sanationis decrevimus.

Statuimus demum ut beatificationis ritus Romae in foro Petriano die XXV mensis Septembris anno MCMLXXXVIII celebraretur.

Hodie igitur inter sacra hanc sumus formulam elocuti :

« Nos, vota fratrum nostrorum Sergii Obeso Rivera, Archiepiscopi Ialapensis, Aloisii Bommarito, Archiepiscopi Catanensis, Anastasii Alberti Ballestrero, Archiepiscopi Taurinensis, Thaddaei Shubsda, Episcopi Montereyensis in California, Laurentii Noël, Episcopi Trifluvianensis in Canada, Michaelis Roca Cabanellas, Archiepiscopi Valentina necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Michael Augustinus Pro, Iosephus Benedictus Dusmet, Franciscus Faà di Bruno, *Iuniperus Michael Iosephus Serra Ferrer,* Fridericus Janssoone Bollengier, Iosepha Naval Girbés, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Michaelis Augustini Pro die vicesima tertia Novembris, Iosephi Benedicti Dusmet die quarta Aprilis, Francisci Faà di Bruno die vicesima septima Martii, *Iuniperi Michaelis Iosephi Serra Ferrer* die vicesima octava Augusti, Friderici Janssoone Bollengier die quarta Augusti, Iosephae Naval Girbés die vicesima quarta Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Postquam haec ediximus, primum Nos Ipsi sumus novos Beatos deprecati eorumque virtutes universis Christifidelibus proposuimus ad imitandum, a Deo simul postulantes ut in Ecclesia sua, utpote fecunda sanctorum Matre, eiusmodi continenter excitet viros et mulieres : qui vitae suae exemplo, quasi lumine iter salutis indicant fratribus, ad caelestia regna quidem pervenire sinceris animis nitentibus, sed multis in difficultatibus versantibus. Quod vero decrevimus, volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Septembris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

•B AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ¡5 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 239.52//.

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET REM PUBLICAM AUSTRIACAM

QUARTO ACCORDO

Addizionale fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca alla Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 Giugno 1960

FRA LA SANTA SEDE,

rappresentata dal suo Plenipotenziario Sua Eccellenza Rev.ma Mons. DDr. Donato Squicciarini, Arcivescovo tit. di Tiburnia e Nunzio Apostolico in Austria,

E

LA REPUBBLICA AUSTRIACA,

rappresentata dai suoi Plenipotenziari il Signor Dr. Alois Mock, Ministro Federale per gli Affari Esteri, e

la Signora Dr. Hilde Hawlicek, Ministro Federale per l'Istruzione, l'Arte e lo Sport,

VIERTER ZUSATZVERTRAG

zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zum Vertrag zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom 23. Juni 1960

ZWISCHEN DEM HEILIGEN STUHL,

vertreten durch dessen Bevollmächtigten, Seine Exzellenz, den Herrn Apostolischen Nuntius in Österreich, Titularerzbischof von Tiburnia, Msgr. DDr. Donato Squicciarini,

UND

DER REPUBLIK ÖSTERREICH,

vertreten durch deren Bevollmächtigten, Herrn Dr. Alois Mock, Bundesminister für auswärtige Angelegenheiten und

Frau Dr. Hilde Hawlicek, Bundesministerin für Unterricht, Kunst und Sport,

viene concluso, a ulteriore complemento della Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 Giugno 1960, il seguente Accordo Addizionale:

wird in neuerlicher Ergänzung des Vertrages zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom 23. Juni 1960 nachstehender Zusatzvertrag geschlossen :

Articolo I

La somma di 128 milioni di scellini, di cui all'Articolo II, Capov. 1, lettera a della Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 Giugno 1960 nella redazione dell'Accordo Addizionale 24 Luglio 1981, verrà elevata a partire dall'anno 1990 a milioni 158 di scellini.

Artikel I

Der in Artikel II Absatz 1 lit. a des Vertrages zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom. 23. Juni 1960 in der Fassung des Zusatzvertrages vom 24. Juli 1981 genannte Betrag von 128 Millionen Schilling wird, beginnend mit dem Jahr 1990, auf 158 Millionen Schilling erhöht.

Articolo II

L'Articolo XXII del Concordato del 5 Giugno 1933 vale, per analogia, per la soluzione di difficoltà concernenti l'interpretazione del presente Accordo Addizionale.

Artikel II

Artikel XXII Absatz 2 des Konkordates vom 5. Juni 1933 gilt für die Regelung von Schwierigkeiten bezüglich der Auslegung dieses Zusatzvertrages sinngemäß.

Articolo III

Questo Accordo Addizionale, il cui testo italiano e tedesco sono ugualmente autentici, dev'essere ratificato e gli istrumenti di ratifica devono essere scambiati al più presto in Roma. Esso entra in vigore il giorno dello scambio degli istrumenti di ratifica.

Artikel III

Dieser Zusatzvertrag, dessen deutscher und italienischer Text authentisch ist, bedarf der Ratifikation; die Ratifikationsurkunden werden sobald wie möglich in Rom ausgetauscht werden. Er tritt mit dem Tag des Austausches der Ratifikationsurkunden in Kraft.

In fede di che i Plenipotenziari hanno firmato il presente Accordo in doppio originale.

Fatto a Vienna, il 10 Ottobre 1989.

Per la Santa Sede:
Für den Heiligen Stuhl:

@ D. SQUICCIARINI

Zu Urkund dessen haben die Bevollmächtigten diesen Zusatzvertrag in doppelter Urschrift unterzeichnet.

Geschehen zu Wien, am 10. Oktober 1989.

Für die Republik Österreich :
Per la Repubblica Austriaca:

ALOIS MOCK

HILDE HAWLICEK

Sollemni Conventione inter Apostolicam Sedem et Rem publicam Austriacam rata habita, die XXVI* m. *Ianuarii a. MCMXC, in Civitate Vaticana instrumenta ratihabitionis accepta et reddita sunt; a quo die Conventio vigere coepit.

HOMILIA

In foro Sancti Petri habita, ob decretos Dei Servis Niceforo et Sociis eius, Laurentio Salvi, Gertrudi Catharinae Comensóli, Franciscae Annae Cirer Carbonnell Beatorum caelitum honores.*

1. ((Gesù Cristo : da ricco che era, si è fatto povero per voi, perché voi diventaste ricchi per mezzo della sua povertà».[1]

Nella liturgia della domenica odierna questa frase, presa dalla Lettera di San Paolo ai Corinzi, costituisce come una introduzione al Vangelo ed alla parabola del ricco epulone e di Lazzaro. In pari tempo la Chiesa, riunita presso la Confessione di San Pietro, pronuncia questa frase guardando a tutti i Servi di Dio che oggi vengono proclamati Beati.

A ciascuno di loro Gesù ha indicato la strada verso la santità, diventando povero per primo e facendosi modello di tutti, Egli che era il Figlio di Dio, della stessa sostanza del Padre. Contemporaneamente a ciascuno dei nuovi Beati Egli ha rivelato il mistero di questa povertà, che fa diventare ricchi. In questo modo a ciascuno di loro ha indicato la via alla santità.

La Chiesa oggi gioisce per questi suoi figli e figlie, che hanno percorso la via indicata dal Divino Maestro.

2. Ella se alegra por los mártires de la Comunidad de los Pasionistas de Daimiel, en España. Era una comunidad dedicada exclusivamente a la formación de los jóvenes que allí, al amparo del Cristo de la Luz, se preparaban para ser sacerdotes y anunciar un día el Evangelio en tierras americanas, preferentemente en México, Cuba y Venezuela. La comunidad se componía casi en su totalidad de jóvenes de 18 a 21 años, asistidos por un selecto claustro de profesores y hermanos que cuidaban de su formación. Era un ambiente de gran entusiasmo misionero en un clima de retiro, estudio y oración. Hombres de Dios, que siguiendo el consejo de San Pablo amaban « la justicia, la piedad, la fe, la caridad, la paciencia, la mansedumbre ».[2]

Ninguno de los religiosos de la comunidad de Daimiel se había mezclado en cuestiones políticas. No obstante, en el clima del momento

* Die 1 ni. Octobris a. 1989.

[1] *2 Cor* 8, 9.

[2] *1 Tim* 6, 11.

histórico que les había tocado vivir, también ellos se vieron arrastrados por la tempestad de la persecución religiosa, dando generosamente su sangre, fieles a su condición de religiosos, y émulos, en pleno siglo veinte, del heroísmo de los primeros mártires de la Iglesia.

Cuando la noche del 21 de julio de 1936 se presentaron en el convento los milicianos armados, el Superior Provincial, P. Nicéforo, los reunió a todos en la iglesia, donde se confesaron y recibieron la santa comunión como Viático. Allí el P. Mcéforo les exhortó vivamente : « Hermanos e hijos muy amados : Este es nuestro Getsemani. La naturaleza, en su parte débil, desfallece y se acobarda. Pero Jesucristo está con nosotros. Os voy a dar al que es la fortaleza de los débiles. A Jesús le confortó un ángel. A nosotros es el mismo Jesucristo quien nos conforta y sostiene. Dentro de pocos momentos estaremos con Cristo. ¡ Moradores del Calvario, ánimo y a morir por Cristo ! A mí me toca animaros, pero yo mismo me estimulo con vuestro ejemplo)).

La mayoría, jóvenes de 18 a 21 años, vivía soñando en el sacerdocio, pero el Señor había dispuesto que su primera misa fuera la de su propio holocausto. Ahora nosotros les exaltamos y damos gloria a Cristo, que los ha asociado a su cruz : « El Señor ama a los honrados ... él sustenta al huérfano y a la viuda, y trastorna el camino de los malvados. El Señor reina eternamente ».[3]

3. «Tu, uomo di Dio ... tendi alla giustizia, alla pietà, alla fede, alla carità, alla pazienza, alla mitezza. Combatti la buona battaglia della fede ».[4]

In questo programma, dettato dall'apostolo Paolo al discepolo Timoteo, possiamo veder delineato l'itinerario spirituale del Beato Lorenzo Salvi, uomo di Dio, non solo nella intensa preghiera, ma anche nella instancabile dedizione al ministero sacerdotale. Egli fu pienamente consapevole della missione afiìdata da Cristo ad ogni apostolo e si sforzò durante tutta la vita di seguire gli esempi del Figlio di Dio, che volle salvare il mondo mediante l'umiliazione della Croce.

Lorenzo combatté la ((buona battaglia della fede », secondo lo spirito della sua Congregazione religiosa, lavorando intensamente nella predicazione delle missioni al popolo, nei corsi di esercizi spirituali, nel ministero delle confessioni. In quanti avvicinava Egli cercava di instillare l'amore del Cristo povero ed umile, mediante la devozione

[3] *Sai 145,* 9-10.
« / *Tim* 6, 11-12.

all'infanzia di Gesù e alla sua Passione, momenti nei quali massimamente si rivelano l'umiltà e la dolcezza del Salvatore. Convinto dell'infinita misericordia del Cuore di Cristo, egli non si stancava di esortare le anime alla fiducia, sull'esempio del bambino che in tutto s'afiida alle braccia amorevoli e forti del padre.

Lorenzo conobbe il Beato Domenico Barberi ed il suo progetto per il dialogo tra la Chiesa Cattolica e quella Anglicana : avrebbe voluto seguire in Inghilterra l'amico, ma l'obbedienza lo trattenne in patria. Anche in quel caso, come in tanti altri, egli seppe trovare in Cristo Crocifisso, ideale della sua Famiglia religiosa, la forza per rinunciare al proprio disegno apostolico e farsi guidare soltanto dalla preoccupazione di « conservare senza macchia e irreprensibile il comandamento »,[5] cioè l'impegno dell'adesione senza riserve al volere di Dio.

Con questi solidi fondamenti il beato Salvi riuscì ad essere maestro di vita spirituale di molte anime, che lo ascoltarono nella predicazione, nel confessionale, nella direzione di coscienza. Ad esse egli annunciò con fervore mai smorzato il mistero di Cristo, « il solo che possiede l'immortalità, che abita una luce inaccessibile, che nessuno tra gli uomini ha mai visto, né può vedere ».[6]

4. È ancora l'esempio del Cristo povero ed umile, contemplato soprattutto nel mistero eucaristico, a guidare l'impegno di Geltrude Comensoli nel faticoso itinerario spirituale e nelle travagliate vicende della fondazione delle Suore Sacramentine di Bergamo. È proprio l'umiltà del Pane eucaristico, sacramento della presenza reale di Cristo, che sostiene Geltrude e le consente di stare di fronte alla mensa dei potenti con l'intrepida costanza di Lazzaro, nella volontaria scelta dell'evangelico « ultimo posto ».

Geltrude sentì tale impegno di rinnegamento come una vocazione forte ed esigente : « Non alzerò mai la voce — scrive nei suoi propositi — non mi giustificherò mai, né a ragione né a torto. Soffrirò tutto in silenzio, qualsiasi cosa mi venisse fatta ».[7] A tale spirito di umiltà ella volle educare le consorelle, chiedendo per esse l'interiore povertà dello spirito : « Diffidenza di sé, umiltà grande, generosità nel patire, e grande carità di comportamento ».[8]

[5] *1 Tim* 6, 14.
[6] *Ibid.,* 15-16.
[7] *Gli scritti,* p. 26.
[8] *Ibid.,* pp. 792-793.

Come il povero indicato dalla parabola, Geltrude soffrì la privazione di tutto, quando un dissesto finanziario determinò l'espropriazione dei beni materiali dell'Istituto appena fondato e già fiorente. « Mio Gesù — scriveva in una sua memoria —, di qui a qualche minuto ... vengono a mettere tutto sotto sigillo ... Gli uomini vogliono le nostre cose. Voi sigillate il mio cuore ... tenetemi sempre con voi, mio diletto Gesù ».[9]

Geltrude volle così, in qualche modo, mettere tutta la sua ricchezza « nel seno di Abramo »,[10] cioè nel cuore di Cristo, presente nella Eucaristia : « Terrò il mio cuore sempre rivolto all'altare dove dimora l'Amato Gesù. Stanca ed oppressa, afflitta, desolata, là sarà il mio luogo di riposo, veduta solo dal mio Gesù ... La mia vita deve essere sepolta in Dio nel Divino Suo Costato ».[11]

È l'Eucaristia che conduce al Regno: presso la mensa del Pane di vita, pegno della gloria futura, si alimenta quel fuoco della carità soprannaturale, in cui è dato all'anima di pregustare fin d'ora un'anticipazione della gioia riservata ai Santi nel Cielo.

- 5. También en la vida de la beata Francisca-Ana de los Dolores de María vemos reflejadas las enseñanzas que hoy nos acaba de dar Jesús en su Evangelio. Ante el binomio riqueza-pobreza, Francisca-Ana escogió la pobreza y excluyó del proyecto de su vida cristiana y consagrada la riqueza porque sabía que podía apartarla de Dios. Dedicó lo poco que producían sus tierras al servicio de la parroquia y de los más necesitados: « El Señor da pan a los hambrientos ... el Señor sustenta al huérfano y a la viuda ».[12]

Francisca-Ana a lo largo de su vida obedeció a la voluntad de Dios. Una voluntad divina que a veces resulta difícil de discernir : de joven quiere ser monja y su padre se lo impide. Francisca-Ana ve en esta negativa paterna la voluntad de Dios : no puede ser monja en un convento, lo será en su propia casa por medio de una vida dedicada a la oración, a la mortificación y al apostolado.

Cuando a los cuarenta años queda sola en el mundo después de la muerte de sus padres y hermanos, ya sea por obediencia a su Director espiritual, ya sea porque las circunstancias sociopolíticas de su nación no se lo aconsejan, difiere la realización de su ideal de consagrarse

[9] *Ibid.,* pp. 56 s.
[10] Lc 16, 22.
[11] *Gli scritti,* p. 60.
[12] *Sal* 145, 7. 9.

a Dios por medio de los votos religiosos hasta casi el final de su vida, cuando cuenta setenta años de edad y funda en su propia casa el convento de la caridad.

Una vida llena de ineertidumbres, pero una vida en la que no hubo ningún obstáculo para servir en todo a Dios, porque Francisca-Ana había dado todo lo que tenía, es más, se había dado ella misma consagrándose a Dios en la virginidad.

Así, libre de todo lo que la pudiera atar a este mundo, combatió el combate de la fe[13] emprendiendo decididamente el camino de la perfección cristiana. En la beata Francisca-Ana de los Dolores de María el Señor nos da un magnífico ejemplo de saber anteponer el servicio de Dios al servicio de las riquezas y del mundo, de saber tener el corazón libre para consagrarlo y dedicarlo solamente a El.

6. Levando i nostri occhi verso questi nuovi Beati, possiamo ben dire che essi hanno conservato « senza macchia ed irreprensibile il comandamento ».[14] Hanno confidato nel Cristo, nella sua parola, ed hanno atteso la sua manifestazione ultima nella gloria della sua suprema ed unica regalità. Hanno perciò accolto il suo messaggio, seguendolo quaggiù povero ed umile, quali servi totalmente dediti ai fratelli. Con tale spirito essi hanno amato la Chiesa, l'hanno servita durante tutta la loro vita generosa, combattendo ((la buona battaglia della fede »,[15] come uomini e donne di Dio, come apostoli del Vangelo.

La loro è stata veramente una « bella professione di fede davanti a molti testimoni ».[16] Molti furono, in effetti, i testimoni che ammirarono i loro esempi, che udirono la predicazione, che accolsero il messaggio della consacrazione a Cristo nella preghiera e nelle opere di carità. Molti sono, ancor oggi, e proprio in questa solenne circostanza, coloro che, considerando la vicenda dei nuovi Beati, possono proclamare nella fede che Cristo è 1'« unico sovrano, ... il solo che possiede l'immortalità, che abita una luce inaccessibile, che nessuno fra gli uomini ha mai visto né "può vedere ».[17]

Gesù Cristo, che si è fatto povero perché diventasse ricco ogni uomo che ha seguito la sua chiamata -r- ciascuno di coloro che da oggi la

[13] *1 Tim* 6, 12.
[14] *Ibid.,* 14.
[15] *Ibid.,* 12.
[16] *Ibid.*
[17] *Ibid.,* 15-16.

Chiesa chiamerà Beati —, è in pari tempo il Re dei Re e il Signore dei governanti, l'unico che conosce l'immortalità che abita una luce irraggiungibile per l'uomo.

O Cristo Gesù!

Ti rendiamo grazie perché Tu introduci l'uomo nella santità, che è la vita di Dio stesso.

Ti rendiamo grazie per : Mceforo ed i suoi compagni martiri, per Lorenzo, Geltrude, Francesca-Anna.

Ti rendiamo grazie, o Cristo.

A Te la gloria e la potenza eterna. Amen.

ALLOCUTIONES

I

Ad exc.mum virum Boodhun Teelock, Insulae Mauricianae apud Sanctam Sedem Legatum.*

Mr Ambassador,

It gives me great pleasure to welcome you to the Vatican as you présent the Letters accrediting you as Ambassador Extraordinary and Plenipotentiary of Mauritius to the Holy See. I appreciate the kind greetings and good wishes which you have conveyed on behalf of His Excellency the Governor-General, the Prime Minister and the people of Mauritius. I would ask you to reciprocate with the assurance of my own good wishes and prayers for the peace and well-being of ali your f elio w-Citizens.

Sui status virtutes rectissime coluit, cumque diligentia et peritia variis est functa muneribus, quae ei sensim concredebantur, existimationem colligens apud Conditricem et Antistitam Generalem Sanctam Soledad Torres Acosta et apud Sorores sodales. Cum autem vitam cuperet intentiorem et austeriorem, die 22 mensis Iulii anno 1871, cum duabus sociis ab auctoritate ecclesiastica obtinuit ut illam relinqueret Congregationem, novum Institutum conditura, quod item de aegrotis curam adhiberet. Itaque post paucos dies Serva Dei Flaviobrigae domum principem instituit Sororum Servarum a Iesu, cuius constitutiones canonice approbatae sunt ab Episcopo Victoriensi anno 1874, a Sancta Sede vero semel et in perpetuum anno 1886. Die 18 Maii insequentis anni Serva Dei, quae interea nomen ceperat Sororem Mariam a Corde Iesu, professionem perpetuam fecit et electa est Antistita Generalis : quo munere interim ab anno 1875 fungebatur quodque ad mortem usque sine intermissione sustinuit.

Ea sapienter et prudenter moderante Institutum, quamvis bonorum inops esset et aliena currerent tempora, celeriter et valenter est sodalibus, domibus et operibus auctum. Officii conscia quod ei Dominus delegaverat, Serva Dei, huius auctus fundamentum iecit Sororum suarum formationem perennem, quas summa cum sedulitate educavit ad obsequium erga divinam gratiam, ad alacrem sui donationem pro dolorum corporis et animi proximi allevatione, ad oboedientiam erga Ecclesiam, ad perfectam votorum religiosorum et Regularum observantiam. Verbis, et magis exemplo, filias suas docebat caritatem

et sacrificium praecipuum esse alimentum cotidianum animarum, quae Domino placere volunt et mundo vere utiles esse. Instanter repetebat exercitium caritatis propositum esse Congregationis potissimum et animam quodammodo vitae consecratae et operum auxiliarium. Dicere solebat : « Ne credideritis, Sorores, curam aegrorum niti solummodo iis assidendo in eorum corporeis necessitatibus, nec pocillum sorbitionis dando, nec medicinae cochleari. Quivis hoc facit. Vera curatio ex corde proficiscitur, quae est : aegrum solari et confirmare, eius dolores tum corporis tum animi commiserari; eius aegritudines et gaudia communicare ». Ex aegrotis pauperes praesertim diligebat, quibus, minime eos humilians, cibum mittebat, vestes, medicinas. Volebat insuper infirmorum curationem esse verum apostolatum, ad animarum salutem atque ad regni Dei dilatationem spectantem. Providebat igitur ut morbus occasio fieret maioris sanctificationis et aegris et Sororibus, quae eos curabant, et cum quis sacramenta recusabat, ea deprecationes duplicabat et paenitentias ut eius obtineret conversionem.

Cum simplicitate et constantia omnia omnibus se faciebat, quoniam cor eius Dei erat plenum amoris. Caritate ardens omnibus diebus humiliter Dei voluntatem fecit et aequo animo sacrificia obiit continuas ac non paucas aegrimonias, ut in sua vocatione maneret utque suae religiosae familiae et populo Dei quam optime serviret. In doloribus repetebat : <(Haec omnia ad maiorem Dei gloriam offero et ad bonum Instituti cursum, ut per illud multi aegroti curentur et, si peccatores sint, ad Dominum convertantur ».

Iter confecit christianae perfectionis fide firmissima fulta in Domino inque veritatibus a magisterio Ecclesiae traditis. Animam suam copiose aluit divinorum mysteriorum contemplatione, praesentiae Dei exercitio et crebro usu deprecationis privatae et communis. Liturgiam magni existimavit, cui cum fervore intereret et cum fructu. Peculiarem coluit pietatem erga Eucharistiam, Iesum Infantem, Sacrum Cor et Virginem Mariam. Ut digna esset Christi discipula, se abnegavit, et crucem suam cum patientia cumque fortitudine tulit; eximie humilitatem explicavit, iustitiam, temperantiam et vota religiosa; Instituti Regulas diligenter observavit, omnibus exemplum praebens altae et solidae virtutis. Vel in dolore laeta erat, quandoquidem, inania mundi aversata spem suam in Deo collocaverat et in praemii aeterni exspectatione vivebat. Quae exspectatio, in misericordiae Dei fiducia posita, impensior facta est annis morbi diuturni et acerbi, qui eam

usque ad mortem prosecutus est, quae pie contigit die 20 mensis Martii anno 1912.

Ob sanctitatis famam, qua Serva Dei floruerat viva et post mortem, Episcopus Ploviobrigensis causam iniit eius canonizationis per celebrationem Processus Ordinarii Informativi (annis 1951-1954). Deinde a Dicasterio Sanctae Sedis, Sanctorum Causis tractandis praeposito, decreta edita sunt super scriptis (anno 1956), super Causae Introductione et super non cultu (anno 1972). Postmodo Causa delegata est Officio Historico-Hagiographico Congregationis pro Causis Sanctorum, quod *Positionem super virtutibus* praeparavit, anno 1982 proditam. Postero anno, die 12 mensis Octobris, Consultorum Historicorum Congressus auctus est, et die 11 mensis Iunii anno 1985 Congressus Consultorum Theologorum, quam alter secutus est die 24 mensis Iunii anno 1988, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali. In Aedibus Vaticanis, Causae Ponente Exc.mo D.no Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, die 20 mensis Iunii anno 1989 Congregatio Ordinaria habita est Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta denique de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum de heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die accitis ad Se infrascripto Cardinali Praefecto necnon Archiepiscopo Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Corde Iesu (in saec. Iosephae Sancho de Guerra), in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri iussit.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

6& Traianus Crisan
Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 2 Februarii 1990. — Archiepiscopali Ecclesiae Camerinensi-Sancti Severini in Piceno R. P. Franciscum Gioia, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae officialem, necnon Conferentiae Italicae Superiorum Provincialium Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum a secretis.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Emmanuelis Romero Arvizu, O.F.M., Episcopi Praelati Nayariani de Iesu et Maria, constituit R. P. Antonium Pérez Sánchez, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, curionem paroeciae vulgo « Santa Anita)) in archidioecesi Guadalaiarensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cercinitanae R. D. Marinum Srakic, e clero dioecesis Diacovensis, professorem Seminarii maioris eiusdem dioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Cyrilli Kos, Episcopi Diacovensis, seu Bosnensis et Sirmiensis.

die 6 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Nitriensi Exc.mum P. D. Ioannem Chrysostomum Korec, e Societate Iesu, hactenus Seminarii maioris Bratislaviensis rectorem.

die lJf Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Brunensi R. D. Adalbertum Cikrle, e clero eiusdem dioecesis, ad praesens Seminarii maioris Litomericensis rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Budovicensi R. D. Miloslav Vlk, curionem paroeciae S. Venceslai in urbe Öachrov, in eadem dioecesi exstantis.

— Cathedrali Ecclesiae Cassoviensi R. D. Aloisium Tkác, curionem paroeciae S. Nicolai Ep. in urbe Òervenica, in eadem dioecesi exstantis.

— Cathedrali Ecclesiae Neosoliensi R. D. Rodulfum Baláá;, curionem paroeciae S. Petri Ap. in urbe Turciansky Peter, in eadem dioecesi exstantis.

— Cathedrali Ecclesiae Rosnaviensi R. P. Eduardum Kojnok, curionem paroeciae S. Iosephi in urbe Gemerská Poloma, in eadem dioecesi exstantis.

die 21 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Paciensi in California Inferiori Meridionali R. D. Braulium Raphaelem León Villegas, e clero dioecesis Leonensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 25 Septembris 1989. — Cathedrali Ecclesiae Isirensi-Niangaraënsi Exc.mum P. D. Aemilium Aiti Waru Leru'a, hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis et Administratorem Apostolicum ((sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis)) dioecesis Dorumaënsis-Dunguensis.

die 7 Decembris. — Episcopum Coadiutorem Exc.mi P. D. Ioannis Valerii Sequeira, Episcopi Basseinensis, Exc.mum P. D. Ioannem Gabriel, hactenus Episcopum titularem Arensem in Numidia et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 18 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Taunggyiensi Exc.mum P. D. Matthiam U Shwe, hactenus Episcopum titularem Uzipparitanum et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Balasorenensi, noAdter erectae in India, Exc.mum P. D. Thomam Thiruthalil, Congregationis Missionis sodalem, hactenus Episcopum Berhampurensem.

die 22 Ianuarii 1990. — Titulari Ecclesiae Thunusudensi R. P. Germanum Grachane, Congregationis Missionis sodalem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Nampulensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sanggauensi R. P. Iulium Mencuccini, Congregationis Passionis Christi sodalem, hactenus Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

— Titulari Ecclesiae Assuritanae R. P. Iesum Stephanum Sadaba Perez, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, quem constituit Vicarium Apostolicum Aguaricoènsem.

— Archiepiscopum Coadiutorem E.mi Cardinalis Laurentii Rugambwa, Archiepiscopi Daressalaamensis, Exc.mum P. D. Polycarpum Pengo, hactenus Episcopum Tunduruensem-Masasiensem.

die 8 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Ieoniuensi R. D. Vincentium Ri Byong-ho, docentem Theologiae Dogmaticae maioris Seminarii Theologiae in oppido vulgo Kwangju.

— Cathedrali Ecclesiae Guluensi Exc.mum R. P. Martinum Luluga, hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis necnon Episcopum titularem Aquensem in Dacia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bisicensi R. P. Gustavum Giron Higuita, Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo sodalem, quem constituit Vicarium Apostolicum Tumacoënsem.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 23 Decembris 1989. — Exc.mum P. D. Mariam Calixtum Pakiam, Episcopum coadiutorem Trivandrensem Latinorum, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » Trivandrensis Latinorum dioecesis, in India.

die 1 Ianuarii 1990. — R. P. Caesarem Mazzolari, e Missionariis Combonianis Cordis Iesu, Administratorem Apostolicum <(sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Rumbekensis dioecesis, in Sudania.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali :

Venerdì, 23 Febbraio 1990, S. E. il Signor DANIEL CABEZAS, Ambasciatore di Bolivia presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in udienza :

Giovedì, 15 Febbraio 1990, S. E. il Signor SAMUEL KANYON DOE, Presidente della Eepubblica di Liberia.

Giovedì, 15 Febbraio 1990, nel Palazzo Apostolico Vaticano, il Santo Padre ha presieduto la riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Santa Sede.

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

24 febbraio 1990. Mons. Edward Nowak, Arciv. tit. el. di Luni, ***Segretario della Congregazione delle Cause dei Santi.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

10 gennaio 1990. Sua Beatitudine Michel Sabbah, Patriarca di Gerusalemme dei Latini; le LL. EE. i monsignori Orlando B. Quevedo, Arcivescovo di Nueva Segovia; Luciano Pedro Mendes de Almeida, Arcivescovo di Mariana; Stephen Fumio Hamao, Vescovo di Yokohama ; Edward R. Adams, Vescovo di Oudtshoorn; Oscar A. Rodríguez Maradiaga, Vescovo tit. di Pudenziana; Jan Nowak, Vescovo tit. di Gemelle di Bizacena; George Peli, Vescovo tit. di Scala; P. Yves Calvez, S.I. ; i Signori e le Signore YawoAgboyibor; Belisario Betancur; Patrick de Laubier; John Finnis; Manuela Mattioli; Ignazio Musu; Rosa Osuji; Eva Storrer; Luciana Turaga, ***Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace.***

» » » S. E. mons. Roger Mahony, Arcivescovo di Los Angeles; il Signor Jean Klein; il Signor Louis Sabourin, ***Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace «.in aliud quinquennium».***

10 gennaio 1990. Le LL. EE. i monsignori Serafini Fernandez de Araújo, Arcivescovo di Belo Horizonte; Giulio Nicolini, Vescovo di Alba; Cipriano Calderón Polo, Vescovo tit. di Tagora; i Sacerdoti Kevin Burton; Michel Di Falco; Peter Düsterfeld; Joan Pujol Balcells; Martin Tierney; i Padri Pasquale Borgomeo, S.I. ; Pedro Briseno Chavez, S.S.P.; David Eley, S.I.; Peter Henrici, S.I.; Attilio Monge, S.S.P. ; Suor Giovannamaria Carrara, F.S.P.; i Signori Richard Daw; Virgil Dechant; Gian Maria Fara; James McDonnell; Jerry O'Sullivan-Ryan; Hans Peter Röthlin, *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali.*

» » » S. E. mons. Alojzy Orszulik, S.A.C., Vescovo tit. di Vissalsa ; i Monsignori Alvaro Del Portillo ; Francesco Ceriotti; Fernand Franck; Jesús Irigoyen Urtasun ; i Sacerdoti Tom Connelly ; Valerio Crivelli; i Padri John O'Brien, S.I,; Patrick Casserly, S.M., Ettore Segneri, S.D.B., *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».*

14 » Le LL. EE. i monsignori : Ibrahim Hélou, Arcivescovo di Saida dei Maroniti; James Francis Stafford, Arcivescovo di Denver; George Peli, Vescovo titolare di Scala, *Membri Vescovi diocesani della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

» » » Le LL. EE. i monsignori : Paul Verdzekov, Arcivescovo di Bamenda; Antonio Palenzuela Velazquez, Vescovo di Segovia, *Membri Vescovi diocesani della Congregazione per la Dottrina della Fède «in aliud quinquennium)).*

» » » P. Christian Troll, S.I., e P. Joseph Stamer, P.A., *Consultori della Commissione per i rapporti religiosi con i Musulmani, presso il Pontificio Consiglio per il Dialogo inter-religioso.*

16 » » L'Em. Sig. Card. Bernard Law, Arcivescovo di Boston, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti.*

25 S. E. mons. Salvatore de Giorgi, al presente, Arcivescovo di Taranto, *Assistente Ecclesiastico Generale dell'Azione Cattolica Italiana « ad triennium ».*

» » » S. E. mons. Salvatore De Giorgi, Assistente Ecclesiastico Generale dell'Azione Cattolica Italiana, *Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Famiglia.*

25 gennaio 1990. S. E. mons. Salvatore De Giorgi, Assistente Ecclesiastico Generale dell'Azione Cattolica Italiana, *Consultore della Congregazione per i Vescovi.*

3 febbraio » Le LL. EE. i monsignori Theodore E. McCarrick, Arcivescovo di Newark; Virgilio Noè, Arcivescovo tit. di Voncaria ; Laszlo Danko, Arcivescovo di Kalocsa; Gilbert Aubry, Vescovo di Saint Denis de la Réunion; Severo Aparicio Quispe, O. de M., Vescovo tit. di Vegesela di Numidia; Pietro Garlato, Vescovo di Palestrina; Rev. Abbate Patrick Barry, O.S.B. ; i Monsignori Charles Molette; Janusz St. Pasierb; Augustin Blujaki; i Sacerdoti Giancarlo Menis; Claude Turmel; Manuel Ponce Zavala; Angel Sancho Campo; Giancarlo Santi; i Padri Josef Metzler, O.M.I.; Léonard Boyle, O.P.; Tarsicio Piccari, O. P.; José Roberto Devellard; Jaime Vêlez Correa, S.I.; Tewelde Bey ene, O.F.M. Cap.; Ryogo Yuki, S.I.; David Jaeger, O.F.M. ; I Signori Prof. Carlo Pietrangelo Prof. Francesco Sisinni; Prof. Hector Schenone; Toni , Diederich; Maria Natalia Correia Guedes, *Consultori della Pontificia Commissione per la Conservazione del Patrimonio Artistico e Storico della Chiesa.*

NECROLOGIO

8 febbraio 1990. Mons. Adam Nestor, Vescovo emerito di Sion *(Svizzera).*
10 » » Mons. Pierre Pham Tan, Vescovo di Thanh Hoa *(Vietnam)*.
12 » » Mons. Joseph P. Denninc, Vescovo tit. di Mallo.
» » » Mons. Elias Mutale, Arcivescovo di Kasama *(Zambia).*
16 » » Mons. Arcangelo Cerqua, Vescovo emerito di Parintins *(Brasile).*
18 » » Mons. Pietro Gazzoli, Vescovo tit. di Forflamme.
» » » Mons. Gabriel Dwatuka Wagi, Vescovo emerito di Rumbek *(Sudan).*

Recens nuntiatum est Vidonem Atilium Previtali, episcopum tit. Sorusenum in Libya die 11 decembris a. 1989; Alfonsum Höfer Hombach, episcopum tit. Thébanum in Phtiotide die 15 decembris a. 1989, et Iosephum Rajappa, episcopum Khammamensem die 27 decembris a. 1989, de vita decessisse.

An. et vol. LXXXII 9 Aprilis 1990 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Liberato Weiss, Samueli Marzorati et Michaeli Pio Fasoli, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Venit hora ut glorificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam, et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodiet eam» *(Io* 12, 23-26). His reputatis, quae Christus maerore affectus discipulis paulo ante proposuit, quam in Cruce ipse ad salvandos homines se devoveret, tam decretoriae agendi rationi suam omnino vitam ac mortem fidentes accommodaverunt famuli Dei Liberatus Weiss, Samuel Marzorati ac Michael Pius Fasoli, qui tres Ordinis Fratrum Minorum sodales erant atque presbyteri. Etenim, ut Filius hominis profecto glorificatus est, quod Patri paruit usque ad mortem, mortem autem crucis, ita et memorati Christi discipuli hanc ob causam certis sunt laudibus illustrati, quod Divinum Magistrum tam firmiter secuti sunt usque ad martyrium, ut, haud aliter ac iustus Abel, ipsius Domini Iesu figura, intrepidi suum sanguinem super terram effusum viderint. Adhuc in animo resonare ea videntur, quae beatus Frater Franciscus de quinque ex prioribus sui Ordinis sodalibus, qui sibi martyrii glo-

riam quaesiverant, pronuntiavisse dicitur : « Nunc dicere possum quinque mihi esse Fratres Minores » *(An. Franc.* III, App. I, p. 593). Ii veri sunt Fratres Minores, qui, beatum Franciscum imitati germanique facti sectatores Christi, aeque ac primi discipuli. Domini, vitam perdere non dubitant Fidei et Evangelii custodiendi causa.

Liberatus Weiss, qui in Bavarico oppido « Konnersreuth » intra fines dioecesis Ratisbonensis anno MDCLXXV est natus, Laurentium in Baptismate nomen accepit et anno MDCXCIII, aetatis suae duodevicesimo, Ordinem Fratrum Minorum ac monasterium in Austria ingressus est Gradeciense, in Styriae regione ; sibique is illic sodalis nomen Liberatum indidit. Cumque Vindobonae in studia incubuisset philosophica ac theologica, sacerdos factus est anno MDCIIC.

Samuel Marzorati, anno MDCLXX in Italico oppido « Biumo Inferiore » apud Barentium natus, x mensis Septembris die, ibi in Baptismate nominibus appellatus est Antonio et Francisco. Pueriles ipse annos vixit in monasterio B. V. Mariae N/untiatae Fratrum Minorum, qui « Reformati » tunc vocabantur, quorum sodalis nomine Samuel est factus. Sacerdos dein sacratus non dubitavit aperte petere sibi facultatem vocationis suae missionalis specialem in modum colendae, ita nempe, ut suo tempore ad Missiones probe paratus proficisci posset. Proinde concessum est ei, ut Romae apud Ianiculense Monasterium Franciscale Sancti Petri in Montorio missionalem suam perficeret institutionem in Collegio ad id condito.

Michael Pius Fasoli, qui ad annum MDCLXX in Italia natus est, Papiensi in oppido « Zerbo », ingressus est Ordinem Fratrum Minorum Pedemontana in provincia olim Sancti Didaci in Insubria. Sacerdos recens factus operam utique scientiis docendis theologicis iam dabat, at fere statim voluntatem ipse manifestavit ad Aethiopicas Missiones proficiscendi. Ordo Fratrum Minorum, re ante id tempus studiosus oecumenicae consuetudinis cum Ecclesia Aethiopica instaurandae, iam singulariter optabat, ut Sodalitas amicitiae ac pacis nonnullisque ex Fratribus constans illic conderetur, qui sodales pauperibus deservirent ac aegrotis, neque dubitarent debita cum observantia Aethiopicos adiuvare fideles ad plenam in recta Fide coniunctionem cum Apostolica Sede repetendam. Cumque rem publici Aethiopiae magistratus secundare viderentur, necnon praecavendum ceteroqui esset, ne tot profugorum Christifidelium fides periclitaretur contactu Macometifidelium, Sancta Sedes statuit anno MDCXCVII ut in Aethiopia Missio restitueretur.

Fratrum Minorum Ordo se Ecclesiae totum obtulit, summique eius Moderatores enixe sodalibus instituerunt, ut in promptu quisque esset, perinde ac si ad eiusmodi Missionem in Aethiopiam mitteretur. Frater Samuel Marzorati cum se inter primos paratum dixisset, tribus post annis, quam Missio ab Apostolica Sede restituta erat, Romae iam morabatur in praecipuam institutionem vel magis complendam omni studio intentus, quae sibimet comparanda videretur. Item et Fratres Liberatus Weiss et Michael Pius Fasoli, novae suorum Moderatorum postulationi concedentes, anno MDCCIII iam apte instructi omnino erant atque ad aggrediendum missionale opus parati. Alius alio tempore aliusque aliam per viam in Aethiopiam profecti, arcano sane providoque Dei consilio inter se tum convenerunt, cum « Gondar » in urbe potestas condendae Missionis tandem est facta. Congregatio enim de Propaganda Fide cum statuisset, ut in Aethiopiam ingressus retentaretur, uno tempore, seu die XX mensis Aprilis a. MDCCXI, in munere Praefecti Apostolici Fratrem Liberatum Weiss constituerat, cuius ad latus Fratres Samuel et Michael Pius adiutores essent.

Ab anno MDCCXI ii tres usque ad annum MDCCXVI, quo martyrium tulerunt, operati sunt ibi. Id singulare quidem fuit, quod missionale experti sunt opus, atque difficile. Quibus enim doctrinae rationibus a Macometanis illi differunt Christifideles, qui sunt a Sancta Sede seiuncti, iisdem terminalibus rationibus nostri continebantur Fratres Minores, atque, tempus utcumque exspectantes quo Evangelium nuntiare possent, Macometano interea populo clarum vitae simplicis et pauperis amoreque omnes prosequentis testimonium dabant. Technicas Christifidelibus obtulerunt artes medicorum et pictorum et aurificum, necnon aëris fusorum proprias, quas peropportune ipsius actionis missionalis causa ii didicerant. Quaestiones autem, quae separationis causa esse viderentur, eas et doctrina instructis et sociae illius Ecclesiae principibus proponebant, ut in dialogo excuterentur sincero ac iusto. At ipsa, pro !, separata Ecclesia, recto beneque animato nostrorum missionariorum famulatu prorsus neglecto, vexationem concitavit in eos. Eiusmoldi est martyrium eorum, ut vetustarum venustatem « passionum », quae primos ad martyres Ecclesiae pertinent, prae se ferat. Hi namque ipsi martyres nostri, suam tuiti Christianam Fidem, hac re condemnati sunt, necnon in iudicium adducti : « Christifideles sumus » — confessi sunt — «a Summo Pontifice ad hoc missi, ut, iustam praebentes vobis viam, veram et sanctam vos doceamus Christianam Fidem ». Accusati de haeresi Aethiopicae Copiarum Ecclesiae, qua

nempe duplex, seu divina et humana, negabatur Christi natura, « binas utique naturas » — firmissime declaraverunt — « agnoscentes profitemur easque profitebimur ad postremam usque cruoris stillam ».

Iidem, rei facti Christi Eucharistici credendi, prompte se Fidem Eucharisticam dixerunt numquam deserturos esse, « etsi ea de causa se miliens mori oporteret ». Ob Fidem igitur Christi etiam lapidationis poena affecti, tunc, in secretum sub monte ((Amba-Abó » adducti, ibi, die in mensis Martii anno MDCCXVI, denudati caesi sunt obruti saxis. Fere statim mortuus est Frater Liberatus pauloque post Frater Samuel, Frater autem Michael Pius ter a lapidum cumulo emersit. Abditi sunt tamen confestim saxorum cumulo quisque suo, qui et gloriosum idem fuit cuiusque sepulcrum; ibidem, adversis rebus obstantibus, ne dignior illis tribueretur humationis honor, adhuc corpora eorum requieverunt ad nostros usque dies.

Itemque post eorum martyrium eventus historiae plures, qui Italiam ducentos exinde et quinquaginta per annos affecerunt, ut antea v.g. eversio Gallica ac deinde abrogatio Ordinum Religiosorum, impedi - verunt ne mature causa Beatificationis inchoaretur eorundem Servorum Dei.

Annis autem MCMXXXII-MCMXXXIII cognosci causa coepta est Viennensi informativo quem dicunt processu necnon Rogatorialibus cum Monachii in Bavaria tum Ratisbonae ac Mediolani Processibus, una simul cum brevi « Actorum supplemento » in Aethiopia confecto. Die XVI mensis Maii Historiae Consultorum sessione anno MCMLXXXIV facta, peculiaris deinde consessus « super Martyrio » anno MCMLXXXVII est celebratus die xv mensis Decembris. Patres vero Cardinales atque Episcopi, Ponens cum esset Em.mus Iosephus Card. Casoria, anno MCMLXXXVIII Ordinarium Coetum die i mensis Martii celebraverunt. Votis interea Congregationis de Causis Sanctorum comprobatis, Ipsi Nos statuimus ut Decretum conficeretur « super Martyrio ».

Quod ipsum hoc vertente anno Nobis adstantibus recitatum die xxvni mensis Martii declaravit constare de martyrio Liberati Weiss, Samuelis Marzorati et Michaelis Pii Fasoli. Denique, sicut paulo post nuntiavimus, in hunc mensis Novembris xx diem etiam tempus eorum Beatificationi declarandae praestituimus. Apte ergo hoc ipso die liturgici ritus acti sunt hic Romae in Patriarchali Basilica Petriana, ubi Servi Dei Liberatus Weiss, Samuel Marzorati, Michael Pius Fasoli et Catharina Drexel ad Beatorum honores sunt evecti hac quam pronuntiavimus formula : « Nos, vota Fratrum Nostrorum Pauli Tzadua, Ar-

chiepiscopi Neanthopolitani, Ioannis Hermann! Groër, Archiepiscopi Viennensis atque Antonii Bevilacqua, Archiepiscopi Philadelphiensis Latinorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei *Liberatus Weiss, Samuel Marzorati, Michael Pius Fasoli* et Catharina Drexel Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : *Liberati Weiss, Samuelis Marzorati* et *Michaelis Pii Fasoli* die tertia Martii ; Catharinae Drexel die tertia Martii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti)).

Sueta etiam oratione habita de vita ac virtutibus Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Novembris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.

93. AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 289.157.

II

Venerabili Servae Dei Gertrudi Comensoli Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Uti antea, sic hodie, non fit in Ecclesia sanctitatis progressus, quin prosperi exitus fidem trahat ex eucharistico mysterio. Item, in provincia vitae socialis, summa pacis et iustitiae, aequitatis et genuinae libertatis bona, vehementer ab hominibus huius aetatis optata, non tamen obtenta vel post conatus immanes et acerbas experientias, plures et efficaciores socios haberent, si crebriores essent proborum multitudines, qui ex Sacramento Dei-nobiscum viverent » *(Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII,* vol. XV [1953-1954] 298, Tip. Pol. Vaticana 1954).

In vita fidelium et Ecclesiae Eucharistiam centrum esse pro certo habuit et excellenter testificata est etiam Venerabilis Serva Dei Gertrudis Comensoli, quae ex mysterio eucharistico, sedulo meditato atque

adorato, fideliter et amanter didicit vestigiis insistere divini Magistri et vires hausit, quibus Deo et animis cum magnanimitate et constantia serviret a iuventute usque ad ultimos vitae dies.

Venerabilis Serva Dei in pago Bienno orta est, intra fines dioecesis Brixiensis, die 18 mensis Ianuarii a. 1847 a Carolo Comensoli et Anna Maria Milesi, qui ei in baptismate nomen indiderunt Catharinam. Puellula, divinae gratiae respondens et bonae educationi qua est in familia instructa, coepit ostendere vehemens studium amandi Deum et singularem erga Eucharistiam atque Virginem Mariam religionem. Iam tum statuit nullum alium sponsum habere nisi Christum et tempus insumere, potius quam in iocis puerilibus, in proximi servitio, in deprecatione et in paenitentia. Confessore moderante omni ope nisa est in via christianae perfectionis progredi, utque hoc obtineret propositum instituit, praeter cetera, in diligenter exercenda oboedientia, humilitate, abnegatione sui atque perfecta cum divina voluntate consensione, omne vel veniale peccatum voluntarium fugiens. Solum Iesum amare contendit et efficere ut amaretur tantumque in hac mente confirmata est, ut putaret se posse illam plene perficere in sola vita consecrata. Qua re anno 1862 ingressa est Institutum Filiarum a Caritate in oppido Lovere (in dioecesi Brixiensi), sed paucis post mensibus propter valetudinis causam domum rediit. Anno 1864 sodalis facta est Societatis Filiarum Sanctae Angelae Merici. Novitiarum magistra est creata et apostolatui se dedit apud puellas et puerulos, quos saepe coram Iesu Eucharistico adducebat. At interea fervor, quo ad illud usque tempus flagraverat, minui coepit et, quorundam propinquorum familiaritate diducta, rerum mundi inanium illecebram experta est. Sed amor in Deum superavit et in eius animo iterum et in perpetuum dominatus est.

Anno 1869, ob difficiles familiae condiciones oeconomicas ad famulatum migravit praepositi Clariensis et postea nobilis dominae S. Gervasii ad Adduam, in dioecesi Bergomensi siti. Suis famulae minime neglectis munibus, alacriter in res spiritus incubuit et, una cum aliquibus puellis, in apostolatum apud iuventutem femininam inque misericordiae operas. Eodem tempore inveteratam appetitionem ad exitum adduxit condendi Institutum Religiosum adorationi eucharisticae colendae; quod evenit die 15 mensis Decembris anno 1882, cum approbatione Episcopi Bergomensis et auxilio sacerdotis Servi Dei Francisci Spinelli, qui primus fuit Superior orientis Congregationis a Sanctissimo Sacramento. Biennio post Serva Dei cum quinque sociis vestem

religiosam induit nomenque cepit Sororem Gertrudem a Ss.mo Sacramento. Opus, prudenter a Oonditrice gubernatum, initio celeriter crevit et copiose : vocationes frequentes concurrebant et parentibus orbatae, quibus administrabatur, continenter numero augebantur. Sed tempus venit, cum durissimum factum est discrimen, quod Institutum acerbe laceravit et ad patrimonii naufragium adduxit. In his,rebus adversis Venerabilis Serva Dei eminuit eximio spiritu humilitatis, patientiae et caritatis; ex animo rerum, quae acciderant, noxiis ignovit et, auxilio fisa Providentiae, carptam viam non dereliquit sed Congregationem recreavit, quae prudentiae causa ad tempus se contulit in dioecesim Laudensem, ubi ab illo Episcopo est canonice approbata, die 8 mensis Septembris anno 1891. Insequenti anno Venerabilis Serva Dei professionem perpetuam fecit. Bergomum reversa, reliquam vitam egit generose nitens, utpote Antistita Generalis, pro regimine sui Instituti et pro Sororum formatione, quas sapientibus institutionibus et magis etiam exempli bonitate ad Dei et pauperum amorem educavit.

Quod ceteros docebat, ipsa diligentissime explicabat, constanter et cum spiritus gaudio. Omnibus videbatur nihil aliud appetere, nisi in Christi imitatione progredi sine intermissione et omnibus viribus agere pro Dei regni auctu super terram. Magna fide fulta et industria caritate, se familiaritate Domini delectabat et diligenti eius voluntatis exsecutione. Ut Deo placeret, continuo se ipsam abnega vit, crucem suam fortiter et laete tulit, paenitentiam exercuit et voluntariam castigationem, vota religiosa rectissime observavit, assidua fuit in precatione tum privata tum communi, et praesertim sedula et fervida in adoratione Ss.mae Eucharistiae, quam appellabat suum in terris paradisum, inque eius cultu fovendo in Sororibus et in populo. Constans cum Christo spiritalis coniunctio purum et indefatigatum in ea aluit amorem in proximum. Namque tamquam vera mater fuit Sororibus et puellis parentibus orbatis, quas eius Congregatio curabat; sollicita erat de animarum salute ac de infidelium peccatorumque conversione; maerentes consolabatur et aegrotos; überaus in pauperes erat, prompta ad ignoscendum offendentibus ; deprecabatur et ad deprecandum hortabatur pro Purgatorii poenas animis luentibus. Dilectae Ecclesiae obsequens et grata doctrinam et normas est secuta et sincera veneratione est Romanum Pontificem prosecuta, Episcopos et sacerdotes, quos suis cotidianis precibus sustinebat.

Omnia quae gloriae Deo erant et proximo utilitati humiliter faciebat et prudenter, prompte et gratuito, incommodorum neglegens

exinde adversus eam orientium. Ita se gessit usque ad extremos vitae dies et, cum necopinato morbo correpta in conspectu mortis fuit, magna cum tranquillitate, uti solebat, ad Dei voluntatem se conformavit. Priusquam de hoc mundo excederet Sorores est allocuta: «Regulae observantiam suadeo vobis, silentium, castigationem, paupertatem, oboedientiam ». Aeternitatem intravit, ad quam semper contenderat, die 18 mensis Februarii anno 1903, postremum ad tabernaculum respiciens.

Fama sanctitatis, quam sibi viva comparaverat, mansit, quin crevit post mortem; quocirca Episcopus Bergomensis Causam iniit eius canonizationis celebratione Processus Ordinarii Informativi, annis 1928-1932. Summus Pontifex Pius XII eius Causae introductionem decrevit die 4 mensis Iunii anno 1941; postea actus est Processus Apostolicus. Consuetis expletis inquisitionibus apud Sacram id temporis Rituum Congregationem, die 26 mensis Aprilis anno 1961, coram Summo Pontifice Ioanne XXIII, est promulgatum Decretum, quo agnoscebatur Venerabilem Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse. Post haec, apud Curiam episcopalem Tubaraoënsem in Brasilia instructus est Processus canonicus de coniecta sanatione divinitus affecta pueri Solani Pavarin. Inspecto casu, exitu cum secundo, a Consilio Medicorum et dein a Consultoribus Theologis atque a Patribus Cardinalibus et Episcopis, per Decretum die 13 mensis Maii anni 1989 confessi sumus illam sanationem esse vere miram habendam utque talem deprecationi tribuendam Venerabilis Servae Dei Gertrudis Comensoli. Postillac statuimus ut beatificationis ritus Romae celebraretur Calendis Octobribus eodem anno.

Hodie, igitur, in foro ante Vaticanam Basilicam Sancti Petri, inter sacra hanc formulam ediximus : « Nos, vota Fratrum nostrorum Raphaelis Tori ja de la Fuente, Episcopi Civitatis Regalensis, Fiorini Tagliaferri, Episcopi Viterbiensis, Iulii Oggioni, Episcopi Bergomensis, et Theodori Ubeba Gramage, Episcopi Maioricensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Nicephorus Diez Tejerina et viginti quinque socii, martyres, Laurentius Maria Salvi, *Gertrudis Catharina Comensoli* et Francisca Anna Cirer Carbonell Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Nicephori Diez Tejerina et viginti quinque

Sociorum, martyrum, die vicesima tertia Iulii, Laurentii Mariae Salvi die duodecima Iunii, *Gertrudis Catharinae Comensoli* die decima octava Februarii et Franciscae Annae Cirer Carbonell die vicesima septima Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Haec, quae decrevimus, nunc et in posterum firma et rata esse volumus, rebus quibuslibet contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die primo mensis Octobris anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri undecimo.

S AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco 98 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 251.079.

III

Beatae Mariae Virginis Lauretanae sacrarium in oppido Forio Isolano locatum ad Basilicae Minoris dignitatem attollitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Magna sane afficimur laetitia, in Isclana insula Beatae Mariae Virginis cultum antiquam repetere memoriam cum videamus, ibidem saeculorum decursu eiusdem venerationem pergere vel potius increbrescere. Nihil mirum igitur in frequens celebreque sanctuarium Virgini Lauretanae dicatum idemque in oppido Forio Isclano situm complures concessisse Cardinales Episcoposque, Reges Principesque, quod tota insula marialis cultus primarium habebatur iure meritoque locum. Nec desunt ibidem venusta artificia, quibus templum ipsum locupletato quaeque sunt pietatis fidelium testimonia. His propositis rebus, libentes quidem occurrere Venerabilis Fratris Antonii Pagano, Episcopi Isclani, precibus censuimus, qui et suum significans propositum et cleri fideliumque, instanter postulaverat ut sacra aedes, Beatae Mariae Virgini dicata, titulo à Nobis ac dignitate ornaretur Basilicae Minoris. Quapropter omnino comprobantes ea quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum decrevit, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine, templum quod supra memoravimus in numerum referimus Basilicarum

Minorum, additis pariter iuribus ac privilegiis quae cum condicione hac nectuntur. Neque neglegantur ea quae Decretum « De titulo Basilicae Minoris)) praescribit, die vi mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus. Ceterum haud mediocris Nos tenet spes, aucta sacrarii dignitate, sacerdotes inibi, religiosos, consociaciones fidelesque cunctos novum suscepturos incitamentum ergaque Matrem caelestem renovatum studium, unde christiana res magnum accipiat beneficium.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

83 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 250.097.

IV

Templum cathedrale S. Stanislao Kostka dicatum idemque in Lodzensi locatum urbe ad gradum evehitur Basilicae Minoris.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Saeculorum decursu sanctos caelites quantopere coluerit fidelis populus, satis ostendunt cum multa cetera, tum innumera per orbem terrarum templa. Quae res omnino ab Ecclesia probatur, quin immo fovetur, cum ipsi hominum suscipiant apud Deum validum patrocinium. Volentes libentesque igitur Venerabilis Fratris Ladislai Ziólek, Episcopi Lodzensis, satis facere postulatis censuimus, qui mentem quoque significans cleri fideliumque efflagitavit ut cathedralem aedem, S. Stanislao Kostka dicatam, in sua dioecesi sitam, in urbe scilicet Lodzensi, titulo ac dignitate Basilicae Minoris ornaremus. Nam templum istud quamvis ineunte hoc saeculo conditum, magnum habet pondus estque veluti columen fidei erga gentes quae circa sunt atque assidue frequentatur.

Itaque ea rata habentes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, factis quondam a Nobis facultatibus, Apostolica Nostra usi auctoritate, cathedrale templum quod supra memoravimus in numerum referimus Basilicarum Minorum, addimus pariter iura ac privilegia quae cum id genus sacris aedibus nectuntur,

dum memoramus Decretum servandum « De titulo Basilicae Minoris)) die vi mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus. Pro explorato tandem habemus fidem christianamque actionem inibi florere, sed hac concessa dignitate uberiores fructus fore ut gignantur vehementer speramus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Decembris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco 9B Sigilli
In Secret. Status tab., n. 251.186.

DECLARATIO

a Summo Pontifice et ab Archiepiscopo Cantuariensi die II m. Octobris a. MCMLXXXIX in Vaticanis aedibus subsignata.

After worshipping together in the Basilica of Saint Peter and in the Church of Saint Gregory, from where Saint Augustine of Canterbury was sent by Saint Gregory the Great to England, Pope John Paul II, Bishop of Rome, and His Grace Robert Runcie, Archbishop of Canterbury, now meet again to pray together in order to give fresh impetus to the reconciling mission of God's people in a divided and broken world, and to review the obstacles which stili impede closer communion between the Catholic Church and the Anglican Communion.

Our joint pilgrimage to the Church of Saint Gregory, with its historie association with Saint Augustine's mission to baptize England, reminds us that the purpose of the Church is nothing other than the evangelization of ail peoples, nations and cultures. We give thanks together for the readiness and openness to receive the Gospel that is especially evident in the developing world, where young Christian communities joyfully embrace the faith of Jesus Christ and vigorously express a costly witness to the Gospel of the Kingdom in sacrificial living. The word of God is reeeived, "not as the word of man, but as what it really is, the word of God".[1] As we enter the last decade of the

[1] *1 Thess* 2:13.

second millennium of the birth of Jesus Christ, we pray together for a new evangelization throughout the world, not least in the continent of Saint Gregory and Saint Augustine where the progressive secular - ization of society erodes the language of faith and where materialism demeans the spiritual nature of humankind.

It is in such a perspective that the urgent quest for Christian unity must be viewed, for the Lord Jesus Christ prayed for the unity of his disciples "so that the world may believe".[2] Moreover Christian disunity has itself contributed to the tragedy of human division throughout the world. We pray for peace and justice, especially where religious différences are exploited for the increase of strife between communities of faith.

Against the background of human disunity the arduous journey to Christian unity must be pursued with détermination and vigour, whatevër obstacles are perceived to block the path. We here solemnly re-commit ourselves and those we represent to the restoration of visible unity and full ecclesial communion in the confidence that to seek anything less would be to betray our Lord's intention for the unity of his people.

This is by no means to be unrealistic about the difiiculties facing our dialogue at the présent time. When we established the Second Anglican-Roman Catholic International Commission in Canterbury in 1982, we were well aware that the Commissione task would be far from easy. The convergences achieved within the report of the First Anglican-Roman Catholic International Commission have happily now been accepted by the Lambeth Conference of the bishops of the Anglican Communion. This report is currently also being studied by the Catholic Church with a view to responding to it. On the other hand, the question and practice of the admission of women to the ministerial priesthood in some Provinces of the Anglican Communion prevents reconciliation between us even where there is otherwise progress towards agreement in faith on the meaning of the Eucharist and the ordained ministry. These différences in faith reflect important ecclesiological différences and we urge the members of the Anglican-Roman Catholic International Commission and all others engaged in prayer and work for visible unity not to minimize these différences. At the same time we also urge them not to abandon either their hope or work for unity. At the

[2] ***Jn* 17:21.**

beginning of the dialogue established here in Rome in 1966 by our beloved predecessors Pope Paul VI and Archbishop Michael Ramsey, no one saw clearly how long-inherited divisions would be overeóme and how unity in faith might be achieved. No pilgrim knows in ad vanee all the steps along the path. Saint Augustine of Canterbury set out from Rome with his band of monks for what was then a distant corner of the world. Yet Pope Gregory was soon to write of the baptism of the English and of "such great miracles ... that they seemed to imitate the po wer s of the apostles"[3] While we our sel ves do not see a solution to this obstacle, we are confident that through our engagement with this matter our conversations will in fact help to deepen and enlarge our understanding. We have this confidence because Christ promised that the Holy Spirit, who is the Spirit of Truth, will remain with us forever.[4]

We also urge our clergy and faithful not to neglect or undervalue that certain yet imperfect communion we already share. This communion already shared is grounded in faith in God our Father, in our Lord Jesus Christ, and in the Holy Spirit, our common baptism into Christ ; our sharing of the Holy Scriptures, of the Apostles' and Nicene Creeds; the Chalcedonian définition and the teaching of the Fathers; our common Christian inheritance for many centuries. This communion should be cherished and guarded as we seek to grow into the fuller communion Christ wills. Even in the years of our séparation we have been able to recognize gifts of the Spirit in each other. The ecumenical journey is not only about the remo val of obstacles but also about the sharing of gifts.

As we meet together today we have also in our hearts those other Churches and Ecclesial Communities with whom we are in dialogue. As we have said once before in Canterbury, our aim extends to the fulfilment of God's will for the visible unity of ali his people.

Nor is God's will for unity limited exclusively to Christians alone. Christian unity is demanded so that the Church can be a more effective sign of God's Kingdom of love and justice for all humanity. In fact, the Church is the sign and sacrament of the communion in Christ which God wills for the whole of his création.

[3] *Letter of Gregory the Great to Eulogius of Alexandria.*

* Cf. *Jn* 14:16-17.

Such a vision elicits hope and patient détermination, not despair or cynicism. And because such hope is a gif t of the Holy Spirit we shall not be disappointed ; for "the power at work within us is able to do far more abundantly than all we ask or think. To him be glory in the Church and in Christ Jesus to all générations for ever and e ver. Amen".[5]

© ROBERT CANTUAR. IOANNES PAULUS PP. II

HOMILIA

In Vaticana basilica habita, ob decretos Dei Servis Philippo Siphong et Sociabus eius, Timotheo Giaccardo et Mariae a Iesu, Beatorum caelitum honores.*

1. ((Ma il Figlio dell'uomo, quando verrà, troverà la fede sulla terra? »-[1]

In questa Domenica la Chiesa affronta con profonda umiltà questa domanda e cerca di dare ad essa una risposta Si tratta infatti di un interrogativo, reso oggi particolarmente pressante perché si celebra la « Giornata Missionaria Mondiale ». Che cosa sono le missioni? Di che cosa parlano le schiere di missionari e di missionarie, ecclesiastici e laici, in tutta la terra? Che cosa testimonia l'attività missionaria di tutte le Chiese locali e della Sede Apostolica, in particolare della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli? Di che cosa parlano le Pontificie Opere Missionarie e quelle diocesane?

Tutto questo vuol dire : noi, tuoi discepoli, noi, tua Chiesa, o Cristo, o Figlio dell'uomo, desideriamo con tutta l'anima la tua Venuta alla fine della storia ! Desideriamo che, quando verrai, Tu trovi la fede sulla terra.

« Guai a me se non predicassi il Vangelo ! »,[2] grida ancora oggi con l'Apostolo dei Gentili tutta la Chiesa.

2. Facciamo nostra perciò l'accorata esortazione di Paolo, proclamata nella seconda lettura : « Ti scongiuro davanti a Dio e a Cristo

[5] *Eph* 3:20-21.

* Die 22 m. Octobris a. 1989.

[1] *Le* 18, 8.

[2] *1 Cor* 9, 16.

Gesù che verrà a giudicare i vivi e i morti, per la sua manifestazione e il suo regno : annunzia la parola, insisti in ogni occasione opportuna e non opportuna, ammonisci, rimprovera, esorta con ogni magnanimità e dottrina ».[3]

Sì, Paolo, amante instancabile di Cristo ! Sì, Apostolo dei Gentili ! Noi accogliamo il tuo grido, la tua pressante invocazione, così come l'accolse Timoteo, il tuo discepolo amato.

Desideriamo annunziare la parola. Desideriamo insistere in ogni occasione opportuna e non opportuna, desideriamo esortare con tutta magnanimità e lungimiranza.

Questo ci è stato insegnato dalle schiere dei santi missionari, che di generazione in generazione non hanno cessato di lavorare nella vigna del Signore. La messe è molta ! La messe è continuamente molta !

3. Quindi noi preghiamo il Padrone della messe perché mandi operai.[4]

15. Quod si una simul huiusmodi veritates considerentur, pulcherrima admiratione perspicitur in Christianarum rerum veritate omnia supra modum perfici vota, quae in orationibus aliarum religionum inveniuntur, neque hac de causa personam eiusque creaturalitatem ad nihilum reduci et evanescere in magno mari Absoluti. Altissima Chri-

[16] Cf. Const. Past. *Gaudium et spes,* 19, 1: «Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione hominis ad communionem cum Deo consistit. Ad colloquium cum Deo iam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim existit, nisi quia, a Deo ex amore creatus, semper ex amore conservatur; nec plene secundum veritatem vivit, nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat».

[17] Cf. verba Divi Thomae de eucharistia: «...proprius effectus huius sacramenti est conversio hominis in Christum, ut dicat cum Apostolo: Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus *(Gal* 2, 20)» *(In IV Sent.,* d. 12 q. 2 a. 1).

stianorum asseveratio « Deus caritas est » *(1 Io* 4, 8), conciliare potest perfectam coniunctionem cum alteritate amantem inter et amatum, cum aeterno commercio cum aeternoque colloquio. Deus ipse est huiusmodi commercium atque nos participes re effici vera possumus Christi, ut ((filii adoptionis», et cum Filio in Spiritu Sancto clamare «Abba, Pater». Iure igitur Patres locuti sunt de hominis divinizatione, qui, cum concorporatus sit Christo, Dei Filio suapte natura, per eius gratiam particeps fit eiusdem divinae naturae, veluti « filius in Filio ». Christifidelis accipiens Spiritum Sanctum glorificai Patrem atque participat revera trinitariam Dei vitam.

V. QUAESTIONES METHODOLOGICAE

16. Omnes fere magnae religiones, quae coniunctionem cum Deo per orationem quaesiverunt, etiam iter ad eam consequendam apparaverunt. Cum autem « Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt » [18] reiciat, nullum est habendum praeiudicium nullaque habenda contemptio erga earum indicationes, propter id quod Christianae non sint. E contra excerpi ex eisdem potest quidquid utile est, salvis Christianae orationis notione eiusque logica structura et exigentiis; ad intra enim huiusmodi totalitatis illa fragmenta iterum concipienda atque assumenda sunt. Inter quae annumerari potest imprimis humilis acceptio probati magistri in orationis vita eiusque praeceptorum, secundum notam ac constantem Christianorum experientiam inde ab aevis antiquioribus, et a Patrum in deserto degentium temporibus. Qui magister, expertus in sensu Ecclesiae, non solum ducere discipulos et monere eosdem debet, ne quibusdam periculis cedant, sed etiam ut spiritualis « pater », introducere eos debet, infiammato cum animo, et, ut ita dicam, cor cordi apponens, in orationis vitam, quod donum est Spiritus Sancti.

17. Serior aetas classica non Christiana libenter consuevit tres gradus in perfectionis via distinguere : primum purificationis, alterum illuminationis, tertium coniunctionis. Quam doctrinam exemplarem habuerunt plures Christianae spiritualitatis scholae. At huiusmodi schema, quod per se valet, tamen aliquantulum definiendum est, ut recte a Christianis intellegatur vitenturque periculosae confusiones ac interpretationes.

[18] Decl. *Nostra aetate,* 2.

18. Dei quaestionem per orationem praecedant oportet ac sequantur ascesis et peccatorum errorumque purificatio, qua iuxta Dominicas Beatitudines tantum ii qui mundo sunt corde Deum videbunt (cf. *Mt* 5, 8). Potissimum Evangelica praecepta ad purificandos mores de absentia veritatis et amoris impellunt atque, in ordine altiore, omnes egoisticas passiones, quae impediunt quominus homo agnoscat ac adimpleat Dei integram voluntatem. Non enim passiones, qua tales, sunt negativae (ut Stoici et Neoplatonici opinabantur), sed earum egoistica inclinatio, quam Christifidelis exuere debet, ut perveniat ad illum positivae libertatis statum, quem Christiana aetas classica ((apatheiam » vocabat, Aetas autem quae dicitur Media « impassibilitatem » et Liber Spiritualium Exercitiorum Sancti Ignatii « indifferentiam ».[19] Quod impossibile evadit si desit extrema abnegatio, ut probatur a Sancti Pauli verbis, aperte utentis vóce ((mortificatione» (peccati inclinationum).[20] Huiusmodi tantum abnegatio hominem liberum reddit Dei voluntatem perficiendi ac participandi Spiritus Sancti libertatem.

19. Recte est igitur interpretanda doctrina eorum magistrorum, qui spiritum « vacuefaciendum » esse ab omni sensuum repraesentatione ac notione suadent, firma tamen amantis ad Deum attentione manente, ita ut vacuum in orante maneat quod deinde divinis divitiis impleri poterit. Vacuum quod Deus exigit est reiectio egoismi, non autem necessario contemptio rerum creatarum, quas ipse donavit et in quibus nos posuit. Exploratum est in oratione animum intendendum esse in unum Deum atque esse excludendas, quantum fieri potest, mundanas res, nos egoismo nostro alligantes. Huius doctrinae praeclarus exstitit doctor S. Augustinus : Si Deum invenire cupis, inquit, exteriora omnia contemne atque in te ipsum redi; noli tamen immorari in te ipso, sed transcende te ipsum, quia tu Deus non es : Ipse excelsior et maior te est. « Quaero substantiam eius in anima mea, et non inverno : meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, et per ea quae facta sunt, "invisibilia Dei" *(Rm* 1, 20) mei cupiens intellecta conspicere ».[21] « In se ipso commorari » : ecce periculum certum. Magnus Ecclesiae Doctor monet ut redeamus in nosmetipsos, sed etiam ut transcendamus personam nostram, quae non est Deus, sed tantum creatura.

[19] S. Ignatius a Loyola, *Ejercicios espirituales,* 23 et passim.

[20] Cf. *Col* 3, 5; *Born* 6, 11 ss. ; *Oal* 5, 24.

[21] S. Augustinus, *Enarrationes in Psalmos,* XLI, 8: *PL* 36, 469.

Deus est «interior intimo meo et superior summo meo i).[22] Deus est enim in nobis et nobiscum sed transcendit nos in mysterio suo.[23]

20. Sub aspectu dogmatico, impossibile evadit ad perfectam Dei caritatem pervenire, si praetermittatur Dei suipsius donatio in Filio, qui caro factus, crucifixus est et resurrexit. In Ipso, ducente Spiritu Sancto, participamus, gratuita liberalitate, vitam intradivinam. Cum Dominus Iesus dicit: «Qui vidit me, vidit Patrem» *(Io* 14, 9), non tantum habet in animo visionem et scientiam exteriorem suae humanae figurae (« caro non prodest quidquam », *Io* 6, 63), alioqui potius intendit de visione, quae possibilis fit per fidei gratiam, de visione scilicet earum rerum, quas de Deo, per sensibilem sui manifestationem, Dominus Iesus, ut Patris Verbum, intendit profecto ostendere (« Spiritus est, qui vivificat... verba quae ego locutus sum vobis, Spiritus sunt et vita sunt», *ibid.).* In huiusmodi «visione» non est quaestio de abstractione mere humana (« abs-tractio ») a figura, in qua Deus revelatus est, sed de divina realitate attingenda in humana Iesu figura, scilicet de attingendo aspectu divino et aeterno in eius temporalitate. Innitentes verbis S. Ignatii in opere cui titulus est *Exercitia Spiritualia,* nobis omnibus attingenda sunt « odor munitus ac dulcedo infinita divinitatis » (n. 124), proficiscendo ab finita veritate revelata a qua exorsi sumus. Nos extollendo, Deus libere valet nos «vacuefacere » ab rebus omnibus, quibus in hoc saeculo tenemur, ac ex toto nos trahere in trinitariam suae aeternae caritatis vitam. Tamen, hoc donum traditur tantum « in Christo per Spiritum Sanctum », non autem per propriam virtutem, seposita eius revelatione.

[22] S. Augustinus, *Confessiones,* 3, 6, 11: *PL* 32, 688. Cf. *De vera Religione,* 39, 72: *PL* 34, 154.

[23] Splendidum exemplar Christiani ac positivi sensus « evacuationis » a creaturis elucet in S. Francisco, Pauperculo Assisiensi. Qui, cum abrenuntiaverit creaturis propter amorem Domini, propterea eas plenas eius praesentiae et fulgentes in dignitate sua, qua Dei creaturas, contemplatur, tacitosque earundem modos orditur in Cantico creaturarum (cf. C. Esser, *Opuscula Sancti Patris Francisci Assisiensis,* Ed. «Ad Claras Aquas», Grottaferrata - Roma 1978, pp. 83-86). Eadem ratione perscribit in « Epistola ad fideles » : « Omnis creatura, quae est in caelis, in terra, in mari et in abyssis *(Ap* 5, 13) reddat laudem Deo, gloriam, honorem et benedictionem, quia ipse est vita et fortitudo nostra, qui est solus bonus *(Lc* 18, 19), solus altissimus, solus omnipotens, admirabilis, gloriosus et solus sanctus, laudabilis et benedictus per infinita saecula saeculorum. Amen» (ib., *Opuscula*p. 124). S. Bonaventura inducit Franciscum in omni creatura audientem Dei vocem et effundentem animam suam in hymno immortali gratitudinis et laudis (cf. *Legenda S. Francisci,* cap. 9, n. 1, in *Opera Omnia,* ed. Quaracehi 1898, vol. VIII, p. 530).

21. In vitae Christianae progressu purificationem sequitur illuminatio per caritatem, quam Pater nobis donat in Filio et per unctionem, quam ab eo suscipimus in Spiritu Sancto /cf. *1 Io* 2, 20). Inde ab antiquitate Christiana memoratur « illuminatio », quae in baptismo traditur, quaeque Christifideles, divinis initiatos mysteriis, introducit ad cognoscendum Christum per fidem, quae per caritatem operatur. Quinimmo nonnulli ecclesiastici auctores explicite pertractant de illuminatione, in baptismo tradita, tamquam de fundamento illius eminentis scientiae Christi Iesu (cf. *Phil* 3, 8), quae definitur «theoria» seu contemplatio.[24]

Christifideles, baptismi gratia, vocantur ad progrediendum in scientia et in testimonio reddendo fidei, mysteriis, « ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intellegentia».[25] Nullum Dei lumen cassas reddit fidei veritates. E contra illuminationis gratiae, quas Deus fortasse concedere potest, potius sunt auxilio ad aptius declarandam altissimam mysteriorum rationem, quas Ecclesia sancta confitetur et celebrat, exspectans ut Christifidelis videre Deum possit sicuti est in gloria (cf. *1 Io* 3, 2).

22. Christifidelis orans demum pervenire potest, Deo adiuvante, ad peculiarem experientiam unionis. Sacramenta, praesertim baptismum et eucharistia,[26] initium reale sunt unionis Christifidelis cum Deo. Super huiusmodi fundamentum, per peculiarem Spiritus gratiam, persona orans vocari potest ad illam peculiarem formam unionis cum Deo, quae « mystica » in Christiana provincia appellatur.

23. Christianus profecto indiget certis temporibus ad secedendum in solitudinem, ad secum meditandum, ad suumque iter apud Deum inveniendum; sed cum suapte natura sit creatura, et talis creatura, quae sciat se in tuto non esse nisi in gratia, suus ad Deum appropinquandi modus non innititur certae rationi technicae, stricto verbi sensu, quoniam id contradiceret infantiae spirituali, quam praedicat Evan-

[24] Cf. ex. gr. S. Iustinus, *Apologia* I, 61, 12-13: *PG* 6, 420-421; Clemens Alexandrinus, *Paedagogus* I, 6, 25-31: *PG* 8, 281-284; S. Basilius Caesariensis, *Homiliae diversae,* 13, 1: *PG* 31, 424-425; S. Gregorius Nazianzenus, *Orationes,* 40, 3, 1: *PG* 36, 361.

[25] Const. dogm. *Dei Verbum,* 8.

[26] Eucharistia, quae definitur in Constitutione dogmatica *Lumen gentium* «totius vitae Christianae fons et culmen » (11), realiter participes nos efficit Dominici corporis, in eaque « ad communionem cum Eo elevamur » (7).

gelium. Christiana ac germana mystica nihil cum technica commune habet, cum semper sit donum Dei, quo indignum sentit se esse, quisquis illud susceperit.[27]

24. Non desunt certae gratiae mysticae, quibus ditantur, exempli gratia, ecclesialium institutionum fundatores pro universa sua fundatione, necnon alii sancti, quae denotant eorundem peculiarem orationis experientiam, et eas ceteri Christifideles nequeunt, qua tales, imitari neque postulare, etiamsi sint eidem institutioni adscripti, atque optent orationem in diem perfectiorem.[28] Dari possunt gradus diversi et diversi modi participandi experientiam orationis cuiusdam fundatoris, neque his omnibus eadem forma necessario est conferenda. Ceterum orationis experientia quae locum habet praestantem in omnibus institutionibus vere ecclesialibus antiquis et modernis, semper, ad summam, manet quiddam personale, cum Deus personis ipsis gratias suas largiatur in ordine ad orationem.

25. In qua re mystica distinguenda sunt Spiritus Sancti dona et charismata, quae Deus liberrime largitur. Quorum priora sunt quiddam, quod Christifidelis quisque novo vigore refovere in se potest per fidei spei et caritatis studiosam vitam, atque hoc modo per fortem ascesim pervenire ad certam Dei et fidei veritatum experientiam; posteriora autem, ad mentem S. Pauli, sunt data praesertim ad Ecclesiam fovendam, scilicet pro Corporis Christi mystici ceteris membris (cf. *1 Cor* 12, 7). Hac in re, reminiscendum est sive charismata non aequari donis extraordinariis (« mysticis ») (cf. *Rm* 12, 3. 21), sive distinctionem inter « Spiritus Sancti dona » et « charismata » fluentem esse posse. Constat autem quodlibet charisma, fecundum pro Ecclesia, exerceri non posse, in provincia neotestamentaria, quin certum perfectionis personalis gradum quis sit consecutus; ex altera parte, patet etiam Christiano cuique ((vivo » munus esse peculiare (et hoc sensu « cha-

[27] **Cf. S. Teresia a Iesu,** *Castillo interior* **IV, 1, 2.**

[28] **Nullus homo orans, absque speciali gratia, postulare debet totalem illam Dei revelationis visionem, qualem S. Gregorius Magnus habuisse S. Benedictum testatur, vel illum mysticum impetum Francisci Assisiensis, Deum contemplantis in cunctis creaturis, vel visionem aeque totalem, quam habuit S. Ignatius apud flumen Cardoner, de qua ipse testatur sibi Sacrae Scripturae locum profecto usurpare eam potuisse. «Nox obscura», quam declarat S. Ioannes a Cruce, pars est personalis eius orationis charismatis, eamque sodalis quisque eiusdem ordinis non necessario experiri eodem modo debet ad eam adipiscendam orationis perfectionem, ad quam vocatur a Deo.**

risma ») « in aedificationem Corporis Christi » (cf. *Eph* 4, 15-16),[29] in communione cum catholica Hierarchia, cui «speciatim competit, non Spiritum exstinguere, sed omnia probare et quod bonum est tenere » *[LG,* 12).

VI. METHODI PSYCHOPHYSICAE-CORPOREAE

26. Humana experientia declarat corporis positionem ac habitum nonnihil posse conferre ad animum secum colligendum et ad spiritum disponendum, propter quod ad ea nonnulli spirituales auctores Orientis et Occidentis Christiani attento animo intenderunt.

Eorum considerationes quasdam licet habeant communes rationes cum meditationis methodis orientalibus non Christianis, tamen devitant earum nimia ac in unam tantum partem propendentia, quae e contra saepe hodie proponuntur hominibus adhuc rudibus.

Huiusmodi spirituales auctores ea sumpserunt elementa, quae adiutorio sunt ad animum colligendum in oratione, agnoscentes insimul eorum vim contingentem : utilia enim sunt, si ad Christianam fovendam orationem restaurantur.[30] Ieiunium, ut exemplum afferamus, apud Christianos imprimis significationem induit exercitii poenitentiae ac abstinentiae, sed iam apud Patres etiam finem habuit reddendi hominem propensiorem ad occurrendum Deo, Christianumque magis idoneum ad se dominandum et insimul magis sedulum erga fratres egentiores.

In oratione homo totus Deum attingere debet et ideo etiam suum corpus positionem debet assumere aptiorem ad animum secum colligendum.[31] Haec positio symbolice exprimere potest orationem ipsam, cum possit esse varia, pro variis culturis et personali vi sentiendi. In nonnullis regionibus Christifideles nostris temporibus in dies magis animadvertunt quantum corporis positio possit orationem fovere.

[29] Christifidelis vocatio ad «mysticas» experientias includere potest tum id quod S. Thomas denotat ut experientiam vivam Dei per Spiritus dona, tum formas non imitabiles (et ideo non exposcendas) gratiae donationis. Cf. S. Thomas de Aquino, *Summa Theologiae,* I[a]-II[ae], a. 1 c, et a. 5 ad 1.

[30] Conferantur ex. gr. antiqui scriptores, qui de orantis habitu corporis pertractant, a Christianis orantibus adhibito: Tertullianus, *De oratione* XIV: *PL* 1, 1170; XVII: *PL* 1, 1174-1176; Origenes, *De oratione* XXXI, 2: *PO* 11, 550-553, necnon de significatione huiusmodi habitus: Barnabas, *Epistula* XII, 2-4: *PO* 2, 760-761; S. Iustinus, *Dialogus* 90, 4-5: *PG* 6, 689-692; S. Hippolytus Romanus, *Commentarium in Dan.* III, 24: *GCS* I, 168, 8-17; Origenes, *Homiliae in Ex.* XI, 4: *PG* 12, 377-378. De corporis positione conferatur etiam Origenes, *De oratione* XXXI, 3: PG 11, 553-555.

[31] Cf. S. Ignatius a Loyola, *Ejercicios espirituales,* 76.

27. Christiana meditatio Orientis[32] magni fecit symbolismum psychophysicum, quo saepe caruit oratio in Occidente. Huiusmodi Symbolismus potest proficisci a certo corporis habitu, usque ad fundamentales vivendi functiones, quales sunt respiratio et cordis pulsus. Exercitium « Domini Iesu orationis », exempli causa, quod aptatur rhythmo naturalis respirationis, potest, saltem ad tempus, opportunum auxilium afferre plerisque.[33] Ceteroqui, ipsi magistri orientales exploraverunt etiam non omnes esse aeque idoneos ad huiusmodi symbolismum adhibendum, quia non omnes valent a materiali signo ad spiritualem rem quaesitam transire. Quod si Symbolismus inadaequate ac non recte intellegatur, idolum prorsus fieri periclitatur et ideo impedire elevationem spiritus ad Deum. Vivere in ambitu orationis totam realitatem proprii corporis ut symboli admodum difficilius est, cum id in quendam corporis cultum possit degeneran, atque inducere ad omnes sensationes spiritualibus experientiis subrepticie adaequandas.

28. Aliqua corporis exercitia ultro producunt quietis et tranquillitatis sensationes, gratificantes sensus, fortasse vel lucis et caloris phaenomena, spirituali felicitati similia. Quae accipere pro germanis Spiritus Sancti consolationibus, prorsus non rectus modus est iter spirituale concipiendi; pariter eisdem tribuere symbolicas significationes, experientiae mysticae peculiares, si moralis agendi ratio ipsi contradicat, quaedam mentalis schizophrenia est, quae psychicas secumfert perturbationes ac morales, interdum, gravissimos errores.

Quod tamen non impedit quominus meditationis germanae exercitationes, quae.in Oriente Christiano sunt ortae et apud magnas religiones non Christianas sunt usitatae, quaeque alliciunt hominem nostrorum temporum tam alienatum ac turbatum, constituere possint aptum instrumentum ad orantem adiuvandum, ut ante Deum adstet interius relaxatus, etsi eum urgeant externae curae.

Non est tamen obliviscendum habitualem coniunctionem cum Deo, vel habitum interioris vigilantiae et divinum auxilium invocandi, quae

[32] Cf. ex. gr. anachoretae hesychasti. Hesichia, seu quies exterior et interior, tamquam orationis conditio ab anachoretis habetur; in sua forma orientali notas habet solitudinis ac technicae rationis ad animum colligendum.

[33] Exercitium «Domini Iesu orationis», quod consistit in iteranda formula, plurimis referta biblicis et in vocationis et obsecrationis indicationibus (ex. gr. «Domine Iesu Christe, Fili Dei, miserere mei »), valde accommodatur rhythmo respirationis naturalis. De qua re cf. S. Ignatius a Loyola, *Ejercicios espirituales,* 258.

in libris Novi Testamenti appellatur « oratio continua »,[34] non necessario cessare, si quis incumbat, iuxta Dei voluntatem, etiam ad operis et proximi curae officium, hortante Apostolo : « Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite » *(1 Cor* 10, 31). Germana oratio enim, ad mentem praecipuorum rerum spiritualium magistrorum, in orantibus ardentem caritatem inducit, quae ipsos urget ad collaborandum cum Ecclesiae missione et ad fratribus serviendum ad maiorem Dei gloriam.[35]

VII. « EGO SUM VIA »

29. Omnis Christifidelis quaerere debet et invenire potest in varietate ac divitiis orationis christianae, quam Ecclesia docet, iter suumque orandi modum; sed huiusmodi viae personales confluunt, ad ultimum, in illam viam ad Patrem, quam Iesus Christus se esse proclamavit. In quaerenda sua via igitur unusquisque non tam suis se agitari permittet personalibus iudiciis, quam a Spiritu Sancto dirigi, qui per Christum eum ducit ad Patrem.

30. Etiam personae actuose oranti non deerunt tempora, quibus sibi ipsi tamquam errans in deserto videbitur, nihil de Deo « sentiens », licet totis viribus nitatur. Noverit tamen huiusmodi tentationes nulli parcere personae, orationi serio deditae. Sed ipsa huiusmodi experientiam, omnibus communem Christianis orantibus, ne adaequaet illico « obscurae noeti » mysticae. Verum tunc oratio, quam firmiter tenere nitatur oportet, speciem fortasse inducet cuiusdam « artificiositatis », quamquam agitur reapse de re toto caelo diversa : etenim tunc exhibetur velut expressio fidelitatis eius erga Deum, ante cuius conspectum manere desiderat etiam cum nullam recipiat subiectivam consolationem.

In his momentis, quae specie tantum negativa videntur, id manifestum apparet, quod orans re quaerit vera: utrum scilicet quaerat Deum, qui semper eum superat in sua libertate infinita, an se ipsum

[34] Cf. *1 Th* 5, 17 et *2 Th* 3, 8-12. Ex huiusmodi textibus oritur quaestio: quomodo orationis continuae officium conciliari potest cum operis officio. Cf. inter ceteros S. Augustinus, *Epistula* 130, 20: *PL* 33, 501-502, et S. Ioannes Cassianus, *De institutis coenobiorum* III, 1-3: *SC* 109, 92-93. Conferatur etiam *Orationis demonstratio* primi Syriacae Ecclesiae patris Afraatis, praesertim nn. 14-15, pertractantes de « Orationis operibus », ut vocantur (cf. J. Parisot, *Afraatis Sapientis Persae Démonstrations,* IV: *PS* I, 170-174).

[35] Cf. S. Teresia a Iesu, *Castillo interior* VII, 4, 6.

solum, qui nequit suas « experientias » superare, sive quae videntur « experientiae » positivae coniunctionis cum Deo, sive quae videntur « experientiae » negativae mystici « vacui ».

31. Caritas Dei, quod obiectum est unicum Christianae contemplationis, manet talis realitas, qua « potiri » nulla methodus vel technica possit ratio; quin immo intenti oculi coniciendi sunt in Iesum Christum, in quo divina caritas propter nos pervenit usque ad crucem, adeo ut Ipse vel assumpserit condicionem derelicti a Patre (cf. *Me* 15, 34). Deo est ergo remittendus modus, quo Ipse participes nos effici statuit amoris sui. Attamen numquam, nullo modo, conandum est nos aequare obiecto contemplationis, libero amori scilicet Dei, ne tunc quidem cum, ex misericordia Dei Patris, per Spiritum Sanctum, qui missus est in corda nostra, nobis gratuito donetur in Christo, sensibilis repercussus huius divini amoris et sentiamus nos esse quasi attractos veritate ac bonitate et pulchritudine Domini.

Quod magis datur cuidam creaturae, ut ad Dominum propinquet, eo magis crescit in ea reverentia ante Deum ter Sanctum. Intellegitur tum verbum S. Augustini « Tu licet dicas amicum, ego confiteor servum »,[36] vel illud familiarius verbum quod prompsit ex ore mulieris quam gratificatus est ipse Deus summa sua ac intima familiaritate : « Respexit humilitatem ancillae suae » *(Lc* 1, 48).

Hanc Epistulam in Conventu Plenario huius Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 15 Octobris 1989, in festo Sanctae Teresiae a Iesu.

IOSEPH card. RATZINGER, *Praefectus*

£B Albertus Bovone
archiep. tit. Caesarien. in Numidia
Secretarius

[36] S. Augustinus, *Enarrationes in Psalmos* CXLII, 6: *PL* 37, 1849; cf. etiam *Tract, in Ioh.* IV, 9: *PL* 35, 1410: «Quando autem nec ad hoc dignum se dicit, vere plenus Spiritu Sancto erat, qui sic servus Dominum agnovit, et ex servo amicus fieri meruit».

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

I

PALENTINA

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Raphaelis Arnáiz Barón, Oblati Ordinis Cisterciensium Reformatorum (1911-1938).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Quia melior est dies una in atriis tuis super milia, elegi ad limen esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum » *(Ps* 84, 11). Hoc psalmistae versiculo perstringi posse illud experimentum Absoluti videtur quod iuvenis Servus Dei Raphael Arnáiz Barón fecit, cum vita ipsi orbem aperiret maximarum acceptissimarumque promissionum humanitus iudicatarum.

Transiens enim Dominus cor illius prof usum et magnanimum inibi signum arcanum impressit et indubium vocationis suae prius ad Trappensem austeritatem pauloque dein post ad lentam quandam ac progredientem sine reditu Calvariam. Et Dei Servus se abripi sivit ac « relictis omnibus » Magistrum usque ad culmen est secutus ut viginti quinque dumtaxat natus annos suam efficere posset Sancti Pauli exclamationem : « Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum » *(Phil* 1, 21).

Ipse quidem conscius iam sibi impendentis finis in pulcherrimorum una paginarum inter innumerabiles scriptiones suas, fratri scilicet dedicata bellum gerenti, describit exponitque hanc suam responsionem Amori integram veluti si sic quartum suum defendat simul introitum in coenobium Trappense : « Si quando videas multitudinem peccatorum et miserorum, aegrorum et leprosorum sequi Iesum teque vocari et locum inter eius assectatores tribui ab eo, si te oculis illis suis divinis respiciens amore, teneritate, indulgentia fulgentibus dicat tibi : "Quare non me sequeris", quid tandem agas? [...]. Comitem te, licet extremus sis — extremus inquam — turmae Iesu iungas eique fatearis : "Venio, Domine, nec mea refert qui dolores mei sint neque quid

mors nec quid sibi comedere velit neque quid dormire : me si recipis, venio [...] quoniam unicus es animam meam qui comples" ».

His demum sermonibus Servus Dei, etsi nesciens, rationem et modum praestitit quo celerrimus ipsius explicaretur montis perfectionis ascensus.

Burgi nempe die 9 mensis Aprilis anno 1911 in Hispania ortus e ditiore domo medii ordinis, christiana fide penitus imbuta, uti quattuor fratrum ipse primogenitus, quorum tres sese in religiosa vita Domino devoverunt, apud sodales Societatis Iesu studia usque ad lycaeum perfecit, primum Burgi deinde Oveti, deindeque operam architecturae dedit Matriti. Abundantia ipse auctus humanitatis et indolis tenerioris, ad exteriorem vitam conversus, omniaque in optimam accipiens partem et iuvenilis animi necnon singularis cuiusdam sensus artium, sciebat quidem consociare permagnum suum vivendi gaudium cum intenta pietati vita altoque religionis cum affectu, qui eius circiter 18° aetatis anno generavit in animo principia certa interiora alicuius consecrationis plenae. Ita profecto est factum ut autumno anno 1933, novissimo scilicet militaris eius operis, ille cuidam definito respondens interiori mandato statueret studia apud universitatem interpellare modo suscepta iterum, quo facilius et sine ulla mora « Absolutum » in Trappensi coenobio Sancti Isidori de Dueñas per sequeretur.

Illuc namque se contulit tamquam postulans die 15 mensis Ianuarii anno 1934, unoque secundum ius canonicum mense transacto probationis, sacrum induit habitum novitiatus subsequenti die 18 mensis Februarii.

Cum primum illud quadragesimale tempus austerum traduxisset laetanti aliquo sese devovendi studio, vehemens et prorsus inclemens diabetes in eius irrupit vitam atque inopinatam eiusdem vitae mutationem effecit, ut statim videlicet redire domum cogeretur ad sollicitasque et amantes matris suae curas.

Postquam vero accuratae sedulaeque curationes diligenter peractae eum passae sunt recuperare certum aliquod metabolicum aequilibrium, ter omnino a Superioribus petivit licentiam impetravitque ut ad monasterium Trappense remigrare permitteretur, etiamsi velut simplex ((oblatus », quandoquidem canonicae regulae haud illum sinerent, visis iis valetudinis condicionibus, ad monastica nuncupanda admitti vota. Itaque in coenobio proprio, illucescente die 26 Aprilis mensis anno 1938, Servum Dei viginti septem modo natum annos postremus aegrotationis impetus aftlixit et exstinxit brevem illius et exercitam terrestrem militiam, saeviente simul universam per Hispaniam bello intestino. Ad triginta sodales monachi coenobii eius ad arma arcessiti

erant in quorum spiritalem corporeamque salutem ipse suam obtulerat vitam; unde omnes aliquando salvi remeaverunt et incolumes. Tumulatus is in clausura est Sancti Isidori.

Huius Servi Dei decursus vitae omnibus iam elucet apparetque in augescente aliquo studio fidelitatis et devotionis, cum cupiditate se dedicandi atque participandi « mysterium Crucis », animo simul ecclesiali patente sine limitibus ad veras res mundi illius temporis et illuc spectante, et suas quoque partes afferat ad opus communis redemptionis in intima aliqua et abscondita coniunctione cum Divino Crucifixo, secundum Apostoli asseverationem iam interea propriam factam : ((Adimpleo ea quae desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia» *(Col* 1, 24).

Quae omnia sensa et cogitata perpetuo alebantur vita plena orationis, quae potissimum signabatur inexpugnabili quadam proclivitate ad Christum Eucharisticum ad pietatemque immensam erga Virginem Matrem.

Exstat praeterea peculiaris Servi Dei gratia sive proprietas scriptorum. Animus enim permovetur, cum quis animadvertit quo pacto *laicus nostrae aetatis adulescens,* iniectus scilicet plenissime in sui temporis ferventes quaestiones (qui cursus quidem educationis religiosae ac socialis adiit, verum numquam nec philosophiae scholasticae studuerat nec theologiae dogmaticae, quin non modo patrologiae haud incubuerat et biblicae explicationi sed ne Latine quidem noverat), tamen assequi adeo altam potuerit cognitionem « mysterii Crucis », cui eximia adhaerebat perspicuitas et experientia vitae asceticae atque mysticae necnon « habitus » contemplativus communem hominum condicionem prorsus excedens. Animum pariter percellit quod hic Dei Servus ubertatem mentis suae complures in paginas profundere illa subtilitate potuit illaque notionum et vocum integritate ut Censores Theologi ac Relator Causae ipsique Consultores ne minimum quidem invenire valuerint doctrinae rectae vitium. Neque id solum accidit in eo ; sed iidem etiam periti una consensione se attonitos esse fatebantur coram adeo redundante flore « sapientiae » rerum divinorum, ut loqui aperte licuerit de donis supernaturalibus omnino extra ordinem.

Se per Hispaniam maxima celeritate sanctimoniae fama disseminavit propter ascetica maxime opera, quae consensum excitaverunt hominum egregium. Ad eius itaque sepulcrum magis confluebant magisque sacri peregrinatores plurimaeque sunt eius deprecationi assignatae gratiae, quarum nonnullae miraculorum modum attingere videntur.

Apud Palentinam dioecesim Ordinarius Processus adornatus est a die 10 mensis Maii anno 1962 ad 30 Aprilis anno 1967; atque Oveti

similiter Processus Rogatorialis a die 25 Iunii mensis anni 1962 peractus est ad diem 8 Iulii anno 1963. Ibi sunt quidem viginti septem interrogati testes, quorum tres dumtaxat *de auditu* ceteri vero viginti quattuor *de visu* : familiares et amici, superiores et confratres, magistri studiorumque socii ac domestici famuli. Hoc ipso tempore vivunt etiamnum duo Servi Dei fratres (Cartusiensis P. Ferdinandus et iuris peritus Leopoldus) ; sicut etiam inter vivos versatur primus eius confessarius communitatem apud Trappensem, qui primus item fuit Causae postulator.

Scriptionum Servi Dei cumulus maximus « ad normam iuris » perdiligenti et accuratissimae est perscrutationi subditus duorum Censorum Theologorum, quorum suam quisque protulerunt sententiam, magnis rationibus instructam laudibusque refertam. Exinde decretum « super revisione scriptorum » die 25 mensis Ianuarii prodiit anno 1974.

Ad Congregationem autem pro Causis Sanctorum « Positio super introductione Causae » delata ab Actoribus est die 10 Ianuarii anno 1980, de qua tribus post annis die 15 mensis Ianuarii Promotor Fidei Generalis, « votum » maximam sane partem secundum exhibuit qui de quibusdam solum rebus explicationem ulteriorem poposcit.

Deinde ex « Normis » a Sede Apostolica mense Ianuario anno 1983 promulgatis, curaverant Causae Actores ut conficeretur « Positio super virtutibus », quae subtiliter investigata a mortuo interea Relatore, apud Congregationem de Causis Sanctorum deposita est die 16 mensis Iulii anno 1987.

Praemissis itaque praemittendis, ventum est ad disceptandas Servi Dei virtutes, proposito scilicet dubio an eaedem, tam théologales quam cardinales eisque adnexae, heroum in modum exercitae essent. Id quidem primum, die 12 mensis Maii hoc anno 1989, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 11 subsequentis mensis Iulii, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Congregationi de Causis Sanctorum praepositorum, ponente Em.mo Cardinali Antonio Innocenti. Et utraque in congressione omnes qui aderant responsum dederunt afiirmativum.

De hisce omnibus rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota huius Congregationis rata habens, ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus conscriberetur praecepit.

Quod cum rite esset factum, hodierna die, accitis ad se Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de iure convocandis, eisque astantibus,

Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Raphaelis Arnáiz Barón, Oblati Ordinis Cisterciensium Reformatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum ex Arce Gandulfi, die 7 mensis Septembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ffi S.

83 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

AQUIPENDIEN, ET CURIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Iacobi a S. Aloisio (in saec.: Iacobi Gianiel), Laici professi Congregationis Passionis D.N.I.C. (1714-1750).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et onus meum leve)) *(Mt* 11, 29 s.). Historiae christianae saeculorum cursu animae vere evangelicae hanc Divini Magistri fervidam adhortationem alacriter acceperunt, libenter dulce crucis onus obeuntes et constanter in viis progredientes humilitatis atque mansuetudinis.

In humilitate inque occultatione breve suum confecit iter terrenum Servus Dei Iacobus a S. Aloisio, qui sui ipsius Deo integrum do-

num maturavit et perfecit in imitatione magni apostoli et mystici saeculi XVIII Sancti Pauli a Cruce (aa. 1694-1775), Congregationis Passionis Conditoris.

Iacobus Gianiel ortus est die 3 mensis Martii anno 1714 in viculo *Tinizong,* intra fines dioecesis Curiensis, in Grisonia Confoederationis Helveticae, a Ioanne et Anna Maria Durbant, agricolis et pistoribus, quorum quartus filius fuit et ultimus. Alius filius, dominus Nicolaus, sacerdos fuit et parochus optimus in dioecesi Curiensi. Servus Dei eodem die, quo est natus, baptizatus in ecclesia S. Biasio dicata, sacramentum accepit Confirmationis in propinquo oppido *Savognin* a Nuntio Apostolico Domino Dominico Passionei, Archiepiscopo titulari Ephesino et postea Cardinali, die 29 mensis Iunii anno 1724. Iacobus scholas frequentavit in terminis paroeciae natalis, quae tum a Patribus Capuccinis regebatur, secundum normas ab eodem Nuntio Apostolico statutas, qui volebat institutioni preces interponi et meditationes, a Cardinali Sancto Iosepho Maria Tornasi compositas. Ita Servus Dei a puero immissus est in assiduitatem celebrationum paroecialium et praesertim Sanctae Missae, etiam cum incommodo spatiorum pedibus percursorum.

Probis mortuis parentibus, circiter annum 1730 Iacobus, sicut alii populares eius, Romam migravit, ubi multos annos in famulatu fuit, uti strator, nobilis familiae Corsini, ad quam Summus Pontifex Clemens XII pertinuit, qui Ecclesiam gubernavit universalem annis 1730-1740. Servus Dei in Urbe, etsi humilis et probati sui laboris studiosus, imprimis vitam suam spiritalem expoliendam curavit. Hoc quidem ex eo confirmatur, quod inde ab anno 1734 ascriptus apparet in claro Oratorio « Caravita » appellato, quod a Religiosis Societatis Iesu regebatur.

In omnibus Oratorii officiis mansit, praecipue eminens deprecationis spiritu, variarum virtutum exercitio atque operum caritatis, regula praescriptorum, assiduitate, valenti magistro spiritus moderante. Sic ad maturitatem per veniebat in Servo Dei mens generose respondendi interno impulsui, quod ad plenam consecrationem Deo in vita religiosa faciendam concitabatur.

Post reditum in patriam, qui biennium fere duravit, Servus Dei, cognatorum etiam permissu, Romam apud familiam Corsini reversus est, sed iam firmo capto consilio vitam religiosam amplectendi. Bis enim voluit in Minores Observantes ingredi, sed per valetudinis causam in suo proposito perseverare non potuit, scilicet ob cruris infir-

mitatem, qua impediebatur ne diu genibus niteretur. At provide, dum aliquot menses Civitatem Plebis incolebat, Servus Dei incurrit in Sanctum Paulum a Cruce, orientis tunc Congregationis Clericorum Excalceatorum a Passione Conditorem. Anno 1742 Sanctus ille statim spiritalem indolem iuvenis Grisonii intellexit statuitque eum excipere uti fratrem coadiutorem et secum, Calendis Decembribus eiusdem anni ad recessum Praesentationis super Argentarium Montem adducere. Veste religiosa induta et nomine sumpto Fratre Iacobo a Sancto Aloisio, post congruens novitiatus tempus Servus Dei votorum professionem fecit, iuxta regulas et constitutiones Congregationis Passionis, die 12 mensis Ianuarii anno 1743.

Sanctus Institutor in prima Congregationis Passionis communitate condicionem instauraverat altissimae spiritalitatis, in « stultitia crucis » positam (cf. *1 Cor* 1, 23), omnibusque exemplo antecedebat et paternis ac crebris adhortationibus atque colloquiis privatis. Servus Dei sivit se omnino mirabili illa condicione implicari celeriterque factus est exemplar sedulae deprecationis, austerae paupertatis et efferentis solitudinis. Fuit ex tempore coquus, ianitor, faber lignarius, numquam non coniunctus cum Deo, numquam non vivens coram eo. Perfectius in virtutibus semper inquirens, est aemulatus, de testium sententiis, animi elationes S. Teresiae a Iesu et S. Andreae Avellino. Sanctus Conditor eiusque primi socii humilem admirati sunt laicum coadiutorem, constanter in Deo mersum et exemplar factum omnium virtutum. Quamvis in humiliora incumberet munia pro communitate, Servus Dei sine intermissione progressus faciebat in exercitatione fidei, plus plusque mentem in mysteriorum contemplationem intendens, peculiari cum fervore Eucharistiam participans, sacrificium et sacramentum; in frequentem et diuturnam Christi patientis meditationem; in quartum votum Congregationis Passionis proprium. Eius theologica spes, quae iam eximia patuerat in sequenda cum perseverantia vocatione religiosa in Congregatione recenter instituta et extra patriam, magis in dies ad perfectum perveniebat completa terrestrium bonorum neglectione, ad sola vitae aeternae bona spectans non interitura.

Sed potissimum eminuit in caritate erga Deum et proximum Frater Iacobus uti perfectum exemplar spiritalis scholae Sancti Pauli a Cruce. Institutoris sui propositum ad se applicaverat, suos videlicet affectus purificanda curando ut omnes ad solum Dei amorem dirigeretur, memoria quoque tenendo verum amorem in Cruce explicari. Hinc praeditus apparuit supernis sapientiae et contemplationis donis,

quamquam acerbis animi expertus angoribus. Fervori eucharistico filii pietatem coniunxit erga Virginem Dei Matrem, quam rosario cotidiano colebat, cuius mysteria meditabatur et observabat, simul erga Virginem Mariam obsequium ostendens Montfortana cum perspicacia, catellam gerens ad pedem dextrum astrictam.

Omnino divinae voluntati obsequens et oboedientiae religiosae praeceptis, probatus est in communicanda ardua constitutione recessus S. Mariae de Quercu apud Tuscaniam anno 1748, vere. Ad maximam Domus paupertatem, cui caritas subveniebat Venerabilis Luciae Burlini (aa. 1710-1789), S. Conditoris filiae spiritalis, caeli gravitas accedebat aere pestilenti vitiata. Servus Dei omnia oppetivit consueto cum fervore et spiritus hilaritate, magis magisque fulgens singulari omnino virtutum et consiliorum evangelicorum exercitio, Christo crucifixo coniunctus et Virgini Perdolenti. Primis mensis Augusti diebus anno 1750 Servus Dei acri est aëris pestilentis accessione correptus, adeo quidem ut avectus sit ad propinquum pagum *Cellere,* ad domum beneficorum Falandi, quo facilius curaretur. Ibi suarum egregiarum virtutum ultima ostendit documenta, immutabili cum patientia tolerans morbi dolores, Sacramentis confirmatus et pleno erga Dei voluntatem obsequio. Quiete obiit postridie Idus Augustas anno 1750, sollemnitatis Assumptionis Beatae Mariae Virginis die pristino, haud multo plus 36 annos natus et octo fere annos vitam Congregationis Passionis professus.

Servi Dei mors in paroecianis pagi *Cellere* admirationem excitavit famae sanctitatis qua iam fruebatur, in tantum et eius exsequiae honorificentissimae fuerint, miris aegrorum sanationibus coniunctae, quas publicus libellio est testatus. Auctoritates et fideles voluerunt Servi Dei corpus in ecclesia paroeciali, S. Mariae Assumptae dicata, sepeliri, ubi nunc quoque quiescit in decoro sarcophago, sincere veneratam.

Fama sanctitatis Servi Dei durante et crescente, Congregationis Passionis Antistites, hortante etiam Cardinali Vicario in Urbe Lucido M. Parocchi, Fratris Iacobi Causam instruxerunt, qui erat et est, servato temporis ordine, Instituti Servus Dei primus. Processus Ordinarius actus est annis 1889-1891 in Curia tum competenti Aquipendiensi, nunc Viterbiensi dioecesi attributa, cum Rogatoria in natali dioecesi Curiensi. Die 26 mensis Februarii anno 1924 editum est Decretum de paucis Servi Dei scriptis. Causa concredita Officio id temporis Historico S. Rituum Congregationis, ampla est apparata *Positio,*

quae a Consultoribus Historicis probata est in sessione die 9 mensis Maii anno 1973 habita.

Introductionis Causae vulgato Decreto die 26 mensis Ianuarii anno 1981 et promulgatis dein Novis Legibus ad Causarum tractationem pertinentibus, primum excussum est a Consultoribus Theologis Congregationis de Causis Sanctorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, in Congressu Peculiari diei 13 mensis Iunii anno 1989, an Servus Dei virtutes exercuisset heroum in modum ; postea a Cardinalibus et Episcopis in Congregatione Ordinaria diei 21 mensis Novembris eiusdem anni, Ponente Exc.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto. Et utroque in Coetu responsum est affirmativum, scilicet Servum Dei coluisse virtutes christianas et religiosas heroum in modum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iacobi a S. Aloisio (in saec.: Iacobi Cianici), laici professi Congregationis Passionis D.N.I.C, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

✠ Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

BARCINONEN.

DECRETUM

Beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei Mariae a Mercede Prat y Prat, Religiosae professae Societatis a S. Teresia a Iesu, in odium fidei interfectae a. 1936.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et de causa martyrii, in casu et ad effectum de quo agitur.

Multa evangelica verba in vita resonant Servae Dei Mariae a Mercede Prat y Prat, in humilitate acta et simplicitate. Cotidie ad ea se conformavit, caelestis remunerationis studiosa, iis promissae, qui omnia relinquunt et omnia ad maiorem Dei gloriam oppetunt (cf. *Me* 10, 10). Vitam aeternam pluris faciens quam terrenam (cf. *Mt* 16, 25) acerbos dies subiit et dura discrimina quibus est Hispania vexata, et morte denique vitam integram conclusit tacitae devotionis.

Serva Dei Barcinone orta est die 6 Martii anno 1880, a Ioanne Prat y Serra et Teresia Prat y Bordoy. Hi sex genuerunt filios, sed ob duorum ex illis immaturam mortem, Maria a Mercede quattuor fratrum maxima natu facta est.

Est post diem natalem baptizata. Lar familiaris fuit ei prima virtutum humanarum et christianarum schola. Deinde ab anno octavo ad quattuordecimum aetatis Serva Dei tamquam discipula unum frequentava ex ludis, quos Societas Sanctae Teresiae a Iesu Barcinone regebat.

Studiorum curriculo peracto habilitatem et propensionem ad artes auxit ingenuas, videlicet artem plumariam et suendi, scholis habitis.

Eo tempore Serva Dei se consociavit in Archiconfraternitatem Teresianam, a Beato Henrico de Osso y Cervello institutam, puellis solida et actuosa christiana doctrina instruendis. In ea deprecationis et industriae apostolicae vitam egit, quae in vocationem religiosam recidit.

Die 27 mensis Augusti anno 1904 ingressa est Societatem Sanctae Teresiae a Iesu in urbe Dertosa. Peracto novitiatu, quo ad suam formationem religiosam conficiendam contendit, priora vota nuncupavit die 10 mensis Martii anno 1907, quae professione perpetua iteravit die 10 mensis Martii anno 1913.

Sex illis votorum temporaneorum annis Servae Dei vita exacta est in oboedientia, in quibusdam Instituti Domibus intra Hispaniae fines. Praeceptioni se tradidit, quamvis ad ingenuas artes inclinaret, et se ad apostolatum catechismi revocavit, quem iam in Archiconfraternitate Teresiana explicaverat.

Afiirmari potest generaliter eam laudari ob suam prudentiam et modestiam, ob amabilitatem, navitatem, serenam laetitiam, caritatem, facilitatem. Ab omnibus Sororibus eximia habebatur religiosa.

Anno 1909 Barcinone initium egit illius temporis spatii, quod est ((Semana trágica » appellata. Procedente tempore condicio rerum civilium Hispaniae in peius mutata est et ad postremum, die 18 mensis Iulii anno 1936, bellum civile exortum est.

Ecclesiae status mox infestus factus est. Die 19 multae Religiosae Barcinone domicilium habentes Domus suas reliquerunt, a Militianis coactae, qui eas occupare volebant. Una ex illis fuit Domus Princeps Societatis Sanctae Teresiae, ubi Serva Dei habitabat.

Eodem die 19 ex ea egressa est una cum aliis Sororibus sodalibus, habitu saeculari induta, confugiens ad arnicas viciniae familias; apud quas cum Sororum numerus nimius esset, mansio periculosa fiebat, et erat alio profugiendum.

Serva Dei, die 23, iussa se conferre ad domum sororis suae, quae Barcinonem incolebat, oboedivit. Sciebat fieri non posse ut ad eam incolumis perveniret, quod multa erat longinquitas et vias urbis Militiani perfunderent. Sorori Ioachimae, civi Lusitanae, comitanda erat.

In itinere uti Religiosae noscitatae sunt. Eas quidam nonnisi deriserunt. Duabus viae horis confectis, vir armatus, a iuvenum manipulo comitatus, eas stiterunt, quae essent scire volentes.

Serva Dei cum veritate, humilitate et simplicitate ei respondit; suam non celavit Religiosarum Societatis Sanctae Teresiae condicionem, institutioni deditarum. Vir statim refellit : « Ob id ipsum interficiemus vos, et quia puerulos Christi doctrinam docetis ; ideoque nulla vobis venia dari potest ». Ilico sunt comprehensae et ad «Casal Can Cátala » ductae, ubi in alias personas incurrerunt, et ipsas comprehensas, ut suam testificarentur fidem christianam.

In ea domo initium cepit longum vespertinum tempus exspectationum, quibus irrisiones intexebantur, contumeliae et infinitae plumbearum glandium emissionum simulationes.

Serva Dei intellexit omnia trucidatione ad finem esse ventura, cum religiosae essent iique id affirmassent. Forti animo Sororem Ioachi-

mam est allocuta, suam persuasionem significans simulque suadens sibi erga omnes esse cum deprecatione agendum et venia ex animo. Recitatio precis « Pater Noster » et Rosarii, actus contritionis asperserunt earum praesentiam in illa domo in carcerem mutata, quamvis Militiani minarentur se in earum ora immissuros cúspides Baionnenses, nisi deprecari desiissent.

Prima ferme noctis vigilia in vincula ductae e carcere exire iussae sunt ut autoplaustrum scandèrent, ad locum ignotum iturae. Domus domina, quae benevolentissimam se ostenderat erga Religiosas donec ibi commemoratae erant, a Militianis quaesivit cur eas deportarent : affecta enim erat Religiosarum testimonio et animo, et conclamabat eas nihil mali fecisse, quin immo bonum facere docuisse.

Militiani cito et aspere responderunt : « Quia Religiosae sunt ». Tunc Serva Dei intellexit mortem finem itineris fore et sodali Sorori iterum dixit, comprehensionis sociae: «Nos occidunt».

Die 19 mensis Martii anno 1887 Congregationem *Filiarum Zeli Divini* instituit, et die 16 mensis Maii anno 1897 Congregationem *Rogationistarum a Corde Iesu.* Numquam tamen se Institutorem putavit, quia, eius sententia, verus auctor esset Iesus Eucharisticus, quem, duobus exactis annis praeparationis spiritalis suae et pauperum, primum in sacello sacramentali vici « Case Avignone » collocaverat Calendis Iuliis anno 1886. Iis annis initium habuit providum inceptum « Pane di S. Antonio » dictum, tot beneficia in eius Instituta collaturum.

Ita Iesus Eucharisticus eius vitae eiusque operum semper caput fuit. Post operosos dies, quibus ostiatim stipem emendicabat pro suis pauperibus, pro suis orphanis, coram Iesu Eucharistico vigilabat.

Hannibal Maria Di Francia sacerdos ideo fuit alacer proximo intentus, sed oculis, corde et mente ad Deum conversis.

« Dio e il prossimo » significanter commentarium inscribitur, quo sua Instituta curabat ut cognoscerentur.

Post exitiosum terrae motum, qui anno 1908 Messanam funditus delevit, Opera eius trans Fretum manaverunt. Ipse vero sibi non pepercit, nec laboribus nec difficultatibus omne genus, praesertim in periculo, propulso sane, ne eius orphanotrophia ob Auctoritatum simultates interirent, religioni contrariarum, et francomurariorum.

Constanter caritate « immensa et gratuita », suae utilitatis immemori, sine reeonditis consiliis excitatus est, sed sola ardentissima fide mota et rationibus vere divinis directa, et quidem non tantum quod ad eos, qui beneficio eius afficiebantur, sed quod ad omnes egenos pertinebat : non ultimos sacerdotes difficultatibus obstrictos et moniales.

Ut *Rogate* diffunderet, anno 1897 « Sacram Societatem » instituit pro sacerdotibus, episcopis et praelatis, postque triennium ab Ordinario Messanensi obtinuit ut conderet « Piam Unionem Rogationis Evangelicae Cordis Iesu » pro omnibus fidelibus. Eiusmodi Operis *Rogate*

amor ad summum pervenit aedificato templo « Rogationi Evangelicae Cordis Iesu » dicato, primae et tum unicae ecclesiae toto terrarum orbe precationi pro vocationibus sacratae.

Praeterquam fide firmissima, vi fultus est spei : spei profecto eminentis, quae culmen est consecuta per «Vota (privata) Fiduciae ».

Has ob causas iam vivus claram et germanam sanctitatis famam sibi comparavit apud omnes classes : « Sanctum eum habebat populus : populus, dico, quaevis videlicet persona cuiusvis ordinis, cuiuslibet vitae rationis, cuiuscumque opinionis », sicut est graviter testificatio Angelus Pajno, Archiepiscopus Messanensis.

Calendis Iuniis anno 1927 Servus Dei pie exstinctus est, populi voce clamante : « Os clausum est, quod numquam dixit "non" », et alia : « Eamus visurum sanctum qui dormit ».

Opinione omni frequentior accucurrit ad exsequias populus, quae propter liturgicam necessitatem die 4 mensis Iunii factae sunt. Photographicae imagines et acta diurna eius temporis aliquid possunt significare. In ea publica laudatione feretrum humeris per Messanae vias portatum est et postea in ecclesiam Rogationis Evangelicae relatum, cum Auctoritates tempestive obtinere curassent a competenti Ministerio permissum illud sepeliendi inibi.

Multi efflagitaverunt ut Processus canonizationis iniretur; in quibus beatus sacerdos Aloisius Orione, sed propter alterum totius mundi bellum exspectandum fuit.

Die 21 mensis Aprilis anno 1945 inchoatus est Processus Ordinarius Informativus, qui est die 6 mensis Augusti conclusus anno 1952. Scriptis Servo Dei tributis rite revisis, Decretum exiit Congregationis pro Causis Sanctorum die 18 mensis Martii anni 1974, quo edictum est ad ulteriora procedit posse. Hinc servatis de iure servandis, Causa ipsa Servi Dei est apud Apostolicam Sedem die 19 Ianuarii a. 1979 introducta. Adornatus est postmodum apud Curiam archiepiscopalem Messanensem Processus apostolica auctoritate super virtutibus in specie Servi Dei, instituta quoque virorum in historia peritorum Commissione.

Apparata ita Positione super virtutibus in specie, deventum est ad disceptationem de modo quo Dei Famulus easdem exercuerit, idque primum, die 23 Iunii anno 1989, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali : deinde, die 7 mensis Novembris eodem anno, in

Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Domino Eduardo Pironio. Et utraque in congressione omnes, cum Consultores tum Cardinales et Episcopi, dubio an Servus Dei heroum in modum christianas religiosamque virtutes coluisset, affirmando responderunt.

In lucem prolatum est Servum Dei Hannibalem Mariam Di Francia ad culmen pervenisse perfectionis, cum in unum coëgisset actionem et contemplationem, ita ostendens illam spiritalem perfectionem, quae propria est hominis industrii et indefatigabilis, sed simul impensa vi contemplativa praediti.

Facta denique de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum de heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die accitis ad Se infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit : « *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Hannibalis Mariae Di Francia, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©. S.

£8 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

MIRANDEN. SEU BRIGANTIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Casimiri a S. Ioseph Wyszynski, Sacerdotis professi Clericorum Regularium Marianorum Imm. Conceptionis B. V. M. (1700-1755).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ego mater pluchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini ... : qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt» *(Eccli* 24, 24-26. 30-31).

Haec verba, tamquam ore Genetricis Virginis Mariae prolata, ab Ecclesia in variis textibus liturgicis in Eius honorem confectis adhibita, Servum Dei Casimir um a S. Ioseph Wyszyriski ad constantem conatum se sanctificandi sub alis sub ductuque Immaculatae Virginis Mariae iam a teneris annis provocabant. Immo tota eius vita documento est veritatis et efficaciae huius viae « Marianae » ad sanctitatem adipiscendam ; cuius vitae itaque factus est splendens « exemplum ... fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate » (Z *Tim* 4, 12). Praesertim libro *Stella Matutina* a se « pro commoditate omnis status conditionisque fidelium » elaborato et propria introductione instructo, pietatem erga B. V. Mariam Immaculatam imitatione Eius virtutum expressam propagabat, asserens « efiicacissimam devotionem erga Verginem nostram ... potissimum in imitatione virtutum eius, quas nobis in Evangelio hereditavit, consistere ».

Quam viam etiam Concilium Vaticanum II sollemniter confirmavit fidelibusque uti omnino validam indicavit clarissimis verbis : « Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit christifideles adhuc nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate

crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget» *(Lumen gentium,* 65).

Rationem huius rei Summus Pontifex Ioannes Paulus II videt in eo quod «Redemptoris Mater definitum locum in humanae consilio salutis obtinet»; propterea — Summus Pontifex arguit — ((Eius mirabilis peregrinatio fidei constans fit signum, ad quod Ecclesia, singuli et communitates, populi et nationes et, aliquo sensu, totum humanum genus se referunt» et «Maria non desinit esse *Maris Stella* iis omnibus qui adhuc in peregrinatione fidei sunt constituti. Si hi ad eam oculos attollunt in diversis vitae terrenae locis, id faciunt quia illa "Filium peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus" *(Rom* 8, 29), et etiam quia ad hos fratres et sorores "gignendos et educandos materno amore cooperatur" *(Lumen gentium,* 63)» *(Redemptoris Mater,* 1 et 6).

Servus Dei Casimirus natus est in Polonia, in fundo hereditario *Jeziora Wielka,* ad dioecesim olim Posnaniensem, nunc auterii Varsaviensem pertinente, die 19 Augusti anno 1700, Ioannis Casimiri et Hedvigis Zawadzka, septimus ex octo filiis. Die 4 Octobris eiusdem anni baptizatus, primam educationem christianam a parentibus bene religione catholica formatis accepit, iam in pueritia devotione erga Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae enitens. Studiis mediis in collegiis Scholarum Piarum Gorae et postea Varsaviae absolutis, patre instante experientiam legalem exeunte anno 1718 incepit. Quam tamen ob peregrinationem Compostellana ex voto anno 1721 susceptam, reliquit. A voto persolvendo morbo in itinere tracto impeditus, Romam profectus est, ubi dispensationem a voto obtinuit. Ibi P. Ioachimo Kozlowski, procuratori Ordinis Marianorum occurrit, cui se paratum esse hunc Ordinem ingredi declaravit; a quo proinde habitum Marianum anno 1723 Romae accepit.

In Poloniam reversus, novitiatum apud Marianos incepit et eo perfecto, die 19 Martii a. 1725, vota sollemnia in Ordine Immaculatae Conceptionis B.V.M, nuncupavit. Eodem anno ordines minores et subdiaconatum recepit. Anno denique 1726 sacerdos ordinatus est.

Notus iam a tempore novitiatus de sua stricta observantia regulari et zelo virtutis religiosae, mox variis officiis et muneribus est functus Ordinique optime ob suas excellentes dotes spirituales et intellectuales servivit, ut Magister Novitiorum (aa. 1727-1730), Vicarius Praesi-

dentis Conventus Korabieviensis (aa. 1728-1730), Procurator Generalis Romae (aa. 1730-1733), Secretarius Generalis, denuo Magister Novitiorum et Vicarius Praesidentis Conventus Korabieviensis, Assistens Generalis (aa. 1734-1737), Professor Theologiae moralis (aa. 1735-1737) et Pater spiritualis Conventus Korabieviensis (aa. 1736-1737). His muneribus fideliter fungens, omnem nactus est occasionem ad observantiam regularem et pietatem erga Virginem Immaculatam in Ordine promovendam, ad Marianos spiritu eorum Fundatoris imbuendos, et haec eius fructuosa navitas praesertim exemplo ipsius nitebatur, utpote qui esset virtutum et omnis earum perfectionis accumulandae studiosissimus.

Ad officium Praepositi Generalis electus, annis 1737-1741 adhibuit omnes rationes cum hoc officio connexas ad Ordinem quoad mores et spiritum renovandum et resanandum ex detrimentis, quae tempore « dissipationis Rostkovianae » (aa. 1715-1722) et ob sinistram vim morum corruptelae societatis Polonicae illius temporis passus erat.

Uti Superior Conventus Gorensis (aa. 1739-1747), multum pro bonis eius temporalibus et spiritualibus adlaboravit, curam specialem de corpore Fundatoris conservando adhibens, et fructuosum apostolatum exercuit, etiam uti confessor Monialium Monasterii Gorensis Ordinis S. Dominici et moderator Confraternitatis Divinae Providentiae, quam ad ecclesiam Caenaculi Domini exstruxit.

Denuo ad munus Superioris Generalis electus (aa. 1747-1750), suos subditos per epistulas adibat tamquam « Pater in discretione, Frater in caritate, Rector in gubernatione, Pastor in sollicitudine et vigilantia », promovendo observantiam regularem, exercitium caritatis et pacem in communitate.

Fidelis filius Fundatoris et custos eius hereditatis spiritualis, etiam valde sollicitus erat de auxilio animabus in Purgatorio detentis afferendo.

Curam specialem habuit de novitiatu deque bona educatione pro iuvenibus Marianis paranda. Ad quod ei profuerunt multi candidati optime scientia theologica formati, quos ad Ordinem a Bohemia attraxit. Quo pacto adhuc maiori renovationi spirituali necnon progressui intellectuali Ordinis cavit. Marianis numero crescentibus, quattuor novas domos religiosas in Lituania et Volhynia sitas erigere potuit.

Mense Novembri a. 1750 Procurator Generalis ipsius Ordinis nominatus, hoc officium fructuose per duos annos Romae implevit (aa.

1751-1753), praeter alia iura Ordinis contra falsos Marianos Vilnenses defendendo et processum beatificationis Fundatoris magno cum zelo praeparando.

Anno 1753 in Lusitaniam missus, Ulyssipone multos dolores ex eo, qui Marainos illuc vanis promissionibus allexerat, expertus est. Ad ultimum tamen ab Ordinario dioecesis tunc Mirandensis, nunc vero Brigantiensis, pro Ordine domum in monte *Balsamólo* sitam mense Octobri anno 1754 obtinuit. In hac eremo cum sanctuario Mariano connexa, dum coetum eremitarum in primam communitatem Lusitanam Ordinis formabat, ob febrim malignam iam die 21 Octobris anno 1755, Ecclesiae Sacramentis munitus, fama circumdatus sanctitatis mortuus est. Sepultus est iuxta altare maius in ecclesia Balsamanensi, condolentibus valde omnibus assistentibus.

Fama sanctitatis, qua Servus Dei adhuc vivens gaudebat, praesertim ultimis duobus suae vitae annis, quos in Lusitania transegit, post obitum tam cito in dies percrebrescebat, ut nondum integro anno ab eius morte exacto, Episcopus Mirandensis, a communitate Balsamanensi rogatus, instructionem Processus beatificationis ordinaverit.

Tunc tamen improvisa Episcopi mors inquisitioni moram attulit usque ad annum 1763, cum Processus Informativus instructus est ab Episcopo Mirandensi (aa. 1763-1768) et Rogatorialis in curiis Ulyssiponensi (a. 1769) necnon Posnaniensi (aa. 1775-1776) et Romana (a. 1779).

Scriptis Servi Dei rite perpensis, Pius Papa VI commissionem Introductionis Causae propria, ut moris erat, manu signavit die 15 Ianuarii a. 1780. Secuti sunt, ad iuris normam, Processus auctoritate apostolica super virtutibus Servi Dei in specie apud curias ecclesiasticas Posnaniensem (aa. 1781-1783) et Miranden.-Brigántiensem (a. 1783). De horum omnium Processuum auctoritate latum est decretum huius Congregationis de Causis Sanctorum die 25 Novembris anno 1988.

Porro, ob politicas et religiosas rationes tum in Polonia tum in Lusitania, Causa ipsius Servi Dei omnino siluit, donec tandem die 17 Iunii anno 1955 resumpta est atque Sectioni Historicae Sacrae tum Rituum Congregationis commissa. Et ita, collectis undique documentis vitam et actuositatem Servi Dei spectantibus, iisque in tuto positis, amplissima exiit « Positio super virtutibus ex officio concinnata » anno 1986, quam Consultores in historia periti laudaverunt die 14 Octobris eodem anno.

Postmodum, die 21 Martii anno 1989, in Congressu Peculiari Consultores Theologi, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Pro-

motore Generali, Servum Dei christianas virtutes in gradu heroico exercuisse ad unum omnes affirmaverunt.

Die autem 7 mensis Novembris eiusdem anni, Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti, ponente Em.mo Cardinali Andrea Maria Deskur, Praesidente Pontificiae Academiae Immaculatae Conceptionis B. M. V., agnoverunt Servum Dei Casimirum a S. Ioseph Wyszynski heroum more virotes théologales, cardinales et adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Casimiri a S. Ioseph Wyszynski, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris, A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

III

PAMPILONEN. SEU HISPALEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Stephani ab Adoáin (in saec.: Petri Francisci Marcuello), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1808-1880).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ego libentissime impendam et snperimpendar ipse pro animabus vestris » *(2 Cor* 12, 15).

Illud Pauli Apostoli propositum se impendendi totum pro salute fidelium comprobatur vita et actuositate, vere apostolica, Servi Dei Stephani ab Adoáin, qui quadraginta annorum spatio indefessus in Verbum Dei nuntiandum incubuit.

Is anno 1808, die 11 Octobris, in pago *Adoáin,* provinciae Navarrae, dioecesis Pampilonensis, in Hispania, natus est in familia probatae fidei christianae. Eius parentes fuerunt Ioannes Iosephus Marcuello et Maria Francisca Zabalza; ipse in baptismo nomen Petrum Franciscum recepit.

Usque ad vicesimum aetatis annum vitam egit in domo paterna, agris colendis deditus; fuit tamen primis litteris instructus, immo spe ministerium sacerdotale ineundi Latinae linguae in vicina schola studuit.

Ad vitam religiosam vocatum se sentiens, apud Fratres Minores Capuccinos habitum sumpsit die 28 Novembris anno 1828; eadem die, anno sequenti, professionem fecit. Expletis studiis ecclesiasticis, die 22 Decembris anno 1832 presbyter ordinatus est.

Prima pastoralia munera exercere inceperat, cum anno 1835 in Hispania omnes Ordines religiosi a potestatibus liberalibus, quae dicuntur, aboliti sunt. Divinae vocationi consulere ante omnia cupiens, Italiam petiit, ubi simul cum cultu vitae regularis munus praedicandi suscepit. Certior autem factus magnam missionem Capuccinorum Hispanorum, e conventu eiectorum in rempublicam Venetiolanam parari, protinus in numerum mittendorum ascribi expoposcit.

Anno 1842 in novum apostolatus campum cum pervenisset, obtinuit ut in regionem *Apure* ad Indos etiam tum in statu inculto degentes mitteretur. Non post multos vero menses optimi laboris, febribus palustribus consumptus, in civitatem *Caracas* reverti impulsus est. Immo in Galliam se recipere debuit salutis curandae causa; ipse vero huiusmodi intermissione uti voluit ad vires spirituales reiiciendas in hospitio quodam ad montes Pyrenaeos, in quo quidam sodales fratres Hispani summo recessu ac austeritate mirabantur.

Anno 1847 iterum Venetiolam petiit et praedicationem in civitatibus maximo cum profectu aggressus est. Ipsa favoris popularis aura necnon evangelica libertas qua errores et vitia obiurgabat, causa fuit cur fortis simultas adversus eum oriretur ex factione liberalium, unde persecutionem et carcerem subire debuit. Etsi eius innocentia agnita fuit, tamen ipsa publica notitia eius personae sat difficilem reddebat eius actionem ministerialem, neque ei permissum erat ducere vitam communem quam inceperat cum aliquibus sodalibus fratribus.

Itaque anno 1851 in insulam Oubam se contulit eo consilio, ut modum inveniret vitam Capuccinorum ibi instaurandi. Propositum non est obtentum. Sed Servus Dei novum campum apertum invenit pro suo apostolatu missionarii popularis et quidem sub auctoritate et protectione archiepiscopi Sancti Iacobi in Cuba, nempe S. Antonii M. Claret, qui statim Servum Dei in coetum suorum missionariorum cooptavit. Quinque annis intensae praedicationi missionariae operam dedit. Sed denuo ea classis socialis, cuius vitae rationem vir Dei reprehendendam putabat, omnia movebat ut ei silentium imponeretur. Itaque, anno 1856 in rempublicam Guatimalensem profectus est, ubi manipulus missionariorum Capuccinorum Hispanorum instaurationem Ordinis inceperat.

Dum vitae conventualis bona laetus experiebatur, a sodalibus fratribus statim dux suus habitus, actuositatem missionariam resumpsit novo ardore apostolico novoque prospero eventu. Per annos sedecim populi civitatum Guatimalensium Salvatoriae magna veneratione et commotione eius nuntium evangelicum recepere; pluries ut pacis interpres accitus est. Tandem, eversione liberali victrice, anno 1872, una cum omnibus Capuccinis, cuius ipse commissarius generalis electus erat, ex Guatimala et Salvatoria expulsus est.

Post brevem in Civitatibus Foederatis Americae moram, Baionam in Gallia petiit, ubi conventus aderat Capuccinorum Hispanorum. Ibi strenue adlaboravit pro obtinenda a magistratibus Matritensibus facul-

tate ut Capuccini legitime in Hispaniam restituerentur. Qua tandem concessa, restaurationem sui Ordinis alacriter anno 1877 aggressus est, dum praedicationi populari etiam magno cum exitu se dabat. Denique die 7 Octobris anno 1880 beate in Domino quievit.

Tota Servi Dei vita nisus dici potest ad maiora progrediendi in via perfectionis atque in Regni Dei propagatione per animarum conversionem. Hinc eius singularis perseverantia in exercitio virtutum, ut patet sive ex eius vitae exemplis atque inceptis, sive ex testimoniis eorum qui eum cognoverunt.

Fides etenim Servi Dei Stephani ab Adoáin elucet ex eius adhaesione ad veritates revelatas et ad Ecclesiae magisterium, necnon ex eius indefessa actuositate pro fide in populis sustentanda et augenda. Elucet insuper ex eius vita orationis, immo verae contemplationis, qua eius zelus apostolicus accendebatur.

Eius spes ostenditur constanti fiducia divini auxilii in omnibus inceptis pro Domini gloria; semper praedicationi prolixam precationem praeponebat. Numquam visus est infractus animo vel pusillitate affectus coram defatigatione vel persecutionibus quas subiit.

Ex caritate erga Deum fideliter praecepta et officia adimplevit, magna rectitudine in omnibus rebus se exhibens praeditum atque instinctu quodam quidquid Dei honorem laedere posset abhorrentem. Intima, etsi sobria, pietate mysterium eucharisticum, Passionem Domini necnon Virginem Mariam sub titulo Divini Pastoris Matris prosequebatur. Fervor in sermonibus ad populum, cum de Deo et de amore loquebatur, extrinsecus exhibebat id quod intus experiebatur.

Vita tota Servi Dei fuit continuum exercitium caritatis erga proximum, videlicet in peccatoribus gratiae Dei restituendis, in liberandis a corruptione privata et publica morum tot viris ac mulieribus, in reconciliandis ac pacificaríais inimicis, in componendis familiis, in subveniendo pauperibus atque peste infectis, nulli labori, defatigationi itinerum, immo nulli preci ac poenitentiae parcens. Nota erat eius suavi tas affectus in poenitentibus recipiendis qua confessarii. Itidem sedula caritate fratres religiosos prosequebatur.

Quoad virtutes cardinales, Servi Dei prudentia elucet ex magni momenti optionibus faciendis in condicionibus vere gravibus, utputa post expulsionem e conventibus religiosorum in Hispania, in nomine dando pro missione ad Venetiolam, in subsequentibus conflictibus ortis quibus se edoceri a Deo censuit de itineribus ineundis ad novam messem semper faciendam. Minime vero de prudentia illa carnis

sermo est, qua propriae paci cavetur, sed de illa spiritus prudentia, quae Dei gloriam et voluntatem ceteris rebus anteponit.

Virtus iustitiae ostenditur in recta Servi Dei agendi ratione qua religiosi et missionarii, in eius sensu iustitiae socialis coram condicione iniusta gentis natione Africanae in Cuba.

Evangelica fortitudine ipse verbum Dei ubique nuntiavit, ac praesertim labores, itinera, aeris intemperiem, accusationes, calumnias atque persecutiones, processus et carceres, expulsiones denique sustinuit.

Temperantia eius nota fuit omnibus, semper enim seipsum aspere ac rigide tractavit, omnia oblectamenta fugiens, quin et carnem suam affligebat diversis macerationibus. Eius speciale propositum erat : « Numquam de cibo nec potu, immo de nulla re conqueri, sed omnia sustinere sicut Iesus, ut decet missionarium ».

Item circa humilitatem eius mos erat per omnia et coram omnibus se humilem ostendere. Hac virtute motus, honores atque praestantiae munera sincere abhorruit. Cum a S. Antonio M. Claret, archiepiscopo, aliquid insinuatum fuisset de possibili eius evectione ad episcopatum, respondit: «Frater Stephanus numquam aliud erit quam pauper Capuccinus ».

Quoad evangelicam paupertatem, non tantum vitam pauperem duxit iuxta spiritum et usum sui Ordinis in rebus omnibus quibus ipse utebatur, nudipes semper incedens, sed hanc virtutem fecit condicionem absolutam proprii apostolatus, plane gratuiti, nullum stipendium accipiens nec pro Missis nec pro sermonibus.

Eius castitatem, modestia ac mortificatione sensuum munitam, testantur omnes qui eum cognoverunt. Inter eius missionarii proposita unum erat: «In faciem feminae non aspiciam, nugas effugiam ». Fortiter insidiatricem quandam divitem feminam reiecit, immo eam convertit et in sinum Ecclesiae Catholicae reduxit.

Denique eximiae oboedientiae cultorem Servus Dei se ostendit sive erga proprios superiores Ordinis sive erga praelatos ecclesiasticos regionum ubi ministerium exercuit. Notatu dignum est eius conämen abrogandi regimen nationale, in Ordinibus religiosis vigens inde ab anno 1804, ac efficiendi ut, Capuccini Hispanici ad unionem hierarchicam cum Sede Romana et cum centro Ordinis sub ministro generali redirent.

Magna veneratione cultus in vita, etiam post mortem sanctitatis fama notus fuit. Corpus Servi Dei, primo in sacello funereo fratrum apud *Sanlúcar de Barrameda,* ubi diem supremum obiit, sepultum est.

Anno autem 1949 translatum est in sepulcrum peculiare prope atrium ecclesiae conventualis, ad pietati fidelium satisfaciendum.

Anno 1924 Processus Ordinarius Informativus inchoatus est; die 22 Novembris anno 1940 decretum super scriptis editum fuit; decretum vero introductionis Causae die 8 Octobris anno 1956. Inde Processus Apostolici in dioecesibus Pampilonensi et Hispalensi acti sunt et die 16 Novembris anno 1969 decretum de eorum auctoritate proditum est.

Praeparata *Positione super virtutibus* disceptatum est de Servi Dei virtutibus heroum in modum exercitis, primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die 10 mensis Ianuarii anno 1989, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde die 3 Octobris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Em.mo Opilio Rossi. In utroque autem Coetu, posito ad disceptandum dubio num constaret de heroicis Servi Dei virtutibus, omnes, qui aderant, adfirmando responderunt.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, rataque habens, praecepit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die ad Se cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Stephani ab Adoáin, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris, A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

Ê8 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

IV

TARRACONEN.

DECRETUM

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iacobi Hilarii (in saec.: Emmanuelis Barbai Cosan), Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, in odium fidei, anno 1937, interfecti.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio deque martyrii causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Tradent enim vos in conciliis...; et ante praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ... Qui autem persevera veri t in finem, hic salvus erit » *(Mt* 10, 17-22). Prophetica haec verba, quibus Divinus Magister est apostolos suos allocutus, millies in christianae historiae cursu ad effectum adducta sunt, quotiens scilicet discipulus aliquis vocatus est ad fidem suam testificandam coram coniectis auctoritatibus, quae mystica Christi membra persecutae sunt.

Ita accidit hoc ipso saeculo xx etiam quod attinet ad Servum Dei Iacobum Hilarium Barbai Cosan, sodalem Instituti fratrum Scholarum Christianarum, vocatum ad testimonium dandum coram « tribunali populari », ut strenue suam christiani et religiosi defenderet naturam. Ob hoc est capitalis poenae damnatus, furente « rerum mutatione Hispanica », quae vocatur, annis 1936-1939.

Servus Dei natus est die 2 Ianuarii anno 1898 in oppido *Enviny,* in dioecesi Urgellensi, ab Antonio Barbai et Maria Cosan, et die baptizatus est ignoto, ob tabulariorum paroecialium destructionem, et Emmanuel, Ioannes atque Daniel appellatus. Ludis frequentatis in loco *Rialp,* apud Patres Congregationis Missionis, septem annos studia perrexit in seminario dioecesano cum parentum et superiorum gratulatione. Cum autem animadverteret se ad vitam religiosam vocari, elegit Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, utpote interiori cupiditati suae magis consentaneum. Novitiatum minorem ingressus oppidi *Mollerusa* mense Septembri anno 1916, statim sua eminuit

amabilitate erga omnes, simplicitate et deprecationis ac ceterorum munium studio.

Paucis post mensibus accepit Illerdae Confirmationis sacramentum ab Episcopo Domino Miralles.

Postquam ad novitiatum maiorem Iruniensem commigravit, die 24 mensis Februarii anno 1917 habitum induit religiosum, nomenque cepit Fratrem Iacobum Hilarium. Anno probationis peracto ad oppidum *Mollerusa* est remissus, ut munus praeceptoris iniret, fructuose quidem, iuvenum sibi commissorum, qui multa cum attentione et cura eum observabant. Die 27 mensis Iulii anno 1919 professionem primam temporaneam fecit votorum religiosorum, quae deinceps iteravit iuxta tempora Constitutionibus Fratrum praestituta. Verum cito coepit gravius audire cum perturbationibus, quae plus plusque in peius mutabantur. Spectaculo in Communitate fuit praesertim propter magnam pietatem et potissimum ob religionem erga Eucharistiam, quam manifesto cum fervore accipiebat et vivida cum fide adorabat. Assiduus in meditatione, in qua omnibus rebus alienus esse videbatur, Virginem SS. etiam honorabat recitatione cotidie plurium Rosariorum.

Anno 1926 missus est ad ephebeum oppidi *Pibrac,* in Galliam, ubi die 26 mensis Augusti illius anni perpetuam fecit professionem. Primum linguam Hispanicam docuit et catechismum, sed deinde, magis in dies auditus imbecillitate crescente, vocationum fautor factus est, donec adductus est ad quodlibet relinquendum munus onus imponens, propter illam imminutionem. Multo cum humilitatis spiritu Dei Servus tunc administrationem suscepit ruris ephebei, non tamen desistens, in otiis, doctis scriptis operam navare Commentariis a Congregatione editis. In suis interioribus positionibus perseverans, magno sodalibus fratribus erat exemplo simplicitate sua et iucunditate, laetitia et « optimismo », qui dicitur. Musicae amans, ad concinendum in ecclesia etiam descendebat, quamvis surdus esset.

Mense Martio anno 1934 in Hispaniam rediit ad Communitatem vici *Catat,* ubi humili et difficili coqui munere functus est cum simplicitate et festivitate. Ultimo, Servus Dei ad magnum oppidi *Cambrils* ephebeum missus est, quod locus est maritimus non procul a Tarracone, quo mense Decembri pervenit anno 1934, olitoris munus expleturus. Perfecti religiosi, exemplaris per omnia imitandi, existimationem collegit. Ibi magna rerum mutatione, quae Hispaniam concussit annis 1936-1939, comprehensus est.

Inde a die 3 mensis Iunii anni 1933 Summus Pontifex Pius XI per Litteras Encyclicas *Dilectissimo, Nobis* Episcopatui catholico gravem aperuerat Ecclesiae condicionem in Hispania, simul preces postulans et necessitudinem, eo consilio, ut mala vitarentur maiora. Mense Octobri anno 1934 in seditione, quae « Asturiarum » dicta est, multi iam interfecti erant sacerdotes, religiosi et fideles, solo crimine noxii, quod catholicam religionem professi essent. Cruentius tamen tempus fuit, quod intercessit a mense Iulio anni 1936 ad mensem Martium anni 1939, cum etiam plures occisi sunt Episcopi. Ad veram et conclamatam persecutionem erat perventum.

Servus Dei Iacobus Hilarius cum aliis personis comprehensus est die 24 mensis Augusti anno 1936 in oppido *Mollerusa* et postridie, Illerdam traductus, est in carcerem urbis coniectus. Ibi, ademptionibus affectus omne genus et pluribus subiectus interrogationibus, omnia est perpessus consueta cum tranquillitate et animi fortitudine.

Die 7 mensis Decembris anno 1936 ad navem-custodiam ((Manon » est translatus, ad ancoram stantem in portu Tarraconensi, ubi usque ad diem 15 mensis Ianuarii mansit anni 1937. Eodem die est commenticio subditus iudicio a « Tribunali Militari Tarraconensi)), accusatus quod ((fascalem navitatem » explicasset, quod ((linguae latinae » studuisset, quod « fascales » formasset : sic patet ex publicis instrumentis iudicii « popularis)). Clara erat voluntas Servum Dei opprimendi solummodo quia religiosus erat, qualem se esse numquam celare voluit. Suadentibus ut se pro olitore probaret, sicut revera in Domo novitiatus oppidi *Cambrils* erat, Servus Dei semper voluntatem opposuit se confitendi « religiosum terram colentem)). Interrogatus enim in tribunali, suam religiosi condicionem non negavit, et numquam hoc suum insigne ullo modo minuere voluit, sed fortiter respondit se religiosum esse. « Tribunal Populare », ob mendaces insimulationes supra commemoratas, Servum Dei capite damnavit et bonorum confiscatione. Sententia evulgata est eodem die 15 mensis Ianuarii anno 1937. Cum ea Servo Dei significata est, qui propter surditatem, contentionem forensem parum animadvertere poterat, multa cum tranquillitate et serenitate iniquam accepit sententiam, simul horologium donans fratri sodali, qui ei in iudicio affuerat repetendarum rerum causa, propter notam eius surditatem.

Frater Iacobus Hilarius ultimos egit dies in carcere Tarraconensi ((Castillo de Pilatos » solita cum serenitate et iucunditate, deprecans et cantans cum ceteris ibidem inclusis et Eucharistiam adorans, quam

quidam ex iis, qui custodia tenebantur, secum ferre potuerat. In epistilio, quo patri et familiaribus supremum vale dicebat, scripsit : «Laetus sententiam accipio ... Damnatus sum tantummodo quia religiosus sum; ne fleveritis, non sum miseratione dignus. Pro Deo moriar et pro patria mea. Valete. Exspecto vos in Paradiso ». Qui cum eo in custodia habebantur adhuc memoria tenent assiduam Rosarii recitationem, quam Servus Dei dirigebat corona composita nodis confectis super funiculi frustum. Prudens et sciens ad supremum testimonium se praeparavit.

Servus Dei e carcere ablatus est die 18 mensis Ianuarii anno 1937 et in suburbium Tarraconense ductus, ubi, primo tempore postmeridiano, subditus est militum manipulo internecioni peragendae. Litterae medici affirmant, post duas ignivomarum ballistarum amissiones irritas, Servum Dei, qui manus habebat- super pectus oculosque defigebat in caelo, duobus tribusve pyroballistae ictibus ad caput, necatus est ab eiusdem manipuli duce. Frater Iacobus Hilarius talem erga suos persecutores servaverat animum, qualem ostenderat cum ei sententia est nuntiata poenae capitalis : « Benedictus Deus ! de caelo pro iis deprecabor ».

Servi Dei mors statim a sodalibus fratribus atque fidelibus habita est supremum amoris in Deum testimonium et in propriae religiosae vocationis naturam, quale vere fuit. Manet enim singulare Fratris Iacobi Hilarii exemplum, qui alacriter Dei vocationi ad vitam religiosam Fratris Scholarum Christianarum respondit, pro tot iuvenum bono, ad quos aditum habere potuit in scholae apostolatu; manet eius hilaris et patiens acceptio progredientis surditatis, qua impeditus est ne praeceptionem pergeret; splendor manet eius humilitatis, unde cum gaudio domestica munia suscepit pro sodalibus fratribus. Fulget maxime fortitudo testimonii eius, personae Deo consecratae, in furore persecutionis, usque ad sanguinis effusionem.

Qua re Processus Ordinarius super fama martyrii Servi Dei actus est in Curia Tarraconensi annis 1945-1946, cum interrogatione 38 testium et multorum instrumentorum collatione ad facta iam memorata pertinentium. Huius Processus auctoritas Decreto agnita est Congregationis pro Causis Sanctorum, die 7 mensis Iunii anno 1985. Praeparata deinde *Positione super martyrio* et servatis rebus ex iure servandis, eadem Congregatio quaesivit de martyrio eiusque causa primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die 24 mensis Februarii habito anno 1989, praesidente Rev.mo Domino Antonio

Petti, Fidei Promotore Generali; deinde in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, die 17 mensis Octobris eiusdem anni acta, Ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi. In utroque coetu, tum Patres Cardinales et Episcopi, tum Patres Consultores, proposito dubio num constaret de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur, unanimiter affirmando responderunt.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, rataque habens, praecepit ut super martyrio Servi Dei Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio et de causa martyrii Servi Dei Iacobi Hilarii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1989.

ANGELUS **card.** FELICI, *Praefectus*

L. $ S.

Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

TAURINEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Georgii Frassati, viri laici (1901-1925).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Petrum Georgium Frassati virtutes théologales, scilicet Fidem, Spem et Caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales, videlicet Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem eisque adnexas, heroum in modum coluisse Summus Pontifex

Ioannes Paulus II, servatis ex iure servandis, die 23 mensis Octobris anno 1987 sollemniter declaravit.

Is ortum duxit Augustae Taurinorum die 6 Aprilis mensis anno 1901, matre Adelaide Ametis patreque Alfredo, illustri advocato et scriptore diurnario et postea Legato Italiae Berolini necnon Senatore Regni Italiae. Animam Deo reddidit die 4 Iulii anni 1925, sanctitatis fama ornatus.

Ad eiusdem autem sollemnem peragendam beatificationem seduli Causae actores non tardarunt ut, quemadmodum hodiernum Ecclesiae ius cavet, eventum quemdam prodigiosum, qui asserebatur, deprecatore eodem Venerabili divinitus patratum, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhiberent.

Asserebant profecto iidem Causae actores dominum Dominicum Sellan, Christifidelem dioeceseos Portus Naonis, annum quadragesimum aetatis agentem, mense Decembri anni 1933, meritis invocationeque praefati Venerabilis Servi Dei rapidissime et perfecte a Pottiano morbo primae et secundae vertebrae lombaris, cum paraplegia, convaluisse.

Porro, super eadem asserta mira sanatione iuridica inquisitio est adornata apud curiam ecclesiasticam Taurinensem diebus 23-31 Ianuarii a. 1989, deque eius forma et auctoritate iuridica Congregatio haec de Causis Sanctorum decretum edidit diei 22 Februarii eodem anno.

Postmodum eiusdem Congregationis Consultae Medicae celebrata est sessio die 26 Aprilis a. 1989, in qua diligenter acuteque de eadem sanatione disceptatum est atque proclamatum eandem hodierna scientia medica explicari non posse. Factum est ita ut ad theologicam disceptationem fieret gressus. Id quidem primum, die 30 mensis Iunii anno hoc 1989, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 3 mense Octobri hoc eodem anno, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum Congregationi de Causis Sanctorum praepositorum, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et cuncti, in utroque Coetu, proposito dubio an de miraculo constaret in casu et ad effectum de quo agitur, adfirmantes responderunt.

De hisce omnibus rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota utriusque Coetus excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum super praedicta mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto atque Causae Ponente meque Antistite a secretis Congregatio-

nis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater edixit : ***Constare de miraculo Venerabili Petro Georgio Frassati intercedente a Deo patrato, nimirum rapidissimae ac perfectae stabi-Usque sanationis domini Dominici Sellan a morbo Pottiano primae et secundae vertebrae lombaris, cum paraplegia.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum inseri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

SB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

VI

ZAMOREN. IN MEXICO

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Leonardi Castellanos, Episcopi Tabasquensis (1862-1912).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

v.

« Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » ***(Io*** **15, 5). Qui baptismi sacramento Christo insiti sunt, non solum bona participant redemptionis, sed, si in dono gratiae manent, copiosos edere** poscunt **sanctitatis frustus sicque aedificandae Ecclesiae et dilatando in terris Regno Dei operam navare. Multo magis autem presbyteri et episcopi, per Ordinem sacrum ad summum aeternumque Sacerdotem conformati, vocantur ad progrediendnm sine intermissione in intima cum Domino coniunctione et ad eius in se lineamenta effingenda, ut se sanctificent et fructuosiorem reddant apostolatum suum. Sacerdotes namque, qui magnos fecerunt progressus in imitatione Christi**

et in populo vitae et operum sanctitate fulgent, similes fonti sunt, quem animae Deum sitientes libenter petunt, aquam spiritalis salutis hausturae. Hac de re Concilium Oecumenicum Vaticanum II scripsit : ((Quamvis gratia Dei per indignos ministros opus salutis explere possit, tamen per illos ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti Dei facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctitatem, cum Apostolo dicere valeant : "Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus" *(Gal* 2, 20) » (Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis,* .12).

Christi fidelis discipulus et verus amicus fuit etiam Servus Dei Leonardus Castellanos, qui, acceptae vocationi generose respondens, fulgidum factus est virtutum sacerdotalium et episcopalium exemplar et diligentissimus Pastor omnino Ecclesiae deditus servitio.

Servus Dei in vico *Eouandureo* natus est, intra fines paroeciae Tlaxcalensis, ea aetate in dioecesi *Michoaoán,* die 5 mensis Novembris anno 1862, a Ferdinando Castellanos Alfaro et Lugurda Castellanos Barriga, qui in baptismate ei nomina indiderunt Iosephum Leonardum a Iesu. Educationem sequens, qua in familia erat imbutus, mature arduum iter facere coepit christianae perfectionis, affabilem se ostendens et oboedientem erga omnes, beneficum in proximum et praesertim pium in Eucharistiam, in Virginem Mariam et in Sanctum Ioseph. Nondum quinquennis catechismum memoriter sciebat, quem aequales docebat, et Missae celebrationi ac aliis sacris actuose intererat.

Vivida intellegentia et bona voluntate praeditus, in loco ubi natus erat ludum litterarium frequentavit, aequalibus antecellens, etiam moribus prudentibus nec ulla reprehensione dignis. A Deo vocatus, constanti cum cura et optimis exitibus se ad sacerdotium praeparavit in seminario Zamorensi in Mexico; et etsi molesti morbi eius iter formationis difficile reddiderunt, metam tamen est consecutus Ordinis sacerdotalis die 20 mensis Martii anno 1886.

Ab anno 1888 ad annum 1904 sacrum exercuit ministerium in pago *Eouandureo,* primum tamquam vicarius et postea tamquam parochus. Alacri apostolico fervore impulsus, se curae animarum tradidit, secunda cum voluntate, nitens vitam christianam confirmare et augere in singulis fidelibus inque tota communitate. Peculiariter diligens et assiduus fuit in praedicatione verbi Dei et in sacramento Paenitentiae administrando atque in doctrina christiana tradenda. Pari cum sedulitate auxit fidelium participationem divinorum mysteriorum et popu-

larem pietatem. Aegrotorum studiosus fuit, quos frequenter visebat, et in pauperes liberalis. Ecclesiam paroecialem exornavit et domui paroeciali necnon domui pro exercitiis spiritalibus consuluit struendis.

Unanimiter grege eius dolente, qui eum ut patrem amabat atque ut magistrum sequebatur, a Superioribus est Zamoram translatus, ut muneribus fungeretur canonici ecclesiae cathedralis et seminarii dioecesani rectoris : quae munera explevit egregie.

Episcopus creatus Tabasquensis, ordinationem episcopalem accepit die 24 mensis Septembris anno 1908 et paulo post docendi, sanctificandi et gubernandi officium iniit, quod, quamquam breve, pastoralibus tamen fructibus copiosum fuit. Incommodae valetudinis neglegens, nec viribus nec tempori parcens, in gloriam Dei assequendam et in salutem animarum incubuit, quibus abundanter redemptionis bona distribuebat. Indefatigabilis fuit in Evangelio ac veritatibus revelatis nuntiandis, et quae alios docebat, non solum ipse firmiter credebat, sed congruenter et recte exercebat. Amicus fuit sacerdotum et pauperum pater, aegrorum, in carceribus inclusorum et cuiusvis, qui eius indigeret auxilio. Etiam peste saeviente, veluti alter Sanctus Carolus Borromeo, populo suo adfuit, solans corpore et spiritu patientes. Erga omnes, catholicos et non catholicos, iustos et peccatores, tam magnam adhibebat affabilitatem et caritatem, ut aestimationem catholici sacerdotii ex illo populo recreaverit, quae quidem aestimatio tum aliquantulum in ea dioecesi minuta erat.

Cum humilitate et simplicitate fideliter Deo servivit et Ecclesiae et, divini Pastoris insistens vestigia, exemplo sibi concreditis hominibus fuit. Ita quod Magisterium docet explicavit : « Gregis Christi Pastores imprimis oportet ut ad imaginem summi et aeterni Sacerdotis, Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, sancte et alacriter, humiliter et fortiter exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium » (CONC. OEC. VAT. II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium,* 41).

Acriter pro populi sanctificatione laborans, sui ipsius sanctificationi maxime studuit. Perseveranter enim esse conabatur instrumentum dignum rebus quas administrabat et omnibus anteire diligenti et laeto christianarum virtutum exercitio. Laudabilibus his impulsus propositis et gratia fultus, vitam suam sacerdotalem et episcopalem fecit laudis hymnum Domino in cotidiana praecepti evangelici effectione : <(Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est» *(Mt* 5, 48).

Ut eum decet, qui totus vult Dei esse, induit loricam fidei et caritatis et galeam habuit spem salutis (cf. *1 Thess* 5, 8). Ut in Christo imitando indesinenter crescerei, maxime amato, et suum apostolatum redderet efficaciorem, e fontibus gratiae large hauriebat per coniunctionem cum Deo, piam Missae celebrationem et sacramentorum, meditationem, deprecationem etiam in horas nocturnas productam, fervidam erga Eucharistiam pietatem ergaque Domini Passionem et Virginem Immaculatam. Voluntariam castigationem colebat, paenitentiam, temperantiam, paupertatem, iustitiam in Deum et in homines, prudentiam in peccato vitando atque in aptioribus eligendis modis, quibus Dominum celebraret et vitam consequeretur aeternam.

Christi paruit praecepto usque ad extremos vitae dies: « Diligite invicem, sicut dilexi vos » (cf. *Io* 15, 12), seu usque ad propriae vitae donum. Et revera hoc cotidie fecit, perfecte suum christiani officium exsequens et Pastoris, ex toto gregi pascendo dediti. Tamque assuetus erat se in animas impendere, ut numquam recesserit, ne in vitae quidem discrimine. Vehementissima enim cum caritate enisus est in aegris assidendo « febri gilva » correptis: qua iniectus paucis post diebus, ultimis refectus sacramentis, est aeternitatem ingressus die 12 mensis Maii anno 1912. Eius corpus, primum Tabasci sepultum, anno 1916 est in ecclesiam paroecialem pagi *Ecuandureo* translatum, ubi etiam nunc requiescit, a populo cultum. Fama sanctitatis durante, qua Servus Dei in vita floruit et post mortem, Episcopus Zamorensis causam canonizationis inchoavit. Processus Ordinarius Informativus celebratus est annis 1953-1960. Sacra id temporis Rituum Congregatio anno 1964 Decretum edidit de scriptorum recognitione Servo Dei tributorum. Deinde Summus Pontifex Paulus VI Causae Introductionem decrevit, die 23 Aprilis anno 1976, praecipiens ut Ordinarius Zamorensis consuleret documentis colligendis ad vitam et ad virtutes Servi Dei pertinentibus. Quod rite factum est, dum eodem tempore Processus Apostolicus celebrabatur super virtutibus in specie, annis 1977-1980. Horum Processuum auctoritas et vis est a Congregatione pro Causis Sanctorum agnita die 3 mensis Maii anno 1982.

Praeparata *Positione super virtutibus,* die 10 mensis Martii anno 1989 secundo cum exitu actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, Promotore Fidei Rev.mo D.no Antonio Petti praesidente. Die 3 Octobris eodem anno Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria coacti, Causae ponente Em.mo Cardinali Agnelo Rossi, professi sunt Servum Dei Lëonardum Castellanos heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens rataque habens, praecepit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die ad Se cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Leonardi Castellanos, Episcopi Tabasquensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris, A. D. 1989.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 20 Decembris 1989. — Cathedrali Ecclesiae Tacuarembianae R. D. Iulium Bonino Bonino, moderatorem pastoralem Conferentiae episcopalis Reipublicae Uruguaianae.

die 2 Februarii 1990. — Titulari episcopali Ecclesiae Ceramussensi R. P. Victorem Maldonado Barreno, ex Ordine Fratrum Minorum, Praefectum apostolicum Galapagensem, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Guayaquilensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cissitanae R. P. Olynthum Spagnolo, ex Missionariis Combonianis Cordis Iesu, Vicarium episcopalem Guayaquilensem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem Ecclesiae.

die 17 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Remesianensi, R. P. Silvestrum Ryan, e clero archidioecesis Angelorum in California, rectorem Instituti vulgo dicti « St. John's Seminary College » in oppido vulgo Camarillo, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Rogeri Michaelis Mahony, Archiepiscopi Angelorum in California.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lamzellensi, R. D. Stephanum E. Blaire, e clero archidioecesis Angelorum in California, cancellarium et moderatorem Curiae eiusdem archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Rogeri Michaelis Mahony, Archiepiscopi Angelorum in California.

die 20 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Northantoniensi Exc.mum P. D. Patricium Leonem McCartie, hactenus Episcopum titularem Helmamensem et Auxiliarem Archiepiscopi Birminghamiensis.

die 24 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gunelensi R. D. Aemilium Bataclan, cancellarium Curiae archidioecesis Caebuanae, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Caebuani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Claternensi R. D. Antonium Rafiola, secretarium privatum apud Apostolicam Nuntiaturam in Insulis Philippinis, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Caebuani.

die 2 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Azoguensi R. D. Hyacinthum Climacum Zarauz Carrillo, e clero dioecesis Ibarrensis, Vicarium pastoralem.

die 7 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Helmamensi R. D. Edmundum Olivarium Walsh, secretarium Archiepiscopi Dublinensis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem Archiepiscopi.

die 10 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Orlandensi, Exc.mum P. D. Norbertum M. Dorsey, O.P., hactenus Episcopum tit. Mactaritanum.

die 14 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aquaeregensi R. D. Georgium M. Jakubinyi, magistrum Sacrae Scripturae in Seminario maiore Albae Iuliensis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cantanensi Exc.mum P. D. Ioannem Chertés, eidem conferens archiepiscopalem dignitatem ad personam.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ressianensi Exc.mum P. D. Adalbertum Boros, eidem conferens archiepiscopalem dignitatem ad personam.

— Cathedrali Ecclesiae Albae Iuliensi Exc.mum P. D. Ludovicum Balint, hactenus Episcopum titularem Novensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Bucarestiensi Exc.mum P. D. Ioannem Robu, hactenus Episcopum titularem uellensem in Proconsulari.

— Cathedrali Ecclesiae Iasensi R. P. Petrum Gherghel, Ordinarium « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Magnovaradinensi Latinorum R. D. Iosephum Tempfli, curionem in oppido vulgo Oradea-Olosig.

— Cathedrali Ecclesiae Satmariensi R. D. Paulum Reizer, curionem paroeciae vulgo Sighetu-Marmatiei.

— Cathedrali Ecclesiae Timisoarensi R. D. Sebastianum Kräuter, Ordinarium « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

die 17 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aggaritanae R. D. Franciscum Radkovsky, curionem paroeciae « Exaltationis Sanctae Crucis » in urbe vulgo Frantièkovy Lâznë, in archidioecesi Pragensi exstantis, quem constituit Auxiliarem Em.mi P. D. Francisci S.R.E. Cardinalis Tomâsek, Archiepiscopi Pragensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Catabitanae R. D. Franciscum Lobkowicz, Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis sodalem, quem constituit Auxiliarem Em.mi P. D. Francisci S.RIE. Cardinalis Tomásek, Archiepiscopi Pragensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tagariensi R. D. Ioannem Graubner, curionem paroeciae Sancti Laurentii martyris, in urbe vulgo Vizovice, in archidioecesi Olomucensi exstantis, quem constituit Auxiliarem Exc.mi P. D. Francisci Vanák, Archiepiscopi Olomucensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Trunudrumensi R. D. Iosephum Hrdlicka, curionem paroeciae Sanctae Annae in urbe vulgo Hoâtejn, in archidioecesi Olomucensi exstantis, quem constituit Auxiliarem Exc.mi Francisci Vanák, Archiepiscopi Olomucensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ubabensi R. D. Dominicum Tóth, Vicarium generalem Ecclesiae Metropolitanae Tyrnaviensis, quem constituit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Sokol, Archiepiscopi Tyrnaviensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thuccensi in Mauretania R. D. Vladimirum Filo, hactenus in Seminario maiori Bratislaviensi professorem iuris canonici, quem constituit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Sokol, Archiepiscopi Tyrnaviensix.

— Metropolitanae Ecclesiae Quebecensi Exc.mum P. D. Mauricium Couture, R.S.V., hactenus Episcopum Sinus Comoènsis.

— Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitana^ Exc.mum P. D. Ioannem Claudium Turcotte, hactenus Episcopum tit. Suensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sinus Comoènsis Exc.mum P. D. Iosephum Paulum Petrum Morissette, hactenus Episcopum tit. Mesarfeltensem.

die 29 Martii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Mariani Oblak, Archiepiscopi Iadrensis, R. D. Ioannem Prend ja, rectorem Seminarii minoris eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Araucensi Exc.mum P. D. Raphaelem Arcadium Bernal Supelano, C.SS.R., hactenus Episcopum titularem Amudarsensem et Vicarium Apostolicum Sibundoyensem.

die 80 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi in Chile Exc.mum P. D. Carolum Oviedo Cavada, O. de M., hactenus Archiepiscopum Antofagastensem.

die 4 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Caeciritanae R. P. Osvaldum Raimundum Santana Sequera, Congregationis Filiorum B.M.V. Immaculatae sodalem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ali S.R.E. Cardinalis Lebrun Moratinos, Archiepiscopi Caracensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gisipensi R. D. Didacum Raphaelem Padrón Sánchez, e clero archidioecesis Valentinae in Venetiola, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ali S.R.E. Cardinalis Lebrun Moratinos, Archiepiscopi Caracensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Novensi R. D. Marium dei Valle Moronta Rodríguez, e clero dioecesis Tequinensis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ali S.R.E. Cardinalis Lebrun Moratinos, Archiepiscopi Caracensis.

die 7 Aprilis. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Henrici Pélach y Feliu, Episcopi Abancaiensis, constituit Exc.mum P. D. Isidorum Sala Ribera, hactenus Episcopum titularem Cluentensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

NORMAE DIRECTIVAE DE INSTITUTIONE IN RELIGIOSIS INSTITUTIS.*

SIGLA

DOCUMENTA CONCILII VATICANI II

AG	Decretum Concilii *Ad gentes,* 1965
ChD	Decretum Concilii *Christus Dominus,* 1965
DV	Constitutio dogmatica *Dei Verbum,* 1965
GE	Declaratio Concilii *Gravissimum educationis,* 1965
GS	Constitutio pastoralis *Gaudium et spes,* 1965
LG	Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* 1964
OT	Decretum Concilii *Optatam totius,* 1965
PC	Decretum Concilii *Perfectae caritatis,* 1965
PO	Decretum Concilii *Presbyterorum ordinis,* 1965
SC	Constitutio Concilii *Sacrosanctum Concilium,* 1963
UR	Decretum Concilii *Unitatis redintegratio,* 1964

DOCUMENTA SUMMORUM PONTIFICUM

ChL	Exhortatio Apostolica Ioannis Pauli II *Christifideles laici,* 1989
ET	Exhortatio Apostolica Pauli VI *Evangelica testificatio,* 1971
MD	Epistula apostolica Ioannis Pauli II *Mulieris dignitatem,* 1988
RD	Exhortatio Apostolica Ioannis Pauli II *Redemptionis donum,* 1984
RM	Litterae encyclicae Ioannis Pauli II *Redemptoris Mater,* 1987

ALIA DOCUMENTA SANCTAE SEDIS

c, cc.	canon, canones Iuris Canonici
CDRL	Instructio : Ratio contemplativa vitae religiosae *(Life and mission of religious in the Church: IL Document: The contemplative dimension o f religious Ufe)* - Con, 1980

* Congregatio pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus Vitae apostolicae publici iuris faciens hoc documentum, valorem instructionis ei tribuere intendit, iuxta CIC, c. 34. Agitur enim de dispositionibus et orientationibus a Summo Pontifice adprobatis, quae proponuntur a Dicasterio ad declaranda legum Iuris praescripta et ad navandam operam ut eadem observentur; innituntur igitur Iuris praescriptis vigentibus post editum Codicem Iuris Canonici, ad quae pro opportunitate spectant, nulla facta derogatione.

EE **Documentum : Elementa praecipua Ecclesiae doctrinae de vita religiosa *(Essential éléments in the Church's teaching as applied to Institutes dedicated to worJcs of the apostolate)* - Oon, 1983**

MR **Documentum *Mutuae relationes* - Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus et Sacra Congregatio pro Episcopis, 1978**

OCV ***Ordo consecrationis virginum* - Congregatio pro cultu divino, 1970**

OPR ***Ordo professionis religiosae* - Congregatio pro cultu divino, 1970**

RC **Instructio *Renovationis causam* - Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, 1969**

RHP **Documenta : Religiosi et humana promotio *(Life and mission of religious in the Church: I. Document: Religious and human promotion)* - Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, 1980**

RI ***Ratio institutionis* - Congregatio de Institutione catholica, 1970, 1985**

SF **Epistula *The document to all local Ordinaries on the spiritual formation in seminaries* - Congregatio de Institutione catholica, 1980**

VS **Instructio *Venite seorsum* - Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, 1969**

ALIA SIGLA

AAS **Acta Apostolicae Sedis**

CIT **Coetus Internationalis Theologiae**

CIC **Codex Iuris Canonici**

Con **Congregatio pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus Vitae apostolicae**

EV ***Enchiridion Vaticanum,* Edizioni Dehoniane, Bologna**

IDGP ***Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* Libreria Editrice Vaticana**

OR ***L'Osservatore Romano***

PG ***Patrologia Graeca***

UISG **Coetus Internationalis Superiorum Generalium**

INTRODUCTIO

FINIS INSTITUTIONIS RELIGIOSORUM

1. POTISSIMUM INSTITUTIONI sodalium innititur accommodata renovatio religiosorum institutorum. Etenim vita religiosa Christi discipulos congregat, qui congruenter ad suscipiendum adiuventur « donum divinum, quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat».[1] Adaptationis ergo formae, exquisitae sint licet, nullum allaturae sunt fructum nisi imbuantur altiore spiritus renovatione. Candidatorum institutio igitur, cum nativum habeat finem initiandae religiosae vitae atque curandi ut religiosi, viri ac mulieres, conscii fiant suae propriae in Ecclesia naturae, eo potissimum spectet oportet, ut per harmonicam elementorum fusionem, spiritualium scilicet, apostolicorum, doctrinalium et technicorum, ad unitatem vitae eorum in Christo, per Spiritum conferat.[2]

CONSTANS ET SOLLERS CURA SANCTAE SEDIS

2. Iam ante celebratum Concilium Vaticanum II Ecclesia religiosorum institutionem curare numquam destitit.[3] Concilium vero doctrinalia principia et generales normas edidit in VI capite constitutionis dogmaticae *Lumen gentium* atque in decreto *Perfectae caritatis.* Summus autem Pontifex Paulus VI religiosos multifariam admonuit, ut in qualibet vitae religiosae formarum ac charismatum varietate, omnia huius vitae elementa, eo semper spectarent, ut « homo interior » conformaretur.[4] Innumerae praeterea exstant exhortationes et sermones Summi Pontificis Ioannis Pauli II f.r., inde ab pontificalis ministerii

[1] *LG* 43.

[2] Cf. *PC* 18. 31.

[3] Cf., ordine chronologico, S. C. R. Decretum *Quo efficacius,* 24-1-1944: *AAS* 36 (1944) 213 et Litt. *Quantum conferat,* 10-6-1944: *Enchiridion de statibus perfectionis,* Romae 1949, n. 382, pp. 561-564; Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31-5-1956: *AAS* 48 (1956) 354-365, et Statuta eidem adnexa.

[4] *ET* 32; cf. *2 Cor* 4, 16; *Rm* 7, 22; *Eph* 4, 24; *EV* 996 ss.

exordiis, ad religiosorum institutionem quod attinet.[5] Ac demum *Codex Iuris Canonici* in normas convertit magis definitas, omnia quae sunt requisita ad institutionis accommodatam renovationem.[6]

NAVITAS CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE POST CELEBRATUM CONCILIUM

3. Dicasterium hoc, iam ab anno 1969, instructione *Renovationis causam,* nonnullas canonicas dispositiones tunc vigentes recolendas curavit, ut religiosa instituta « totum institutionis cursum aptius accommodarent mentis habitui hominum novae huius aetatis, vitae condicionibus nunc obtinentis, atque etiam apostolatus necessitatibus hodiernis, indole tamen et fine cuiusque instituti fideliter servatis ».[7]

Reliqua Dicasterii documenta licet directo de religiosorum institu-" tione non pertractent, tamen ad eam etiam conferunt, sub diversis rationibus. Huiusmodi sunt documenta quae inscribuntur *Mutuae relationes,* anno 1978,[8] « Religiosi et humana promotio » et « Ratio contemplativa vitae religiosae » *(Life and mission of religious in the Church: I. Document : Religious and human promotion, II. Document : The contemplative dimension of religious life),* anno 1980,[9] «Elementa praecipua » Ecclesiae doctrinae de vita religiosa *(Essentia! éléments in the Church's teaching as applied to institutes dedicated to works of the apostolate),* anno 1983.[10] Perutile ergo est universa haec documenta pervolutare ad religiosorum institutionem plene componendam cum orientationibus tum Ecclesiae universalis tum Ecclesiarum particularium atque ad integrationem fovendam « interioritatis et activitatis » religiosorum, virorum ac mulierum, apostolatui addictorum,[11]

[5] Ioannes Paulus II, sermo Portalegr., 5-7-1980: *IDGP* III, 2, 128; sermo Bergom., 26-4-1981: *ib.* IV, 1, 1035; sermo Manil., 17-2-1981: *ib.* IV, 1, 329; sermo ad Societatem Iesu, Rom., 27-2-1982: *ib.* V, 1, 704; sermo ad magistros novit. OFMCap., Rom., 28-9-1984: *ib.* VII, 2, 689; sermo Lim., 1-2-1985: *ib.* VIII, 1, 339; sermo ad UISG, Rom., 7-5-1985: *ib.* VIII, 1, 1212; sermo Bomb., 10-2-1986: *ib.* IX, 1, 420; sermo ad UISG, 22-5-1986: *ib* IX, 1, 1656; sermo ad Conferentiam Relig. Brasil., 2-7-1986: *ib* IX, 2, 237.

[6] Cf. CIC, cc. 641-661.

[7] *RC,* Intr.: *AAS* 61 (1969) 103 ss.

[8] Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, et Congreg, pro Episc. : *AAS* 70 (1978) 473 ss.

[9] Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus: *EV* 7, 414ss.

[10] Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus: *EV* 9, 181.

[11] *CDRL,* 4.

itaque « propter Dominum » operantes numquam impedientur quominus ad Dominum perducantur «fontem totius activitatis ».[12]

INDOLES AC DESTINATAMI HUIUS DOCUMENTI

4. Congregatio pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus Vitae apostolicae utillimum tamen atque pernecessarium diiudicat superioribus maioribus religiosorum institutorum eorumque fratribus ac sororibus institutioni addictis, monachis monialibusque non exceptis, hoc documentum esse proponendum, eo magis quod plurimi id exquisiverint. Hoc perficit suo innitens muneri apparandi institutis orientationes, auxilium praebituras ut suam institutionis rationem conficiant, quam ius generale Ecclesiae ipsis definiendam esse iubet.[13] Ceteroquin religiosi, viri ac mulieres, ius habent Ecclesiae iudicium cognoscendi tum circa praesentes quaestiones de institutione cum circa solutiones et suggestiones ad easdem dissolvendas. Documentum hoc, innitens plurimis inceptis atque experimentis, quae post celebratum Concilium Vaticanum II ad actum deducta sunt, quaestionesque referens pluries a superioribus maioribus exagitatas, in memoriam tandem omnium revocans nonnullas iuris exigentias, spectatis praesentibus rerum adiunctis atque necessitatibus, spe afficitur tantisper inserviendi novis potissimum institutis eisque omnibus, qui in praesens frui possunt perpaucis institutionis atque communicationis subsidiis.

5. Documentum nonnisi religiosa instituta cum respiciat, in clariorem lucem proferens id quod est magis vitae religiosae proprium, tantum uno capite pertractat de exigentiis, quae requiruntur ad diaconatus et presbyteratus ministeria suscipienda, quia de hac re competens Dicasterium definitas editurum est instructiones, una spectantes etiam ad religiosos, candidatos ad huiusmodi ministeria.[14] Orientationes vero communes hic proponuntur ad vitam religiosam in universum validae, quas instituti cuiusque erit indoli suae aptare.

Quae statuuntur in hoc documento pari iure pro utroque sexu valent, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.[15]

[12] Ioannes Paulus II, sermo ad CRIS, 7-3-1980: *IDGP* III, 1, 527.
» Cf. CIC, c. 659, 2 et 3.
[14] *RI,* n. 1, 2: *AAS* 62 (1970) 321 ss.
[15] Cf. CIC, c. 606.

CAPUT I

CONSECRATIO RELIGIOSA ET INSTITUTIO

IDENTITAS RELIGIOSA ET INSTITUTIO

6. Institutio potissimum ad hoc spectat, ut candidati ad religiosam vitam et iuniores professi primum possint perspicere, deinde autem adsumere omnino altiusque perpendere naturam religiosae identitatis. Hoc pacto dumtaxat, persona quae Deo se vovit inseritur mundo veluti testimonium significativum, efficax et fidele.[1] Recolendum est igitur, inde ab exordio huius documenti de institutione, Ecclesiae magisterium de gratia religiosae consecrationis.

QUID DOCEAT ECCLESIA DE VITA RELIGIOSA ET CONSECRATA

7. « Vita religiosa, utpote totius personae consecratio, mirabile in Ecclesia manifestat connubium a Deo conditum, futuri saeculi signum. Ita religiosus plenam suam consummat donationem veluti sacrificium Deo oblatum, quo tota ipsius exsistentia fit continuus Dei cultus in caritate ».

((Vita consecrata per consiliorum evangelicorum professionem » — unde scatet religiosa vita — « est stabilis vivendi forma qua fideles, Christum sub actione Spiritus Sancti pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut, in Eius honorem atque Ecclesiae aedificationem mundique salutem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et, praeclarum in Ecclesia signum effecti, caelestem gloriam praenuntient ».[2]

« Quam vivendi formam in institutis vitae consecratae, a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assumunt christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina iuxta proprias institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae profitentur et per caritatem, ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur ».[3]

[1] Cf. Ioannes Paulus II, sermo ad UISG, 7-5-1985; cf. n. 5, Intr.

[2] CIC, cc. 607 et 573, 1; cf. etiam *LG* 44 et *PC* 1, 5 et 6.

[3] CIC, c. 573, 2.

VOCATIO DIVINA AD SALUTIS MISSIONEM EXPLENDAM

8. Religiosa consecratio oritur ex ipsa vocatione, quam nonnisi inexplicabilis Dei caritas erga personam vocatam perficit. Huiusmodi caritas est omnino gratuita, personalis et unica, personamque eo ducit ut non iam sibi vivat, sed Christo.[4] Habet igitur notam foederis, quam ultro manifestat intuitus Iesu erga adolescentem : « Iesus autem intuitus eum dilexit eum)) *(Me* 10, 21). Spiritus autem donum, cum eandem significet atque probet personam, quam Deus vocat, auctorat ad sequendum Christum, per exercitium et professionem evangelicorum consiliorum castitatis, paupertatis et oboedientiae. Cum sit « donum divinum quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat »,[5] « Christi sequela in Evangelio proposita » habenda est igitur « tamquam suprema regula » vitae religiosae.[6]

RESPONSIO PERSONALIS

9. Christi vocatio, quae caritatem redemptricem exprimit, « totam complectitur personam, eius animam et corpus, sive vir sit sive mulier, ac quidem illud "ego personale", quod est unicum neque iterabile »,[7] atque « induit in anima eius qui est vocatus, formam concretam professionis consiliorum evangelicorum)).[8] Qua in forma viri ac mulieres a Deo vocati responsionem amoris plenam in vicem Christo Redemptori donant, amoris videlicet consecrationis plenae et exclusoriae, quae totam personam exhibet <(hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » *(Rm* 12, 1). Unus hic amor, sponsalem et ipse notahi induens ac affectus universos personae humanae complectens, rationes et adiutorium suppeditaturus est, supervenientibus necessariis renuntiationibus ac molestiis, ei qui vult perdere animam suam propter Christum et Evangelium (cf. *Me* 8, 35).[9] Personalis huiusmodi responsio pernecessarium est complementum consecrationis religiosae.

[4] Cf. *1 Cor* 6, 19.

[5] *LG* 43.

[6] *PC* 2a; circa vocationem divinam, cf. etiam *LO* 39; 43b; 44a; 47; *PC* lc; *BC* praeph.; 2d; *OPR* I, 57, 62 , 67, 85, 140, 142; II, 65, 72; append.; *OCV,* 17; 20; *ET* 3; 6; 12; 19; 31; 55; *MR* 8a; CIC, cc. 574, 2 ; 575; *EE* 2; 5; 6; 7; 12; 14; 23; 44; 53; *RD* 3c; 6b; 7d; 10c; 16a.

[7] *RD* 3.

[8] *RD* 8.

[9] Circa personalem responsionem, cf. etiam *LG* 44a; 46b; 47; *PC* 1, c; *RC* 2a, c; 13, 1; *OPR* 1, 7, 80; *ET* 1; 4; 7; 8; 31; CIC, c. 573, 1; *EE* 4; 5; 30; 44; 49; *RD* 7a; 8b; 9b.

PROFESSIO RELIGIOSORUM : ACTIO ECCLESIAE CONSECRANTIS UNAQUE INCORPORANTIS

10. Ut docet Ecclesia, « professione religiosa sodales tria consilia evangelica observanda voto publico assumunt, Deo per Ecclesiae ministerium consecrantur et instituto incorporantur cum iuribus et officiis iure definitis)).[10] In actu religiosae professionis, quae est actio Ecclesiae, per auctoritatem viri vel mulieris vota suscipientis, in unum coalescunt actio Dei et mos cogitandi agendique hominis.[11] Huiusmodi actu religiosi incorporantur instituto, ubi sodales « vitam fraternam in communi ducunt »,[12] eodem instituto ipsis conferente « adminicula stabilitatis in modo vivendi firmioris, doctrinae ad perfectionem prosequendam probatae, communionis in militia Christi fraternae, libertatis per oboedientiam roboratae, ita ut suam religiosam professionem secure implere et fideliter custodire valeant, atque in caritatis via spiritu gaudentes progrediantur ».[13] Instituto cum incoporentur, religiosi, viri ac mulieres, publicum Christo et Ecclesiae praebent testimonium sive abscessionis a spiritu mundi (cf. *1 Cor* 2, 12) eiusque morum, sive insimul praesentiae mundum versus secundum Dei sapientiam (cf. *1 Cor* 2, 7).

VITA SECUNDUM EVANGELICA CONSILIA

11. ((In corde cuiusque » religiosi, viri ac mulieris, « professio religiosa reponit Patris amorem, amorem illum, qui in corde est Iesu Christi, mundi redemptoris. Amor hic mundum amplectitur et omne quod, in illo, venit a Patre, idemque amor eo contendit ut in mundo vincat omne, quod "non est ex Patre" ».[14] « Qui quidem amor ... erumpat oportet ex ipso fonte illius peculiaris consecrationis, quae — in fundamento sacramentalis baptismi posita — initium est novae vitae (religiosi) in Christo et in Ecclesia : est initium novae creaturae ».[15]

[10] CIC, C. 654.

[11] Cf. *EE* 13-17.

[12] CIC, c. 607, 2.

[13] *LG* 43a; circa ministerium Ecclesiae in consecratione religiosa, cf. etiam *LG* 44a; 45c; *PC* Ib, c; 5b; Ila; *OPR* append., Missa in die professionis perpetuae, 1; Ritus promissionis, 5; 0 0 7 16; *ET* 7; 47; *M R* 8a; CIC, cc. 573, 2 ; 598; 600-602; *EE* 7; 8; 11; 13; 40; 42; *RD* 7a, b; 14c.

[14] *RD* 9: *AAS* 76 (1984) 513 ss.

[15] *RD* 8.

12. Fide, spe et caritate religiosi, viri ac mulieres, impelluntur ad semetipsos auctorandos vinculis votorum ac ad exercenda et profitenda tria consilia evangelica, itaque suo statu testantur spiritum beatitudinum adhuc vigere et prodesse praesenti saeculo.[16] Consilia etenim sunt veluti axis praecipuus religiosae vitae, cum plene ac significative exprimant eius notam evangelici radicalismi ; nam « consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia (religiosus) liberari intendit ab impedimentis quae ipsum a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent, et divino obsequio intimius consecratur » ;[17] itemque hominem afficiunt in gradu trium praecipuarum ac necessariarum notarum eius vitae et necessitudinum, in amandi scilicet sensu et in possidendi ac dominandi voluptate, quae, cum sint in ipso homine firmiter radicata, ab Ecclesiae spirituali traditione sunt crebro connexa cum tribus concupiscentiis, quas S. Ioannes commemorat.[18] Illorum tamen rectus usus ad humanam perfectionem, ad spiritualem libertatem, ad cordis purificationem, ad caritatis fervorem non parum confert, et religiosi, ut cooperentur in aedificanda terrestri civitate, instimulantur.[19] Consiliorum quam verissimum exercitium ut praeclarum apud homines in mundo[20] habetur testimonium et exemplum, quia unumquodque votum singulis opponitur maximis aevi nostri temptationibus. Iisdemque consiliis Ecclesia pergit mundo indicare suae transfigurationis vias in Regno Dei. Magnopere profecto interest ut intenta adhibeatur cura ad initiandos candidatos ad vitam religiosam theoretice et practice, qui trium votorum concretas exigentias sedulo servent.

CASTITAS

13. « Evangelicum castitatis consilium propter Regnum caelorum assumptum, quod signum est mundi futuri et fons uberioris fecunditatis in indiviso corde, obligationem secumfert continentiae perfectae in caelibatu »,[21] cuius exercitium « propius » *(ET* 13) revocat unitatis amorem, per quem persona consecrata religionis votis decernit

[16] *LO* 31.
[17] *LO* 44.
[18] Cf. *1 Io* 2, 15-17.
[19] Cf. *LG* 46.
[20] Cf. *LG* 39, 42, 43.
[21] CIC, c. 599.

ponendam potissimum esse in sua vita affectiva relationem cum Deo per Christum, in Spiritu.

« Cum observantia continentiae perfectae profundiores naturae humanae inclinationes intime attingat, candidati ad professionem castitatis ne accedant neve admittantur, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica et affectiva. Ipsi non solum de periculis castitati occurrentibus moneantur, sed ita instruantur ut caelibatum Deo dicatum etiam in bonum integrae personae assumant ».[22] Naturae humanae impulsus perpellit ut amori primae partes tribuantur utpote eminenter humano. Huiusmodi impulsus egoismo affectivo notantur, voluntate scilicet possidendi ac dominandi in personam quae amatur, velut si beatitudinis fons esse possit. Cum autem homo vix intellegere ac praesertim ad actum deducere valeat talem amorem, qui sese totum exprimat in suipsius deditione, nec necessario exigat sexuales expressiones, castitatis institutio eo contendere debet ut religiosus quisque, sive vir sive sit mulier, custodiat ac gubernet suos sexuales impulsus, ac insimul repellat egoismum affectivum, superbe de se sen tien tem ac gaudentem propter suam fidelitatem in puritate. Et recte sane Ecclesiae Patres humilitati potius quam castitati primum locum tribuerunt; castitas enim, ut omnes experiuntur, cum cordis duritia non raro iungitur ac iungi potest.

Castitas sine sollicitudine cor hominis *(1 Cor* 7, 32-35) reddit ut assidue cum Domino omnibusque hominibus esse possit sine distraetene. Ideoque inter maxima dona, quae religiosus afferre potest hominibus hoc in tempore, est habenda opportunitas eis revelandi vita sua potius quam suis verbis, se vere posse dedere ac vovere ceteris, communicando eorum gaudia, fideliter et constanter in caritate vivendo, nullam dominandi vel excludendi voluptatem affectando.

Castitatis consecratae paedagogia igitur curet oportet ut :

— gaudium custodiat una cum gratiarum actione propter caritatem personalem qua Christus unumquemque intuitus est ac elegit ;

— animum firmet ad reconciliationis sacramentum frequenter suscipiendum, ad spirituali directione regulariter fruendum, adque veram et fraternam caritatem participandam in communitate, quae relationibus sinceris et benevolis utatur;

— valorem corporis eiusque significationem explicet, ad elementarem saltem corporis munditiam informet (quae scilicet ad somnum,

[22] *PC* 12.

ad animi corporisque exercitationem, vacationem, nutrimentum, etc., spectant) ;

— maioris momenti notiones praebeat de viri mulierisque sexualitate, cum notis physicis, psychologicis, spiritualibus;

— adiuvet ad semetipsos custodiendos, non tantum in his quae ad sexum affectusque spectant, sed etiam in ceteris quae ad instinctus vel habitus adquisitos respiciant (ut sunt cuppediae, tabacum, alcohol) ;

— unumquemque adiuvet ad suas praeteritas experientias assumendas, sive sint positivae ut gratias agat, sive sint negativae ad reparanda infirma quaeque, ad sese humiliandum ante Deum cum serenitate atque in posterum vigilandum ;

— castitatis fecunditatem illustret, partum illum spiritualem *(Gal* 4, 19), qui novas Ecclesiae generat vitas;

— propitias fiduciae condiciones suppeditet inter religiosos eorumque institutores, quorum est sollicite ad omnia mentem intendere et benignas aures erga omnes praebere ad clarificandum et auxilium praebendum ;

— prudenter agat in fruendis mediis socialis communicationis atque in relationibus personalibus, quae impedimento esse possint congruenti exercitio castitatis consilii (cf. cc. 277, 2 et 666) ; recolendum est hoc in loco prudenter agendum esse non solum religiosis sed etiam eorum superioribus.

PAUPERTAS

14. « Evangelicum consilium paupertatis ad imitationem Christi, qui propter nos egenus factus est cum esset dives, praeter vitam re et spiritu pauperem, operose in sobrietate ducendam et a terrenis divitiis alienam, secumfert dependentiam et limitationem in usu et dispositione bonorum ad normam iuris proprii singulorum institutorum)).[23]

Vis sentiendi paupertatem nova neque in Ecclesia est neque in religiosa vita. Novus fortasse est peculiaris sensus erga pauperes et paupertatem in mundo vigentem, quo vita religiosa nostris temporibus denotatur. Exstant enim nostra aetate formae paupertatis summis in gradibus, quibus homines individui vel coetus innumeri opprimuntur, huiusmodi sunt fames, ignorantia, morbi, operis vacatio, libertatum primariarum coërcitio, oeconomica et politica dependentia, corruptio

[23] CIC, c. 600.

in rebus publicis administrandis, potissimum autem quod humana societas ita videatur constituta ut has paupertatis formas semper sit collatura ac genitura.

Talibus in condicionibus religiosi moventur ad propius vivendum coram eisdem fratribus maxime pauperibus et egentibus, quos Iesus semper dilexit, ad quos se dixit missum[24] unamque cum eis esse personam.[25] Huiusmodi propinquitas inducit religiosos ad sumendum vitae personalis et communis stilum magis cum proposito suo congruentem, propius scilicet sequendi Christum pauperem et humilem factum. Haec potior evangelica religiosorum optio[26] pro pauperibus innititur interiori bonorum eontemptui, vitae communis austeritati, interdum eorum vitae et luctuum participationi. Ipsi tamen in memoriam revocent se peculiariter missos esse ad testificandum miro et eminenti modo mundum non posse neque immutari neque Deo offerri sine Beatitudinum spiritu.[27] Deus omnes homines diligit eosque universos ad unitatem vult revocare.[28] Item religiosi quandam paupertatis formam profitentur cum nullo se claudi sinant contextu nulloque sociali coetu. Studium doctrinae socialis Ecclesiae, imprimis encyclicarum Litterarum *Sollicitudo rei socialis* et Instructionis de christiana libertate atque liberatione,[29] non parum conferet ad rectum iudicium ferendum de apostolica paupertate nostris temporibus accommodanda atque ad actum deducenda.

Ad institutionem evangelicae paupertatis perficiendam attento animo considerandum est :

— nonnullos adulescentes, antequam vitam religiosam adgressi sint, non parva autonomia fruitos esse quoad pecuniam, eosdemque esse assuefactos ad omnibus suis voluptatibus satisfaciendum; nonnullos autem in religiosa communitate invenire vitae stilum commodiorem quam habuerint infantes vel studiis aut labori cum fuerint occupati; paupertatis institutio igitur singulorum historiam respiciat oportere, recolatque quibusdam in culturis familiares contendere ad sibi

[24] Cf. *Lc* 4, 16-21.

[25] Cf. *Lc* 7, 18-23.

[26] Document. Puebl., nn. 733-735, Ioannes Paulus II: «Potior amor» (sermo ad familiam Prad., Lugdun., 7-10-1986).

[27] *LG* 31.

» Cf. *GS* 32.

[29] Congr. pro Doctr. Fid., 22-3-1986.

potius commoda apparanda ex huiusmodi suorum liberorum, quam putant, promotione ;

— ad paupertatis virtutem conferre quod vitam operosam religiosi suscipiant, actusque veros humilesque exhibeant bonorum restitutionis, privationis, qui magis liberos eos reddunt ad missionem perficiendam ; quod admirentur atque venerentur creata et materialia bona quae in promptu habeant ; quod ad communitatis mentem vitae suae condicionem conforment; quod sincere desiderent omnia communia sibi esse atque singulis dividere prout cuique opus sit *(Act* 4, 32. 35).

Haec omnia eo contendunt ut vitam suam religiosus intime conformet cum Iesu, magistro suo paupere, qui unus contemplandus atque amandus est, sine quo religiosa paupertas sub specie solidarietatis et participationis, facile fit ideologica et politica. Solummodo pauperis cor, quod sequatur Christum pauperem, fons esse potest verae solidarietatis et sinceri bonorum contemptus.

OBOEDIENTIA

15. « Evangelicum oboedientiae consilium, spiritu fidei et amoris in sequela Christi usque ad mortem oboedientis susceptum, obligat ad submissionem voluntatis erga legitimos superiores, vices Dei gerentes, cum secundum proprias constitutiones praecipiunt ».[30] Praeterea religiosi omnes « utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo » dicati, « supremae eiusdem auctoritati peculiari ratione subduntur ... (et) Summo Pontifici, tamquam supremo eorum superiori, etiam ratione sacri vinculi oboedientiae parere tenentur ».[31] « Oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit ».[32]

Oboedientia religiosa insimul est Christi imitatio et missionis eius participatio, cum ad id inducat faciendum quod ipse Iesus et fecit et facturus esset in statu rerum, in quo hodie religiosus versatur. Etenim in suo instituto religiosus, auctoritate sive polleat sive careat, nec iubere nec oboedire potest nulla facta missionis mentione. Cum autem religiosus oboediat hoc actu ponit vitam suam conspirantem cum Iesu oboedientia ad mundi salutem. Econtra quidquid in exercitio auctori-

[30] CIC, c. 601.
[31] CIC, c. 590, 1 et 2.
[32] *PC* 14.

tatis vel oboedientiae sapit compromissum, diplomaticam solutionem vel pressionem, aut humanam cuiusvis generis accommodationem, contradicit religiosae oboedientiae fundamentali afflatui, qui sibi proponit Iesu missionem prosequi eamque in actum deducere in tempore, etiamsi hoc officium sit onerosum.

Superior favens dialogo fovet etiam oboedientiam consciam et activam, salva semper sua auctoritate « decernendi et praecipiendi quae agenda sunt ».[33]

Ad oboedientiae institutionem fovendam recolendum est :

— neminem se oboedientiae tradere posse quin prius fuerit sui iuris et conscius exsistentiae suae ; candidatos enim optare ut, mundi technici anonymia fugata, agnoscant semetipsos atque ipsimet agnoscantur veluti personae, dignae quae magni existimentur atque diligantur;

— eosdem candidatos optare veram libertatem, ut ipsi transire possint ex subiectiva sui satisfactione ad facienda « ea quae placita sunt Patri » ; propterea ab institutionalibus communitatis structuris, satis clarae firmaeque quae exstent, prudentibus inceptis et resolutionibus magnas partes esse tribuendas;

— Dei voluntatem saepissime potissimumque manifestari per Ecclesiam eiusque Magisterium et, ad religiosos quod spectat, per suas ipsorum constitutiones;

— ad oboedientiam quod attinet, seniorum agendi mores in communitate maiore auctoritate pollere apud iuniores quam ceteras theoricas considerationes ; adulescentem vero, qui nitatur oboedire sicut Christus et in Christo, posse parvi facere exempla mala ; institutionem ergo ad religiosam oboedientiam eis peragendam perspicuitate et exigentiis, quae necessariae videantur ne religiosus « via » deerret, quae est ipse Christus evangelizans.[34]

VARIETAS DONORUM EXCOLENDORUM ATQUE SERVANDORUM

16. Institutorum multiformis diversitas ((quasi in arbore ex germine divinitus » data est, ac « mirabiliter et multipliciter in agro Domini ramificata »,[35] ut per ipsa « Ecclesia revera Christum in dies, sive fidelibus sive infidelibus, melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel turbis Regnum Dei annuntiantem, vel aegrotos et sau-

[33] *Ibid.*

[34] Cf. *Io 14,* 16.

[35] *LG* 43.

cios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, et omnibus benefacientem, semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem ».[36] Varietas haec ipsi « Fundatorum charismati »[37] innititur, quod ((videtur esse quaedam Spiritus experientia, propriis discipulis tradita, qui secundum eam viverent, eam custodiant altioremque redderent et constanter augerent simul cum Christi Corpore iugiter crescente. "Propterea Ecclesia propriam indolem variorum institutorum religiosorum tuetur et fovet" ».[38] Qua re non una est forma consilia evangelica sequendi, sed institutum quodque suam propriam definire debet « attentis indole et finibus propriis)).[39] Non ergo solum de consiliorum agitur fideli integroque exercitio sed de universis vivendi rationibus, quibus sodales vitam secundum ius proprium instituti componant atque ita ad sui status perfectionem contendant.[40]

VITA UNIFICATA IN SPIRITU SANCTO

17. « Qui evangelica consilia profitentur Deum qui nos prior dilexit *(1 Io* 4, 10) ante omnia quaerant ac diligant et in omnibus rerum adiunctis fovere studeant vitam absconditam cum Christo in Deo *(Col* 3, 3), unde profluit et urgetur proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem ».[41] Haec caritas, qua ipsa praxis consiliorum evangelicorum animatur et regitur, diffusa est in cordibus per Spiritum Dei, qui est Spiritus unitatis, communionis et reconciliationis inter homines et in ipso homine. Propterea vita personalis religiosi, viri mulierisve, nulla divisione afficiatur oportet tum quoad finem generalem suae vitae religiosae finemque specificum sui instituti, tum quoad consecrationem ad Deum missionemque in mundum, tum demum etiam quoad ipsam vitam religiosam apostolicaque officia. Nullibi enim invenitur exstans vita religiosa « per se », ad quam conformanda sint, veluti ad subsidiarium adiumentum, finis peculiaris et charisma particulare cuiusque instituti ; nullaque datur in eisdem institutis, quae ad apostolatum sunt addicta, sanctitatis consecutio vel consiliorum evan-

[36] *LO* 46.
[37] *ET* 11, cf. n. 4 Intr.
[38] *MR* 11, cf. n. 8 Intr.
[39] CIC, 598, 1.
* Cf. CIC, c. 598, 2.
« *PC* 6.

gelicorum professio, vel ad Deum eiusque servitium dedita vita, quin intrinsece Ecclesiae mundique servitio devinciantur.[42] Quin immo, « actio apostolica et benefica » naturae ipsi vitae religiosae ita innititur, ut « tota vita religiosa... spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica religioso spiritu informetur)).[43] Cum proximo inserviat religiosus nec dividitur neque separatur a Deo, quin immo si caritate theologali moveatur, huiusmodi servitium ipse commutabit in servitium Dei.[44]

Iure igitur asseverari potest religiosorum apostolatum <(primum in eorum vitae consecratae testimonio » consistere, ((quod oratione et paenitentia fovere tenentur ».[45]

18. Religiosus quisque seipsum interroget quonam modo in vita sua actio ex intima cum Deo unione procedat, quam insimul confirmet et roboret;[46] hac ratione, cum Dei voluntati famuletur, quae hic et nunc manifestatur in suscepta missione, illico aptum instrumentum acquirit ad vitae certam unitatem fovendam, ad quam semper contenditur cum numquam plene possideatur. Haec oboedientia innititur proposito sequendi pressius Christum, eademque vivificatur et urgetur caritate personali erga Christum, qui principium exstat interioris unitatis cuiusque vitae consecratae. Iudicium de vitae unitate ad fovendas quattuor potiores fidelitates pro opportunitate est inferendum, fidelitatem scilicet erga Christum eiusque Evangelium, erga Ecclesiam eiusque missionem in mundo, erga religiosam vitam propriumque instituti charisma, erga hominem nostramque aetatem.[47]

[42] Cf. *PC* 5.
[43] *PC* 8.
[44] S. Thomas, *S. Th.* II-II", q. 188; a. 1 et 2.
[45] CIC, c. 673.
[46] Cf. *PC* 8.
[47] Cf. *RH P* 13-21; cf. n. 9 Intr.

CAPUT II

RATIONES COMMUNES OMNIBUS GRADIBUS VITAE RELIGIOSAE INSTITUENDAE

A) ACTORES ET AMBITUS INSTITUTIONIS

SPIRITUS DEI

19. Deus ipse et vocat ad vitam consecratam in Ecclesia et, per totam religiosi vitam, inceptum suum perficit : « Fidelis est, qui vocat vos, qui etiam faciet »-[1] Pari ratione Iesus non solum vocavit discipulos suos sed eos patienter instituit perdurante vita publica, et etiam post resurrectionem opus perfecit per Spiritum suum, ut deducerentur « in omnem veritatem ».[2] Qui Spiritus, cum aliter operetur ac psychologica data vel visibilis historia, per quae tamen etiam operatur, in profundo uniuscuiusque corde primum agens, seipsum postea manifestat per fructus visibiles : Ipse est enim Spiritus veritatis, qui « docet », « suggerit », « deducit » ;[3] Idemque est « Unctio » delectans, probans, iudicans, seligens ;[4] Idemque Advocatus-Consolator qui ((adiuvat infirmitatem nostram », sustinet et spiritum filiorum donat.[5] Cuius prudens et decretoria praesentia duos habitus fundamentales exigit : humilitatem Dei sapientiae resignatam, atque scientiam exercitiumque recti iudicii spiritualis. Magni enim interest ut agnosci possit Spiritus praesentia in omnibus vitae humanae historiaeque rationibus et per humanas mediationes, inter quas magni est habenda dispositio sese revelandi ad spiritualem magistrum, propter desiderium in semetipsis verius intuendi propositumque consiliorum quaerendorum atque orientationum suscipiendarum, ad voluntatem Dei recte discernendam.

VIRGO MARIA

20. Cum Spiritus actione semper est sociata Virgo Maria, Mater Dei et Mater membrorum omnium Populi Dei; quae per Ipsum concepit in sinu suo Verbum Dei, Ipsumque exspectavit cum Apostolis, per-

[1] *1 Th* 5, 23-24; cf. *2 Th* 3, 3.
[2] *Io* 16, 13.
[3] Cf. *Io* 14, 26; 16, 12.
[4] Cf. *1 Io* 2, 20-27.
[5] Cf. *Rm* 8, 15-26.

severans in oratione (cf. *LG* 52 et 59), post Dominicam Ascensionem; quare ab initio usque in finem itineris institutionis elucet coram religiosis omnibus, viris ac mulieribus, praesentia Virginis Mariae. « Omnium enim personarum Deo sine ulla condicione consecratarum ipsa est prima. Ea — Virgo Nazarethana — etiam plenissime Deo est consecrata, consecrata quam perfectissimo modo. Amor enim sponsalis eius maternitate divina, Spiritus Sancti operante virtute, ad fastigium est perductus. Ea, quae uti Mater Christum ulnis suis gestat, simul quidem absolutissima ratione ipsius implet invitamentum : Sequere me. Eum quidem sequitur — ipsa, Mater — veluti suum in castitate, paupertate, oboedientia magistrum. ... Si Ecclesia universa Mariam habet primum suum exemplar, tanto potius id habe(nt) personae communitatesque Deo consecratae in sinu Ecclesiae ». Religiosus quisque invitatur « ad excitandam consecrationem (suam) religiosam secundum exemplum consecrationis ipsius Dei Genetricis ».[6] Non solum autem Mariam religiosus habet exemplar, sed etiam Matrem : « Ipsa est Mater religiosorum cum sit Mater illius qui consecratus et missus est. Vita religiosa in eius "Fiat" atque "Magnificat" invenit totalitatem suae intentionis in Deum consecrantem atque gaudii exsultationem, quae sequitur ».[7]

ECCLESIA ET « SENSUS ECCLESIAE »

21. Mariam inter et Ecclesiam vincula multiplicia et directa intersunt : Ipsa est enim membrum eius eminentissimum unaque Mater ; Ipsa exemplar eius in fide, caritate perfectaque unione cum Christo; Ipsa signum certae spei et solatii usquedum dies Domini adveniat (cf. *LG* 53. 63. 68). Item religiosa vita peculiare vinculum habet cum Ecclesiae mysterio, ad cuius vitam et sanctitatem pertinet ;[8] « modus est peculiaris participandi "sacramentalem" Populi Dei naturam »,[9] suumque donum totale ad Deum religiosum ((Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungit ac impellit, ut indivisa deditione ad totius Corporis bonum operetur ».[10] Ecclesia autem, per ministerium

[6] *RD* 17: *AAS* 76 (1984) 513 ss.

[7] *EE* 11, 53; cf. n. 10 Intr. ; *LG* 53 et CIC, c. 663, 4 ; *RM* 42-45; Epist. Ioannis Pauli II ad religiosos, 22-5-1988.

[8] Cf. *LG* 44.

[9] *M R* 10; cf. n. 8 Intr.

[10] *Ibid.;* cf. *LG* 44 et CIC, c. 678.

suorum Pastorum, « professionem religiosam non tantum sua sanctione ad status canonici dignitatem erigit, sed eam ut statum Deo consecratum etiam actione sua liturgica exhibet)).[11]

22. In Ecclesia, religiosi, viri ac mulieres, alimenta suscipiunt ad vitam baptismalem suamque religiosam consecrationem enutriendam; in eadem panem vitae sumunt de mensa Verbi Dei et Corporis Christi. Etenim in liturgica celebratione Sanctus Antonius, qui iure habetur religiosae vitae pater, audivit verbum vivens et efficax qui eum movit ad omnia relinquenda ut Christum sequeretur.[12] In Ecclesia lectio Verbi Dei, quam oratio concomitatur, colloquium inter Deum et religiosum fovens,[13] provocat ad magnánimos impetus et ad necessarias privationes. Ecclesia, quam vitae oblationem religiosi, viri ac mulieres, Deo offerunt, consociat Christi sacrificio eucharistico,[14] iisdemque demum ad sacramentum paenitentiae crebro accedentibus, veniam peccatorum Dei misericordia largitur, unaque reconciliantur cum Ecclesia suaque communitate, quam peccantes vulneraverunt.[15] Ecclesiae Liturgia ergo summum ipsis exstat culmen ad quod universa communitas tendit et simul fons unde omnis eius evangelica virtus demanat (cf. *SC* 2, 10).

23. Munus institutionis igitur perficiendum est necessario in communione cum Ecclesia, cuius religiosi sunt filii, atque in filiali oboedientia erga eius Pastores. Ecclesia, quae, ad mentem Origenis, « est Trinitatis plena »,[16] ad imaginem et similitudinem sui fontis, est communio universalis in caritate, a qua Evangelium suscipimus, et ad quod explanandum nos adiuvat per suam Traditionem et authenticam Magisterii interpretationem ;[17] organica est enim Ecclesiae communio,[18] quae servatur per Apostolos eorumque successores, sub Petri auctoritate, qui exstat «perpetuum ac visibile unitatis fidei et communionis principium et fundamentum ».[19]

[11] *LG* 45; cf. *MB* 8; n. 8 Intr.
[12] Cf. *Vita Antonii,* a S. Athanasio exarata, *PO* 26, 841-845.
[13] Cf. *DV* 25.
[14] *LO* 45.
[15] Cf. *LO* 11.
[16] *PG* 12, 1265.
[17] Cf. *DV* 10.
[18] Cf. *M R* 5; cf. n. 8 Intr.
[19] *LG* 18.

24. Fovenda est ergo apud religiosos, viros ac mulieres, ratio «sentiendi » non tantum « cum », sed etiam, ut ait beatus Ignatius a Loyola, « in » Ecclesia.[20] Huiusmodi sensus in eo consistit quod unusquisque animadvertat oportet se partem quamdam esse populi itinerantis, fontem suum habentis in trinitaria communione, in historia radicati, super Apostolorum fundamentum ministeriumque pastorale eorum successorum fundati, in Petri successore, Christi Vicarium et visibile caput totius Ecclesiae agnoscentis. Hic populus in Scripturis, Traditione et Magisterio, triplicem et insimul unum inveniens canalem, per quem Verbum Dei ad nos pervenit, contendit ad visibilem unitatem cum ceteris christianis communitatibus non catholicis, idemque, non ignorans immutationes quae per saecula evenerunt, neque legitimas nostri temporis in Ecclesia diversitates, semper operam navat ad continuitatem unitatemque fovendam, quae magis concretae res sunt habendae. Dum seipsum idem ac Corpus Christi esse vult, caritatem erga eundem Christum non separat a caritate erga Ecclesiam, cum intellegat se mysterium esse, ipsum dumtaxat mysterium Dei in Christo Iesu per Spiritum eius, qui effusus atque communicatus est omnibus hominibus, tum nostrae cum praeteritae ac futurae aetatis. Non igitur aequo fert animo ut percipiatur vel afficiatur tantum sociologica aut politica analysi, cum suae vitae magis authenticum momentum sapientium huius mundi mentem effugiat. Idem demum veluti populus missionarius habetur, qui veretur ne Ecclesia maneat « pusillus grex», et sedulo operatur ut Evangelium cunctis humanis personis annuntietur, atque universus mundus sciat non esse sub caelo aliud nomen datum hominibus, in quo salvi fiant *(Act* 4, 12) nisi nomen Iesu Christi (cf. *LG* 9).

25. Sensus Ecclesiae innititur etiam sensui ecclesialis communionis. Cum enim similitudo intersit inter vitam religiosam et mysterium Ecclesiae, quam Spiritus Sanctus « in communione et ministratione unificat »,[21] religiosi et communitas ecclesialis fiant oportet in Ecclesia et in mundo periti communionis, testes et artifices huius propositi communionis, quod invenitur in vertice historiae hominis secundum Deum.[22] Hoc fit non solum per consiliorum evangelicorum professio-

[20] *Bxerc. Spir.,* nn. 351-352.
[21] *LG* 4.
[22] *REP* 24; cf. n. 9 Intr.

nem, liberantem fervorem caritatis ab omnibus vinculis immutantemque religiosos in signum propheticum communionis intimae cum Deo, summe diligendo, sed etiam per experientiam quotidianam communitatis vitae, orationis et apostolatus, quae sunt notae essentiales et peculiares eorum formae vitae consecratae, per quas signum communionis fraternae fiunt.[23] Ideo praesertim in institutione initiali, vita communis utpote experientia et testimonium communionis,[24] habenda est necessarius locus et medium praecipuum institutionis.

COMMUNITAS

26. In Ecclesia et in communione cum beata Virgine Maria, communitas vitae partes praecipuas obtinet in institutione, gradus quae habeat quoslibet, cum potissimum huiusmodi communitatis qualitati innitatur. Talis qualitas evincitur a statu generali et stilo vitae eius sodalium iuxta indolem propriam et spiritum instituti. Communitas scilicet est id quod eius sodales sunt facturi, cum proprias habeat exigentias, et antequam adhiberi possit ut medium institutionis ipsamet amanda et servienda est propter id quod est in ea vitae religiosae forma, quam finxit Ecclesia. Eius fundamentale exemplar manet evidenter prima communitas christiana, quam genuit Pascha Domini,[25] quo contendens ne obliviscatur oportet suarum exigentiarum, cum humilis respectus rerum concretarum atque fides imbuere debeant omnes conatus institutionis ad vitam fraternam. Communitas enim constituitur et permanet non eo quod eius sodales conveniant beati propter similitudinem opinionis, indolis vel optionis, sed quia Dominus quos convocavit firmat in unitate, communi consecratione et propter communem in Ecclesia missionem. Peculiari mediationi superiorum sodales adhaerent in oboedientia fidei, spiritu scilicet fidei et amoris.[26] Ceterum non est obliviscendum pacem et gaudium paschale communitatis semper oriri ex suipsius morte atque doni Spiritus susceptione.[27]

27. Communitatis institutionale munus perficitur cum sodali cuique facultas praebeatur crescendi in fidelitate erga Dominum secundum charisma instituti. Propterea sodales una edocendi sunt de rationibus

[23] *Ibid.;* cf. etiam Document. Puebl., nn. 211-219.

[24] *REP* 33c; cf. n. 9 Intr.; cf. etiam CIC, c. 602.

[25] Cf. *Act* 2, 42 et *PC* 15; *CIC,* c. 602; *EE* 18-22.

[26] Cf. CIC, cc. 601, 618 et 619; *PC* 14.

[27] Cf. *Io* 12, 24 et *Gal* 5, 22.

exsistentiae obiectisque fundamentalibus suae communitatis, quorum necessitudines oportet imbuantur simplicitate et confidentia, cum sint potissimum radicatae in fide et caritate. Ideoque communitas quotidie aedificatur, movente Spiritu Sancto, iudicium et conversionem suam Verbo Dei committens, purificationem paenitentiae sacramento, aedificationem autem Eucharistiae, animationem demum anno liturgico. Communionem eius auget generosa negotiatio ac commercium continuum bonorum materialium et spiritualium, in paupertatis spiritu atque amicitiae dialogique causa. Cumque spiritum Fundatoris potissimum servandum una cum instituti regulam curet, in communitate religiosus quisque, conscius sui muneris, incitatur ad perfectionem assequendam, non solum commodi sui gratia sed etiam propter omnium bonum.[28] Quam fraternam communitatem in Christo aedificare superiores studeant idque officium suum esse potissimum habeant (cf. c. 619). Candidati religiosi, viri ac mulieres, experiri debent in sua communitate ambitum spiritualem, vitae austeritatem et impetum apostolicum, quibus trahi possint ad sequelam Christi iuxta radicalismum suae consecrationis. In memoriam revocandus est hic ad litteram nuntius Summi Pontificis Ioannis Pauli II ad religiosos Brasilienses : « Oportet adulescentes, durante institutione, in communitatibus resideant, in quibus nulla desit condicio ad perfectam institutionem utilis, spiritualem scilicet, intellectualem, culturalem, liturgicam, communitariam et pastoralem ; quae raro una inveniuntur in parvis communitatibus. Oportet igitur semper hauriatur ex Ecclesiae paedagogica experientia quidquid ad perficiendam atque augendam institutionem sit perutile in communitate, quae idonea sit et personis et eorum vocationi religiosae, vel etiam, pro opportunitate, vocationi sacerdotali» *(IDGP* IX, 2, pp. 243-244).

28. Hic quaestio est revocanda de communitate institutionis religiosorum ((insertorum)) in ambitu paupertatis. Parvae enim communitates religiosae, quae insertae sunt in contextu populari, in suburbiis vel in locis remotissimis et pauperrimis ruris, plurimum possunt conferre ad significandam « potiorem optionem » pauperum, cum non modo operandum sit pro eis sed potius vivendum sit cum eis et, quantum fieri potest, perinde ac ipsi. Huiusmodi exigentia tamen pensanda est respectis rerum adiunctis in quibus versantur religiosi ipsi, viri ac mu-

[28] *ET* 32-34; cf. n. 4 Intr.; *EE* nn. 18-22.

Heres. Imprimis et generaliter asseverandum est exigentias institutionis vincere debere nonnulla commoda apostolica, quae ex insertione religiosorum in ambitu paupertatis oriri possunt. Solitudo et silentium, ex. gr., quae necessaria sunt per omne tempus initialis institutionis, quantum fieri potest, ad actum deduci ac servari debent. Ceterum, in institutionis tempore dantur etiam momenta activitatum apostolicarum, cum huiusmodi vitae religiosae ratio exprimi possit, dummodo hae parvae communitates « insertae », quae ibi commorantur, peculiares servent normas, quae foveant earum religiosam authenticitatem. Curandum est igitur, exempli instar, ut praestentur condiciones vivendi veram vitam religiosam iuxta fines instituti; ut in eisdem vita orationis communitariae et personalis, temporaque et loca silentii adnexa, servari possint ; ut rationes praesentiae religiosorum, virorum ac mulierum, imprimis Evangelio innitantur ; ut tales communitates semper sint paratae ad oboediendum superiorum instituti exigentiis ; ut earum actio apostolica non sit imprimis personalis sed instituti electio, concordans cum dioecesana actione pastorali, cuius Episcopus est primus auctor. Oportet demum considerare in culturis et regionibus ubi hospitalitas habeatur veluti valor potissimum existimans, communitatem religiosam, qua talem, autonomiam et independentiam suam cedere non posse ad hospites quod attinet, nec quoad tempus, neque quoad loca. Quod procul dubio difficilius evadet in religiosis domibus, quae parvae sint, sed ad id attendendum est cum communitas statuat propriam vitae communitariae rationem.

DE IPSO RELIGIOSO, INSTITUTIONIS SUAE AUCTORE

29. Ipse religiosus tamen est habendus primus auctor respondendi affirmative ad vocationem quam accepit, omniaque consectaria huius responsionis suscipere, quae non spectat imprimis ad intellectualem, sed potius ad vitalem ordinem. Vocatio et actio Dei, ut eius caritas, semper nova sunt, cum historicae condiciones numquam iterentur. Vocatus igitur indesinenter invitatur ad respondendum attente, iterum atque iterum, et conscienter. Eius iter revocat Populi Dei iter in Exodo una ac lentam conversionem discipulorum, qui dicuntur tardi corde ad credendum,[29] sed in fine ardore fervent cum Dominus, post resurrectionem a mortuis, ipsis revelatur ;[30] quonam scilicet in gradu

[29] *Lc* 24, 25.
[30] *Ibid.* 24, 32.

religiosi institutio personalizatione frui debeat. Vehementer igitur provocandae sunt religiosi conscientia ac responsabilitas ut interiores reddat vitae religiosae valores una cum vitae regula, quam magistri et magistrae institutionis ei proponunt. Inveniet ita in seipso iustificationem suarum optionum concretarum et in Spiritu creatore suum dynamismum fundamentalem. Iustum aequilibrium est igitur quaerendum inter institutionem coetus et institutionem personae cuiusque, servatis temporibus pro unoquoque institutionis gradu statutis eorumque adaptatione uniuscuiusque rhythmo.

DE EDUCATORIBUS SEU INSTITUTORIBUS :
SUPERIORES ET QUICUMQUE DE INSTITUTIONE DECERNUNT

30. Spiritus Iesu, qui a mortuis resurrexit, praesens fit et operatur per innumeras Ecclesiae mediationes. Universa enim religiosa Ecclesiae traditio testatur necessarium esse institutorum munus ad perficiendam institutionem, quod eo contendit ut religiosi discernant veritatem vocationis ad religiosam vitam in initio institutionis atque adiuventur ad personalem dialogum instaurandum cum Deo, et insimul ad vias inveniendas, per quas Deus videtur eos gradatim ducere velle. Debent igitur religiosos in vias Domini introducere[31] per dialogum personalem et regularem, salva competentia confessoris et directoris spiritualis stricte dicti. Ceterum inter potiora munera institutionis custodum id annoverandum quod invigilent ut director spiritualis sequatur revera novitios iunioresque professos, viros ac mulieres, utque solidum doctrinae et actionis nutrimentum religiosis apparent spectatis institutionis gradibus cuique propriis. Discutere demum atque diiudicare debent de itinere subditorum suorum, ad lumen fructuum Spiritus, et existimare etiam utrum vocatus dotes sit adeptus quas Ecclesia et Institutum hoc in gradu requirunt.

31. Praeter accuratam cognitionem catholicae doctrinae de fide et moribus, « omnes qui institutioni sunt praepositi facultatibus peculiaribus praediti esse debent, inter quas annumerantur :

— promptitudo humana intuitionis et acceptionis ;

— exculta experientia de Deo et de oratione ;

— sapientia quae procedit ex intenta ac continua auditione Verbi Dei ;

[31] Cf. *Tob* 5, 10. 17. 22.

— spiritus liturgicus cum intellectione eius momenti in institutione spirituali et ecclesiali;

— possessio necessariae culturae;

— satis temporis ac bonae voluntatis ad se vovendos curae singulorum candidatorum et non tantum coetus universi».[32]

Hoc munus requirit igitur interiorem tranquillitatem, promptitudinem, patientiam, benignitatem veramque dilectionem erga eos omnes, quos instituendos tradidit pastoralis cura.

32. Sodalibus institutionis coetus, si datur, sub personali responsabilitate superioris addicti institutioni, uno corde operandum est, communis responsabilitatis semper consciis. « Sub (Superioris) ductu arctissimam spiritus et actionis consortionem ineant atque inter semetipsos et cum alumnis » unam « familiam constituant ».[33] Neque desint adhaesio et permanens collaboratio inter addictos diversis gradibus institutionis, quae tota est fructus collaborationis inter eosdem addictos et discipulos. Responsabilitas autem, quam discipulus magna ex parte assumit, exerceri nequit nisi in sinu peculiaris traditionis, instituti scilicet, cuius testes et immediati actores sunt sane institutioni addicti.

B) RATIO HUMANA ET CHRISTIANA INSTITUTIONIS

33. Concilium Vaticanum II, in declaratione de educatione christiana, docuit fines et media germanae institutionis pro humana familia, eaque oportet prae oculis habere in acceptandis et instituendis candidatis ad religiosam vitam, cum imprimis haec institutio desideret in subiecto invenire posse humanum et christianum fundamentum. Nonnulla vitae religiosae naufragia attribuì possunt revera lacunis nec perceptis neque exaggeratis in hac provincia. Possessio huius fundamenti humani et christiani non solum verificanda est inita vita religiosa sed augenda ac firmanda perdurante institutionis cyclo, spectata evolutione personarum et eventuum.

34. Ad institutionem integralem personae concurrit ratio physica, moralis, intellectualis et spiritualis, cuius fines et exigentiae sunt notae, easque Concilium Vaticanum II enumeravit in pastorali constitutione *Gaudium et spes*[34] et in declaratione de educatione christiana

[32] *CDRL* 20; ef. n. 9 Intr.
[33] *OT* 5b.
[34] Cf. *GS* 12-22; 61.

Gravissimum educationis.[35] In decreto de institutione sacerdotali *Optatam totius* proponuntur criteria apta ad diiudicandum de gradu humanae maturitatis, quae requiritur in candidatis ad ministerium presbyterale.[36] Quae criteria facile applicari possunt etiam candidatis ad vitam religiosam, spectatis religiosi natura et missione in Ecclesia. Decretum *Perfectae caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae recolit demum radicationem baptismalem religiosae consecrationis,[37] implicite docens non esse admittendos ad novitiatum candidatos qui iam non perfecerint omnes baptismi obligationes, congruentes nimirum uniuscuiusque aetati. Pari modo apta institutio ad vitam religiosam firmare debet in omnibus gradibus vitae fidei professionem et baptismi obligationes, potissimum vero in temporibus difficilioribus cum quis appellatur ad eligendum iterum et in libertate id quod semel pro semper factum est.

35. Licet pressius illustretur, in hoc documento, institutionis ratio culturalis et intellectualis non est tamen obliviscendum rationem spiritualem primas habendam partes. « Institutio religiosa, in suis diversis gradibus initiali et permanenti, eo potissimum tendit ut religiosos immergat in experientiam Dei eosque adiuvet ad suam vitam gradatim perficiendam ».[38]

C) ASCESIS

36. « Sequela Christi conducit ad participandum mysterium passionis, mortis et resurrectionis maiore in dies cum diligentia et veritate. Mysterium paschale debet esse veluti cor omnium rationum institutionis, cum fons vitae et maturitatis exstet, necnon fundamentum super quod homo novus, religiosus et apostolus aedificatur ».[39] Propter quod absoluta ascesis necessitas est revocanda in institutione et vita religiosorum. In hoc mundo, ubi perversus amor, bonorum et potestatis abusus cuiusque generis, dilatantur, testes paschalis mysterii Christi optantur, cuius primus gradus necessario per crucem transit. Hic transitus obligat ut in ratione integralis institutionis inscribatur ascesis personalis quotidiana, quae ducat candidatos, novitios et pro-

[35] Cf. *OE* 1 et 2.
[36] Cf. *OT 11.*
[37] Cf. *PC* 5.
[38] *CDRL* 17, cf. n. 9 Intr.
[39] Ioannes Paulus II ad relig. Brasil., 11-7-1986, n. 5; cf. n. 5 Intr.

fessos ad exercendas virtutes fidei, spei, caritatis, prudentiae, iustitiae, fortitudinis et temperantiae. Huiusmodi ratio neque senescero neque obsoleta fieri potest, econtra semper vigeat et pernecessaria habeatur oportet, qua neglecta, nemo baptismum suum perficere potest, nedum fidelis permanere vocationi religiosae. Caritas Domini Nostri Iesu Christi et gaudium ei serviendi rationes quam maximas dare possunt ad eandem perficiendam, perinde ac vitam christianam universam. Praeterea populus christianus duces desiderat qui ad ((viam regalem sanctae Crucis » percurrendam adiuvent, et testes, qui abrenuntient omnibus illis rebus, quas Sanctus Ioannes vocat « mundum » et « concupiscentiis » eius, et etiam huic « mundo)) creato et servato Dei Creatoris amore, necnon quibusdam eius valoribus. Regnum Dei, quod vita religiosa « super omnia terrestria » elevari patefacit,[40] non est huius mundi. Opus sunt testes qui id proclament, quibusque nimirum in institutionis tempore suppeditatae sint altiores considerationes de christiano sensu ascesis atque persuasiones recte fundatae in Deo eiusque necessitudinibus cum mundo, qui e manibus eius prodiit, cum interdum cavendum sit sive ab optimismo beato et ((naturalistico », ut ita dicatur, sive a pessimismo qui obliviscatur Christi mysterii creatoris et redemptoris mundi.

37 Ascesis ceterum, dum respuit pulsus et instinctus nostros spontaneos et primarios, manifestatur ut exigentia anthropologica potius quam peculiariter christiana. Psychologi asserunt adulescentes potissimum obstacula, quibus résistant (institutores, normas, etc.), desiderare ad suam personalitatem struendam, quod non pro unis valet adulescentibus, cum constructio personae numquam perficiatur. Paedagogica ergo methodus, qua quis utatur in instituendis religiosis, viris ac mulieribus, eo tendat oportet, ut religiosos adiuvet ad ineundum cum ardore iter, peragendum non sine labore. Ita Deus ipse dux fit hominis, quem creavit.

38. Ascesis vitae religiosae requirit inter cetera initiationem ad silentium et solitudinem, etiam in institutis vitae activae deditis. « Necesse profecto est, ut lex ipsi vitae spirituali inhaerens in memoratis Religionibus fideliter servetur, quae in eo posita est, ut apte inter se conveniant tempora solitudini, ubi Deo vacetur, tributa ac tempora

[40] *LG* 44.

variis operibus et necessitudinibus humanis, quas illa secumferunt, dicata ».[41] Solitudo quae libere assumitur ducit ad intimum silentium, quod innititur silentio externo. Ordinationes omnium religiosarum communitatum, neque modo institutionis domorum, statuant oportet tempora et loca solitudinis ac silentii, ad fovendam auditionem et perfectam agnitionem Verbi Dei et insimul spiritualem maturitatem personae veramque communionem fraternam in Christo.

D) SEXUALITAS ET INSTITUTIO

39. Nostrae aetatis generationes saepe creverunt in summo virorum mulierumque promiscuo commercio, saepius nullo adiuvante, ut pueri et puellae suas intellegere divitias valerent suosque proprios limites. Consortiones apostolatus cuiuscumque generis, mutua adiumenta, frequenterà inter religiosos et religiosas, ipsae culturales opiniones nostrae aetatis, potissimum postulant institutionem in hac provincia. Promiscuum huiusmodi praematurum commercium enim et insimul consortiones arctiores et frequentiores per se non testantur maturitatem perfectam in necessitudinibus mutuis. Adhibenda sunt ergo media ad hanc maturitatem assequendam atque firmandam, ut ad actum deducatur exercitium perfectae castitatis. Praeterea, viri et mulieres, conscii esse debent sui specifici status in ordine divino, suarumque peculiarium partium in opere salutis. Item futuris religiosis opportunitas donetur considerandi munus sexualitatis in ordine divino creationis et salutis. Talibus in adiunctis exponi et intellegi poterunt rationes, quibus vehementer monentur ne vitam religiosam ineant viri et mulieres, qui propensionibus homosexualibus contraire nequeant, vel praesumant uti posse tertia via « qua vivatur velut in ambiguo statu coelibatum inter et matrimonium ».[42]

40. Deus non fecit mundum absque differentiis, sed cum ad imaginem et similitudinem suam creavisset hominem *(Gn* 1, 26-27), utpote creaturam rationalem et liberam, atque idoneam ad cognoscendum et diligendum creatorem suum, noluit eum manere solum, sed in relatione cum altera persona humana, muliere scilicet *(Gn* 2, 18). Inter utramque personam adest « mutua necessitudo », viri cum muliere et mulieris

[41] *RC* 5; cf. n. 7 Intr.

[42] Documentum finale synodi particularis Episcoporum Nederland.: *OR* 2-2-1980, pr. 32.

cum viro.[43] « Mulier est altera persona in communi humana natura w,[44] propter quod « vir et mulier ab exordio vocati sunt non solum ut vivant "alter apud alteram", vel una sint, sed vocati sunt etiam ut vicissim alter pro altero vivat ».[45] Facile intellegitur momentum horum principiorum anthropologicorum in instituendis viris ac mulieribus, qui speciali gratia, libere professuri sint perfectam castitatem propter Regnum caelorum.

41. « Profundior et accuratior consideratio fundamentorum anthropologicorum conditionis virorum et mulierum » ducit « ad identitatem personalem mulieris propriam in eius relatione diversitatis et mutuae complementarietatis cum viro exacte determinandam, non solum in illis quae ad munera implenda et functiones exercendas referuntur, sed etiam, et quidem profundius, in illis quae eius structuram et significationem respiciunt personalem ».[46] Historia vitae religiosae testatur plurimas mulieres sive in monasteriis sive in mundo, locum idoneum invenisse ád inserviendum Deo et hominibus, condiciones etiam opportunas ad suam muliebritatem expandendam et hac de causa altiorem suae identitatis intellectum. Huiusmodi altior pervestigatio est persequenda theologicae investigationis gratia et « auxilio quod e diversis scientiis humanis et e diversis culturis provenire potest ».[47]

Neque demum ut perfectius mulieris vitae religiosae specificitas percipiatur obliviscendum est « Mariam Nazarethanam lucem effundere in mulierem ut talem eo ipso quod Deus, in praecelso eventu incarnationis Filii, ministerio libero et actuoso mulieris est usus. Itaque asseri licet mulierem, si Mariam intueatur, in ea invenire viam digne vivendi e sua muliebritate atque veram promotionem suam perficiendi. Mariae habita ratione, Ecclesia in vultu cuiusque mulieris quasi repercussam pulchritudinem conspicit, speculum videlicet praestantissimorum animi sensuum, qui in corde humano inesse possunt ; cuiusmodi sunt : amor, qui totum se offert; vis maximis doloribus renitendi; fidelitas nullis finibus circumscripta et navitas infatigabilis ; facultas coniungendi aerem perspicientiam cum verbis, quae animum sustinent atque confirmant)).[48]

[43] *MD* 7.
[44] *MD* 6.
[45] *MD* 7.
[46] *ChL* 50.
[47] *ChL* 50.
[48] *RM* 46.

CAPUT III

GRADUS INSTITUTIONIS RELIGIOSORUM

A) GRADUS PRAECEDENS INGRESSUM IN NOVITIATUM

RATIO HUIUS GRADUS

42. In nostri temporis rerum adiunctis ac in universum, diagnosis, quae in instructione *Renovationis causam*[1] continetur, suam vim non amisisse videtur : « Maior enim difficultatum pars, quae in novitiorum institutione hac aetate reperiuntur, inde solet oriri, quod hi, • cum ad novitiatum admittuntur, satis maturitatis non sunt adepti ». Procul dubio non requiritur in candidato ad vitam religiosam talis vitae condicio, ut illico assumere possit omnes obligationes religiosorum, attamen iudicandus est aptus ad eas gradatim ineundas. Ut vero de eius idoneitate diiudicari possit, satis temporis subsidiaque iure requiruntur ad id assequendum, quod est finis gradus praeparatorii ad novitiatum, quomodocumque vocatur : postulatus, praenovitiatus, etc. Competit ipsis institutis ut iure proprio modos exsecutionis determinent, sed quaecumque sunt, « nemo admitti potest sine congrua praeparatione ».[2]

NATURA

43. Perspectis elementis infra exponendis (nn. 86 ss.) de iuvenum condicione in mundo hodierno, hic gradus praeparatorius, quem protrahere fas est, eo tendet ut diiudicari atque clarificari possint ea elementa quibus superiores edocti fiant de opportunitate ac momento admissionis in novitiatum. Vigilandum est tamen ne admissionis tempus properanter maturetur neque iniuste differatur, comprobatis condicionibus fidelitatis ab ipsis candidatis praebitis, ut iudicium certum proferri possit.

Admissionis condiciones, iure generali statutae, quibus autem licet alias iure particulari superaddere,[3] secumferunt quae sequuntur consectaria :

[1] Cf. *BC* 4; n. 7 Intr.
[2] Cf. CIC, c. 597, 2.
[3] Cf. CIC, cc. 641-645.

— gradus maturitatis humanae et christianae[4] qui requiritur ad ineundum novitiatum ne deiciatur in quemdam cursum institutionis generalis fundamentalis vel facilis catechumenatus ; constat enim non omnes candidatos suam initiationem christianam perfecisse (sacramentalem, doctrinalem et moralem) eosdemque carere nonnullis elementis vitae christianae ordinariae;

— cultura generalis fundamentalis saltem par esse debet ac desideratur in adulescente qui normalem cursum scholasticum perfecerit in sua regione; potissimum oportet futuros novitios absque difficultate uti possint eo sermone qui erit in usu durante novitiatu ; cumque agatur de cultura fundamentali ratio interdiu est habenda de statu quarumdam nationum vel coetuum socialium, ubi scholarum frequentatio adhuc minor est quam alibi, et ubi tamen Dominus vocat candidatos ad vitam religiosam; insimul ergo promovenda est cultura quin assimiletur culturae alienae; candidati enim, viri ac mulieres, in sua propria cultura agnoscere debent Domini vocem eique respondere suo peculiari modo ;

— aequilibrium affectivitatis, potissimum sexuale, innititur acceptationi alterius personae, viri ac mulieris, cum obsequio eius peculiaris differentiae ; si necesse erit examinis psychologici subsidia adhibeantur, salvo cuiusque personae iure ad propriam intimitatem tuendam ;[5]

— idoneitas ad vivendum in communitate sub superiorum auctoritate, in tali instituto, quae certo melius diiudicari potest durante novitiatu, imprimis pervestiganda est; candidati noverint praeter religiosum institutum non deesse alias vias his qui totam suam vitam Domino devovere intendunt.

FORMAE EXSECUTIONIS

44. Variae esse possunt formae impletionis et exsecutionis : acceptio in instituti communitate, quin tota eius vita participetur, salva communitate novitiatus, ad hunc finem non apta, atque monialibus exceptis ; tempora consortionis cum instituto vel quodam eius sodale ; vita communis in domo hospitali pro candidatis, etc. ; nulla tamen formarum harum inducere debet candidatos iam factos esse instituti sodales; ceterum directio spiritualis personalis candidatorum, virorum ac mulierum, maius momentum habet quam structurae receptionis.

[4] Cf. infra nn. 90-91.
[5] Cf. CIC, c. 220.

Unus vel plures religiosi, necessaria qualificatione praediti, a superioribus designentur ut candidati sedulo instituantur vocationemque suam discernant; iidem active coadiuvabunt magistros et magistras novitiorum.

B) NOVITIATUS ET PRIMA PROFESSIO

FINIS

45. ((Novitiatus, quo vita in instituto incipitur, ad hoc ordinatur, ut novitii vocationem divinam, et quidem instituti propriam, melius agnoscant, vivendi modum instituti experiantur eiusque spiritu mentem et cor informent, atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur)).[6] Ratione habita diversitatis charismatum et institutorum, aliis verbis definiri potest finis novitiatus ut tempus initiationis integralis ad eam vitae formam, quam Filius Dei amplexus est nobisque proponit in Evangelio,[7] in alterutra ratione sui ministerii vel mysterii.[8]

NATURA

46. ((Novitii ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per orationem et sui abnegationem in pleniorem perfectionis viam introducantur ; ad mysterium salutis contemplandum et sacras Scripturas legendas et meditandas instruantur ; ad Dei cultum in sacra liturgia excolendum praeparentur; rationem addiscant vitam ducendi Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica consecratam; de instituti indole et spiritu, fine et disciplina, historia et vita edoceantur atque amore erga Ecclesiam eiusque sacros Pastores imbuantur ».[9]

47. Generali lege spectata, initiatio integralis, quae est nota novitiatus, exsuperat eruditionem genericam, cum sit :

— initiatio ad scientiam profundam et viventem Christi eiusque Patris; quod postulat altius studium Scripturarum sacrarum, celebrationem liturgicam secundum spiritum et indolem instituti, initiationem ad orationem personalem et ad eius exercitium, necnon habitum et gaudium in perlegendis auctoribus spiritualis traditionis Ecclesiae, non autem unis lecturis spiritualibus temporum moribus congruentibus ;

[6] CIC, c. 646.
[7] *LG* 44.
[8] *LG* 46.
[9] CIC, c. 652, 2.

— initiatio in paschale mysterium Christi per sui ipsius contemptum, potissimum per consiliorum evangelicorum exercitium secundum instituti spiritum, ascesim evangelicam cum gaudio susceptam et crucis mysterii animosam acceptationem;

— initiatio ad vitam fraternam evangelicam; etenim in communitate fides altius pervestigatur et fit communio, cum caritas multipliciter manifestetur in vitae quotidianae veritate;

— initiatio ad historiam, ad missionem propriam et ad spiritualitatem instituti; inter cetera elementa, potissimum pro institutis ad apostolatum deditis, accedit quod : « Ad novitiorum institutionem perficiendam, constitutiones, praeter tempus de quo in § 1 — duodecim scilicet menses in ipsa novitiatus communitate peragendos complecti debet —, unum vel plura exercitationis apostolicae tempora extra novitiatus communitatem peragenda statuere possunt ».[10] Huiusmodi tempora eum habent finem novitios « ab ipso initio et modo magis directo praeparandi ad vitae genus et ad opera, quae. futuro tempore suscipient, eosque docendi in ipsa vita sua illam paulatim perficere cohaerentem unitatem, qua contemplatio et actio apostolica inter se copulentur; quae quidem unitas est e praecipuis ac primariis earundem Societatum bonis ».[11] Structura horum temporum rationem tenere debet duodecim mensium, qui in ipsa novitiatus communitate impenduntur et in quibus novitii occupandi non sunt « in studiis et muniis, quae (suae) formationi non directe inserviunt »,[12]

Ratio institutionalis novitiatus iure proprio est definienda.[13]

Caveant moderatores ne novitiatus in ambitu alieno peragatur ac cultura et sermone patrio novitiorum. Parvi novitiatus procul dubio aptiores evadunt, dummodo radicati sint in hac cultura; non enim multiplicandae sunt difficultates in decursu huius gradus institutionis, cum suo loco ponenda sint aequilibria fundamentalia personae, necessitudinesque inter novitios et magistrum faciliores esse debeant et mutuo expleri omnibus cum adiunctis, quae requiruntur in itinere initiali et intensivo. Praeterea translatio in aliam culturam in hoc momento alea gravatur et acceptandi falsas vocationes et falsas fortasse non percipiendi rationes.

[10] CIC, 648, 2.
[11] *RC* 5; cf. n. 7 Intr.
[12] CIC, c. 652, 5.
[13] CIC, c. 650, 1.

MUNUS PROFESSIONALE IN NOVITIATUS TEMPORE

48. De munere professionali in novitiatus tempore oportet etiam hic pertractare, cum in plurimis regionibus industrializatione instructis, ratione habita interdum intentionis apostolatus et legislationis socialis eiusdem regionis, candidati qui titulum habent laboris mercede conducti, in ingressu ad novitiatum non aliud exigant ab operis largitore nisi annuam dimissionem ; quod nullum praeiudicium secumfert suo labori si in mundum redeant periculumque semovet operis vacationis. Propter quod non raro inducitur ad laborem professionalem resumendum in secundo novitiatus anno sub specie apostolicae activitatis.

Hac in re enuntiandum esse ducimus principium quod sequitur : in institutis qui duos annos novitiatus statuunt, novitii exercere suum professionalem laborem pleno tempore nequeunt nisi perspectis sequentibus rationibus :

— munus revera fini apostolico instituti respondeat;

— in secundo novitiatus anno resumatur;

— iuxta praescriptum can. 648 § 2 peragatur, adiuvet scilicet ad perficiendam institutionem novitiorum ut in instituto vitam degant, et evadat reapse activitas apostolica.

PRAEMITTENDA IN EXSECUTIONE

49. In admissione potissimum serventur condiciones canonicae liceitatis et validitatis, quae requiruntur sive ex parte candidatorum, sive ex parte auctoritatis competentis, quibus servatis futura damna in radice vitantur.[14] Ad candidatos quod attinet, qui ministerium diaconale et presbyterale suscepturi sunt, magnopere caveant superiores ne irregularitatibus afficiantur ex hoc tempore, quae sint postea praeiudicio ad Ordines sacros suscipiendos, salva potestate superiorum maiorum institutorum iuris pontificii, dispensandi ab irregularitatibus et impedimentis Sanctae Sedi non reservatis.[15] Caveant similiter ne ad novitiatum admittant clericos saeculares inconsulto eorum Ordinario, nulloque expetito eiusdem testimonio (cf. cc. 644 et 645, 2).

50. Adiuncta temporum et locorum necessaria ad novitiatum explendum in iure revocantur, cuius flexibilitas servanda est, addita inter-

[14] Cf. CIC, CC. 597, 1 et 2; 641-645.

[15] Cf. CIC, cc. 134, 1 et 1047, 4.

dum prudentia ad decernendum de rebus quae iure minime statutae sint.[16] Meminerint superiores maiores, et omnes ad institutionem addicti, rerum praesentium adiuncta postulare procul dubio magis quam aliis in temporibus conditiones sufficientes stabilitatis, quae novitios adiuvent ad spirituale incrementum augendum in hoc gradu evolutionis profundae ac tranquillam Hoc maius momentum habet ex eo quod plurimi candidati experientiam vitae iam in mundo experti sint. Novitii revera desiderant exercitium orationis, quae diutius producatur, solitudinem et silentium. Hac in re elementum temporis maximas habet partes. Non raro enim maior necessitas eis est ex mundo exeundi quam ad mundum redeundi, quae non est subiectiva tantum, cum tempus et locus novitiatus ordinanda sint ad novitiis suppeditandum ambitum propitium ut radicari se ipsos altius possint in vita cum Christo. Et hoc est fructus discessus a semetipiss, a rebus omnibus quae in mundo Deo opponuntur, bonis etiam « quae indubie magni aestimanda veniunt)).[17] Ergo dissuadendum est tempus novitiatus peragi in communitatibus ((insertis ». Ut supra dictum est (n. 28) exigentiae institutionis vincere debent quaedam commoda apostolica, quae ex insertione in ambitu paupertatis derivare possunt.

PAEDAGOGIA

51. Novitii non ingrediuntur omnes in novitiatum pari cum gradu culturae humanae et christianae. Animus est ergo potissimum intendendus unicuique, ut uno passu procedatur atque institutionis contentum et paedagogia eidem aptentur.

MAGISTRI ET MAGISTRAE NOVITIORUM EORUMQUE ADIUTORES

52. Regimen novitiorum, sub auctoritate superiorum maiorum, uni magistro reservatur, qui aliis oneribus ne impediatur, praeiudicium fortasse quae possint inferre eius muneri institutionali sedulo perficiendo. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt, qui ei subsint quoad moderamen novitiatus et institutionis rationem. Magistri eiusque cooperatorum est novitiorum vocationem discernere et comprobare.[18]

[16] Cf. CIC, cc. 647-649 et 653, 2.
[17] *LO* 46b.
[18] Cf. CIC, cc. 650-652, 1.

Presbyteri dioecesani vel religiosi et etiam laici, qui vocantur, si opus fuerit, in novitiatum ad docendum, vel ad sacramentum reconciliationis administrandum, omnes discrete munus suum perficiant ac stricte cooperentur cum novitiorum magistro, qui spiritualis est comes missus ad omnes et ad unumquemque eorum, ad hunc finem; novitiatus est autem locus eius ministerii eoque ipso locus eius permanentis disponibilitatis erga omnes, quos instituendos suscepit. Praeterea omne opus impendet, ut novitii libere ac plene adaperiant cor suum. Tamen neque magistro novitiorum neque eius socio, in institutis clericalibus sacramentales confessiones novitiorum audire licet, nisi novitii in casibus particularibus sponte id petant.[19]

Novitiorum magistri et magistrae meminerint demum subsidia, quae dicuntur, psycho-paedagogica supplere non valere authenticam directionem spiritualem.

53. « Novitii, propriae responsabilitatis conscii, ita cum magistro suo active collaborent ut gratiae divinae vocationis fideliter respondeant ».[20] Et « curent instituti sodales, ut in opere institutionis novitiorum pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione ».[21]

PROFESSIO RELIGIOSA

54. In liturgica actione Ecclesia suscipit, per superiores designatos, vota eorum qui professionem emittunt, oblationemque sacrificio eucharistico adsociat.[22] *Ordo professionis*[23] specimen huiusmodi celebrationis praebet, salvis legitimis traditionibus institutorum, per quam manifestat professionem radicari in Ecclesia. A mysterio ita celebrato magis vitalis et altior consecrationis intellectio perfici poterit.

55. In tempore novitiatus insimul excellentia et possibilitas perpetuae consecrationis in Domini servitium illustranda sunt. « Qualitas personae — ait Ioannes Paulus II — diiudicari potest ex vinculorum suorum natura. Propterea magno cum gaudio dicere licet vestram (sc. religiosorum) libertatem libere adhaesisse Deo, per voluntarium servitium, in amabili servitute. Id facientes "humanitas" vestra, matu-

[19] Cf. CIC, c. 985.
[20] CIC, c. 652, 3.
[21] CIC, c. 652, 4.
[22] Cf. *LG* 45.
[23] Editum die 2-2-1970; nova ed. emendata anno 1975; *EV* 3, 1237 ss.

ritatem est assecuta. Huiusmodi "matura humanitas" vero quam recensuimus in Litteris encyclicis *Redemptor hominis,* significat usum plenum doni libertatis, quod a Creatore tum recepimus, cum ad vitam is hominem vocavit factum "ad imaginem suam". Hoc insuper donum plane perficitur in donatione — quae sit sine ullis condicionibus — propriae totius personae humanae, ex affectu amoris sponsalis in Christum et cum Christo in eos omnes, ad quos ipse mittit viros ac mulieres, qui penitus secundum consilia evangelica ei sunt consecrati ».[24] Nemo propriam vitam Christo offert « ad degustationem », cum Ipse ceterum primus postulaverit. Religiosi testantur id fieri posse, imprimis fidelitatis Dei gratia, idque liberos et beatos facere, dummodo donum quotidie renovetur.

56. Professio perpetua innititur praeparationi diuturnae ac perseveranti tirocinio. Et haec est ratio cur Ecclesia praecedendam eam esse statuit professionis temporariae spatiis. « Etenim priorum votorum professio, quamvis, eo quod est temporaria, probationis notam prae se ferat, candidatum tamen consecrationis, status religiosi propriae, reapse participem reddit ».[25] Hoc tempus professionis temporariae finem ergo habet fidelitatem firmandi iuniorum professorum, virorum ac mulierum, nulla habita ratione satisfactionum, quibus vita quotidiana « ad sequelam Christi » eos gratificatane possit nequeatque afficere. Liturgica celebratio distinguat oportet magna cum cura professionem perpetuam et temporaneam, quae celebranda est « nulla peculiari sollemnitate »,[26] cum professionis perpetuae emissio « convenienti sollemnitate, sodalium religiosorum populique concursu »[27] est celebranda, quia « repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus (cf. *LG U)* ».[28]

57. Servanda accurate sunt omnes dispositiones, quae ad validitatem professionis temporariae requiruntur, necnon intervalla professionis temporariae et perpetuae.[29]

[24] Ioannes Paulus II, Matrit., 2-11-1982: *AAS* 75 (1983) 271.

[25] *RC* 7; cf. n. 7 Intr.

[26] *OPR* 5; cf. n. 24.

[27] *Ibid.* 6.

[28] *Ibid.*

[29] Cf. CIC, cc. 655-658.

C) INSTITUTIO PROFESSORUM TEMPORARIORUM

ECCLESIAE PRAESCRIPTIONES

58. De institutione professorum temporariorum pertractans, Ecclesia statuit ut « in singulis institutis, post primam professionem omnium socialium, institutio perficiatur ad vitam instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius prosequendam. Quapropter ius proprium rationem definire debet huius institutionis eiusdemque durationis, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque condicionibus, prout a fine et indole instituti exigitur ».[30]

« Institutio sit systematica, captui sodalium accommodata, spiritualis et apostolica, doctrinalis simul ac practica, titulis etiam congruentibus, tam ecclesiasticis quam civilibus, pro opportunitate obtentis. Perdurante tempore huius institutionis, sodalibus officia et opera ne committantur, quae eam impediant ».[31]

SIGNIFICATIO ET EXIGENTIAE HUIUS GRADUS

59. Prima professio instaurat novum gradum institutionis, qui beneficium trahit ex dynamismo atque stabilitate, a professione derivatis. Etenim religiosi fructus percipiant oportet de praecedentibus gradibus ac prosequantur suum proprium humanum et spirituale incrementum, per animosum exercitium rerum earum, quibus se devoverunt. Spiritualis impetus conservatio, quem religiosus praecedentibus in gradibus est consecutus, eo magis necessaria apparet quanto frequentiora perturbationis et ariditatis pericula inducit, in institutis ad apostolatum deditis, transitus ad stilum vitae magis apertum adque activitates potissimum allicientes. In institutis autem ad contemplationem deditis eadem evaderent potius consuetudo, lassitudo et spiritualis exaequatio. Iesus discipulos suos instituit per eorum discriminum experimenta ac per subsequentes passionis nuntios effecit ut discipuli magis authentici fierent.[32] Paedagogia huius gradus eo igitur contendet, ut iunior religiosus sedulo procedat ad professionem perpetuam, per universam experientiam propriam, pro prospectus rerum et vitae unitate, utpote est peculiaris eius vocatio in hoc vitae momento.

[30] **CIC, c. 659, 1 et 2.**
[31] **CIC, c. 660, 1 et 2.**
[32] **Cf. *Me* 8, 31-37; 9, 31-32; 10, 32-34.**

CONTINENTIA AC SUBSIDIA INSTITUTIONIS

60. Instituto potissimum competit rationem apparare temporaque statuere huius gradus institutionis, atque iunioribus religiosis condiciones commodiores apparare, ut reapse crescant in donatione ad Dominum; imprimis vero instituti est praebere quam maxime idoneam communitatem formatricem atque curare ut idonei adsint institutores. In hoc gradu institutionis enim, contrariis minime obstantibus iis, quae sunt dicta de novitiatu (cf. n. 47), melior evadit communitas magis numerosa, quae subsidiis institutionis potissimum polleat, quam parva communitas, quae periclitetur sine idoneis institutoribus manere. Sicut et postea per totam vitam religiosam, religiosus nitatur oportet melius intellegere operando momentum vitae communitatis secundum vocationem propriam sui instituti, amplecti huius vitae concretam veritatem eiusque incrementi condiciones fovere, venerari ceterorum differentes habitus, suaeque demum responsabilitatis conscium esse in tali communitate. Institutionis professorum temporariorum responsalis, qui prosequatur hoc in gradu et peculiari modo officium magistri novitiorum, summa cum cura a superioribus designabitur. Institutio haec per tres saltem annos perficietur.

61. Propositiones rationum, quae sequuntur, sunt mere indicativae et ad altiora impellunt, cum oporteat religiosos, viros ac mulieres, instituere, attentis exspectationibus necessitudinibusque mundi coaevi; institutorum ergo est una cum institutoribus, viris ac mulieribus, eas aptationes facere, quas personae, tempora et loca exigunt.

In studiorum ratione primum locum obtineant oportet theologia biblica, dogmatica, spiritualis et pastoralis, ac potissimum pervestigatio doctrinalis vitae consecratae et charismatis instituti. Huius rationis ordinatio eiusque exsecutio unitatem internam magisterii et harmonizationem diversarum disciplinarum servare debent. Non ergo plures sed unam scientiam conscii sint religiosi discere, scientiam videlicet fidei et Evangelii, propter quod vitandus est cumulus diversarum disciplinarum et cursuum. Praeterea personarum obsequii gratia, religiosi non introducendi sunt immature in quaestiones nimis criticas, cum nondum iter inierint necessarium ad illas sereno animo indagandas.

Vigilandum est ut philosophica institutio fundamentalis apte tradatur ad Dei agnitionem acquirendam christianamque de mundo visio-

nem, arcte coniunctam cum quaestionibus nostro tempore exagitatis, quae harmoniam in lucem ponat inter rationis et fidei scientiam ad inquirendam unicam veritatem. In talibus rerum adiunctis religiosi tentationibus semper instantibus ne cedant sive rationalismi critici sive pietismi et fundamentalismi.

Ratio studiorum theologicorum debite ungenda est eiusque variae partes ita comparandae ut « hierarchiam » seu ordinem veritatum doctrinae catholicae in lucem ponant, perspecta necessitudine cum fundamentis christianae fidei.[33] Haec ratio prae oculis habere potest cum opportunis adaptationibus indicationes quas Congregatio de Institutione catholica suppeditavit pro institutione candidatorum ad ministerium presbyterale,[34] cura habita ne quid omittatur quod adiumentum praestare possit ad rectam intellegentiam fidei et vitae christianae, in Ecclesia : historiam scilicet, liturgiam, ius canonicum, etc.

62. Maturatio religiosi demum in hoc gradu postulat apostolicum officium et participationem progressivam experimentorum ecclesialium et socialium, iuxta charisma instituti proprii et attentis aptitudinibus personalibusque desideriis. Ad experimenta, quod attinet, religiosi, viri ac mulieres, recolant oportet se imprimis non esse pastorales administros, sive in tempore institutionis initialis sive postea, suumque munus in servitio ecclesiali et potissimum sociali praestando normis prudentiae necessario inniti (cf. n. 18).

63. Licet superiores iure dicantur « magistri spiritus secundum evangelicam proprii instituti conformationem »,[35] religiosi facultatem habeant adeundi pro foro interno etiam non sacramentali, personam qui ex more appellatur rector vel monitor spiritualis. « Secundum traditionem priorum Patrum deserti omniumque praecipuorum fundatorum singula instituta religiosa habent sodales peculiari qualificatione praeditos, qui sunt designati ad munus fratres confirmandi in hac provincia. Eorum officium variât pro gradu spirituali religiosorum sed eorum responsabilitas fundamentalis cum consistat in decernenda Dei actione ducit religiosos in vias Domini et nutrit eorum vitam firma doctrina et orationis exercitio. Potissimum in prioribus gradibus existimandum est iter quod iam inierint ».[36] Huiusmodi spiritus direc-

[33] *ÜB* n. ii.

[34] *BI* nn. 70-81 et n. 148; 90-93; *EV* 3, 1103.

[35] *MR* 13a; cf. n. 8 Intr.

[36] *EE II,* 47; cf. n. 10 Intr.

tio, quam « mediis psycho-paedagogicis supplere nefas est »,[37] et cui competit ad mentem Concilii « debitam libertatem »,[38] « fovenda est prompta voluntate personarum idonearum et qualificatione praeditarum)).[39] Hae dispositiones praesertim valentes pro hoc gradu institutionis religiosorum, per omne vitae tempus sunt servandae. In religiosis communitatibus, in his imprimis numerosiores religiosos coadunantibus, potissimum vero ubi degunt professi temporarii, necesse est saltem unus religiosus publice designetur ad hoc munus dirigendi vel monendi spiritualiter fratres.

64. Plura instituta ante professionem perpetuam statuunt periodum praeparationis intensioris, remotis occupationibus quotidianis; quem morem firmamus et extendendum ducimus.

65. Si qui neoprofessi, ad normam iuris, a superioribus mittantur ut studiis incumbant,[40] « eadem praefiniantur non quasi quaedam false intellectae sui ipsius expressiones, ita ut fines personales obtineantur, sed ut vere ad exigentias apostolicorum propositorum ipsius Religiosae familiae respondere valeant in harmonia cum Ecclesiae necessitatibus)).[41] Huiusmodi studia atque graduum academicorum consecutio explenda sunt iudicio superiorum maiorum et institutionis moderatorum in harmonia cum reliquis rationis studiis, quae respiciunt hunc gradum institutionis.

D) INSTITUTIO CONTINUA PROFESSORUM PERPETUORUM

66. ((Per totam vitam religiosi formationem suam spiritualem, doctrinalem et practicam sedulo prosequantur; Superiores autem eis adiumenta et tempus ad hoc procurent ».[42] « Singula religiosa instituta habent ergo officium decernendi et deducendi ad actum rationem institutionis permanentis quae sit sodalibus propriis idonea, quaeque non tantum tendat ad institutionem intellectus sed etiam totius personae, potissimum ad spiritualem missionem, quod attinet, ut omnis religiosus vivat plenissime suam consecrationem ad Deum, in missione particulari quam Ecclesia ei contulit ».[43]

[37] *CDRL* II, 11; cf. n. 9 Intr.
[38] *PC* 14; cf. etiam CIC, c. 630.
[39] *CDRL* II, 11; cf. n. 9 Intr.
[40] Cf. CIC, c. 660, 1.
[41] *M R* 26; cf. n. 8 Intr.
[42] CIC, c. 661.
[43] Ioannes Paulus II ad relig. Brasil., 1986, 86, n. 6; cf. n. 5 Intr.

INSTITUTIONIS CONTINUAE RATIO

67. Institutio continua imprimis innititur Dei incepto qui vocat suum quemque discipulum in omni tempore atque in novis rerum adiunctis. Charisma vitae religiosae in instituto determinato est gratia Dei viventis, quae accipienda atque ad actum deducenda est in rerum adiunctis saepius novis. ((Ipsum "Fundatorum charisma" *(ET* 11) videtur esse quaedam Spiritus experientia, propriis discipulis tradita, qui secundum eam viverent, eam custodirent altioremque redderent et constanter augerent simul cum Christi corpore iugiter crescente ... Charismatica nota cuiusvis instituti propria exigit, sive in Fundatore sive in ipsius discipulis, continuam recognitionem fidelitatis erga Dominum, docilitatis erga Spiritum Eius, animi ad rerum adiuncta prudenter intenti atque in signa temporum provide intuentis, voluntatis sese Ecclesiae inserendi, conscientiam oboediendi sacrae Hierarchiae, audaciae in rebus inceptis, constantiae sese donandi, humilitatis in rebus adversis perferendis ... Hisce nostris praesertim temporibus exigitur in religiosis eadem illa charismatica genuinitas, vivax et ad excogitandum ingeniosa, quae potissimum in Fundatoribus excellit ».[44] Permanens institutio exigit ut potissimum attendatur ad signa Spiritus temporum nostrorum, quibus peculiari animadversione est congruenter respondendum.

Praeterea institutio continua est datum sociologicum, quod hodie ad omnes provincias spectat activitatum professionalium, et condicio saepius evadit manendi in tali labore vel transeundi ad alium.

Cum autem institutio initialis sit ordinata ad acquirendam sufficientem autonomiam ut quis esse possit fidelis suis religiosis officiis, institutio continua econtra adiuvat religiosum ad integrandam creativitatem in fidelitate, quia vocatio christiana et religiosa exigit dynamicum incrementum atque fidelitatem in concretis rerum adiunctis exsistentiae. Ideoque institutio spiritualis oportet interiorem hominem unificet, unaque flexibilis sit animumque intendat ad quotidianos eventus vitae personalis et mundi. « Sequi Christum » valet idem ac semper in itinere esse, sclerosi et ankylosi remotis, ad acquirendam idoneitatem testificandi, per vitam et veritatem, Regnum Dei in hoc mundo.

Aliis verbis institutio permanens videtur tribus rationibus fundamentalibus inniti, quarum :

— prima exurgit a fine ipso vitae religiosae in Ecclesia; quae cha-

[44] *MR* **lib; 12b; 23£; cf. n. 8 Intr.**

rismaticas et eschatologicus partes habet maxime significativas, quaeque exigit ut religiosi, viri ac mulieres, peculiarem mentem intendant ad vitae Spiritum, tum in historia personali viri mulierisque cuiusque, cum in spe ac angore populorum;

— altera procedit ex provocationibus fidei christianae eiusque sortis futurae in mundo, qui immutat rapido et accelerato cursu;[45]

— tertia respicit vitam ipsam institutorum religiosorum eorumque futuram destinationem, quae ex parte pendet ex institutione permanenti sodalium.

NATURA

68. Institutio continua est processus universalis renovationis, qui respicit omnes personae religiosae adspectus et instituti ipsius totalitatem. Quae perficienda est ratione habita inseparabilitatis diversarum formarum, mutuo in vitam religiosi communitatisque cuiusque congruentium. Rationes quae sequuntur respiciendae sunt:

— vita ad normam Spiritus seu spiritualitas, cui primatus tribuendus est, cum fidei et religiosae professionis sensus altiorem investigationem includat; spiritualia exercitia annualia igitur ceteraque tempora spiritualis renovationis diversis sub formis potiorem locum habeant;

— participatio ad vitam Ecclesiae iuxta instituti charisma, potissimum vero accommodatio renovata methodorum et rerum activitatum pastoralium, sociam operam praestando aliis actoribus pastoralis actionis localis;

— regyratio doctrinalis et professionalis, quae necessario effert ut penitus perspiciantur fundamenta biblica et theologica, magisteriique universalis et particularis documentis studeatur, melius cognoscantur culturae regionum in quibus vivitur et agitur, munus professionale et technicum, ubi opus sit, renovetur;

— fidelitas ad charisma proprium, per altiorem fundatoris cognitionem, instituti historiam, spiritum, missionem, quibus sequantur nisus appropriati ut omnes personaliter et in communi ad actum ea deducant.

69. Si forte maiore ex parte institutio permanens locum habeat intra institutionis servitiorum complexum inter instituta, cavendum est ne

[45] Cf. *PC* 2d.

quoddam institutum deleget externis organizationibus universum suorum sodalium institutionis continuae munus, quod pluribus rationibus arcte connectitur valoribus propriis eius charismatis. Singula instituta ergo, spectatis necessitatibus et possibilitatibus, suscitare ac promovere debent varia incepta et structuras.

POTIORES OPPORTUNITATES INSTITUTIONIS CONTINUAE

70. Huiusmodi gradus non sunt rigide intellegendi, quos convenit re vera componere cum aliis Spiritus Sancti inceptis, quae praevideri nequeunt. Retinendi sunt tamquam gradus maioris momenti :

— transitus ab initiali institutione ad primam experientiam vitae magis authonomae, qua religiosus novum modum fidelitatis erga Deum invenire debet ;

— post circiter decem transactos annos a professione perpetua, cum periculum subeant vitae consuetudinariae atque amissio omnis impetus; hoc in tempore videtur necessaria esse productior periodus in qua a vita ordinaria secedatur ut ad lumen Evangelii ac ad fundatoris mentem eadem examinari possit; quod tempus altius perquirendi nonnulla instituta suis sodalibus praebent in tertio quodam anno, quem vocant etiam secundum novitiatum seu secundam probationem, etc. ; optandum est haec periodus peragatur in instituti communitate;

— plena maturitas, quae secumfert saepe periculum crescentis individualismi, praesertim in fortibus activisque ingeniis ;

— supervenientibus quocumque tempore vehementibus discriminibus sive ab externo (ex. gr. immutatio loci vel laboris, decoctiones seu frustrationes, contentiones, sensus emarginationis, etc.) sive a magis personalibus adiunctis (ut sunt morbus physicus vel psychicus, ariditas spiritualis, fortes tentationes, crisis fidei vel sentimentalis vel utraque simul, etc.) ; his in adiunctis religiosus adiuvandus est ut discrimen superet in fide;

— tempore progredientis secessus ab actione, cum religiosi, viri ac mulieres, altius sentiant in seipsis experientiam de qua sanctus Paulus perscribit in contextu itineris versus resurrectionem : « Propter quod non deficimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, noster renovatur de die in diem»;[46] Petrus ipse, post susceptum immensum pascendi dominici gregis munus, ita

[46] *2 Cor* 4, 16; cf. etiam 5, 1-10.

a Domino est admonitus: « Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet, quo non vis »;[47] religiosus huiusmodi momenta vivere debet veluti ea sint occasio unica in qua possit experientia paschali Domini Iesu penetrari usque ad desiderium moriendi et vivendi semper cum Christo, congruenter cum sua optione initiali: ((ad cognoscendum (Christum) et virtutem resurrectionis eius et communionem passionum illius, conformans (se) morti eius, si quo modo occurra(t) ad resurrectionem, quae est ex mortuis»;[48] vita religiosa unum hoc iter novit.

71. Superiores, designato institutionis permanentis moderatore in instituto; curare etiam debent ut religiosi, viri ac mulieres, per totam vitam praesto habeant directores seu monitores spirituales, iuxta paedagogicas methodos iam ad actum deductas in institutionis initialis tempore iuxtaque modos ad maturitatem acquisitam rerumque adiuncta in quibus versantur accommodatus.

CAPUT IV

INSTITUTIO IN RELIGIOSORUM INSTITUTIS QUAE INTEGRE AD CONTEMPLATIONEM ORDINANTUR PRAEPRIMIS MONIALIUM *(PC* 7)

72. Quae supra dicta sunt vigent etiam pro institutis de quibus hic tractaturi sumus, servatis charismatibus, traditionibus atque legibus propriis.

PRAECLARA PARS HORUM INSTITUTORUM IN ECCLESIA

73. « Instituta quae integre ad contemplationem ordinantur, ita ut eorum sodales in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri paenitentia soli Deo vacent, in Corpore Christi mystico, in quo "omnia ... membra non eundem actum habent" *(Rm* 12, 4), quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, praeclaram partem semper retinent. Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana

[47] *Io* 21, 15-19.
[48] *Philip.* 3, 10; cf. 1, 20-26; cf. etiam *LG* 48.

fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum ».[1]

In Ecclesiis particularibus « eorum vita contemplativa est primus ac fundamentalis apostolatus, quia iuxta Dei peculiarem rationem, eorum est stilus specialis et proprius Ecclesiae adhaerendi, in Ea vivendi, cum Ea communicandi, in Eadem missionem perficiendi ».[2]

Ob sodalium institutionis opportunitatem et propter rationes quae sequuntur huiusmodi instituta specialissimam considerationem postulant et in initiali et in permanenti institutione.

MOMENTUM INSTITUTIONIS

74. Studium Verbi Dei, Traditionis Patrum, documentorum Ecclesiae Magisterii necnon inquisitio theologica systematica non nullius momenti sunt habenda istis in locis, ubi complures totam vitam suam ordinare optaverunt propter potiorem, si non exclusivam, Dei investigationem. Huiusmodi religiosi enim, viri ac mulieres, cum ordinentur plene ad contemplationem, ex Scripturis intellegunt quomodo Deus numquam desistat a quaerenda creatura sua ad foedus cum ea ineundum, et quomodo vicissim vita hominis non possit nisi in inquirendo Deo semper impendi, in qua inquisitione et ipsi patienter operam navant. Creaturam vero, propter nimios limites adtrectantem, Deus ipse insimul idoneam reddit ad eam vehementer perficiendam. Agitur ergo de auxilio his religiosis praebendo ut ad Dei mysterium appropinquent, intellectus humani criticis exigentiis minime neglectis. Delineandae etiam videntur certitudines Revelationis de Dei Patris Filii et Spiritus Sancti mysterio, cum humilitas requiratur in huiusmodi inquisitione, quae perficietur nonnisi quando facie ad faciem Deum videbimus sicuti est. Prima cura horum hominum contemplationi deditorum cum non sit neque esse possit amplioris scientiae acquisito, neque graduum academicorum adeptio, eius munus est ac esse debet fortiorem reddere fidem, quae est « sperandorum substantia, rerum argumentum non apparentium ».[3] In fide enim fundamenta et authenticae contemplationis primitiae sunt posita; fides per semitas non notas cum nonnullos adducat : « Abraham exivit nesciens quo iret »,[4] tamen firmiter

[1] *PC* 7.
[2] *CDRL* 26 et 27; cf. n. 9 Intr.
[3] *Heb* 2, 1.
[4] *Ibid.* 2, 8.

adiuvat ad sustinendas tentationes: « invisibilem enim tamquam videns sustinuit »;[5] fides medetur, altius inquirit et conatus intellectus dilatat, quaerentis ac contemplantis quod in praesenti consequi nequit nisi « per speculum in aenigmate ».[6]

CAPITA URGENTIORA

75. Spectata specificitate horum institutorum mediorumque ad eam fideliter firmandam, institutionis ratio urgentiora capita tractare debet, quae pedetemptim sequentes gradus institutionis respiciant. Imprimis notandum est iter institutionis apud haec instituta minus esse impensum et formale, cum sodales magis stabiles evadant propter defectum acti vitatum extra monasterium. Praeterea in huius mundi rerum adiunctis sodales horum institutorum adipiscantur oportet gradum culturae humanae et religiosae quae nostri temporis exigentiis respondeat.

LECTIO DIVINA

76. Magis quam fratres et sorores apostolatui dediti sodales institutorum ad contemplationem integre ordinatorum maiorem partem quotidiani temporis in studio Verbi Dei et in divina lectione impendunt, sub quattuor rationibus lecturae, meditationis, orationis et contemplationis. Quibuslibet verbis adhibitis iuxta diversas traditiones spirituales vel quibusvis peculiaribus significationibus datis, hi gradus singuli suam habent validitatem et specificitatem. Lectio divina Verbo Dei alitur, a quo initium sumit eoque redit. Altius studium biblicum ergo ex parte roborat divitias lectionis, et sive versetur in ipso textu biblico, sive in liturgico vel in loco spirituali maioris momenti catholicae traditionis, resonat fideliter Verbum Dei, quod auscultandum est et etiam, fortasse, murmurandum, iuxta morem antiquum. Huiusmodi initiatio postulat exercitium animosum in tempore institutionis ipsique innituntur omnes ceteri gradus.

LITURGIA

77. Liturgia, potissimum Eucharistica Celebratio et Horarum Liturgia, locum potiorem habet in talibus institutis, ratione optionis. Patres antiqui non semel comparaverunt vitam monasticam cum vita angelica,

[5] Cf. *ibid.* 2, 27.
« *1 Cor* 13, 12.

quod inter ceteras rationes, angeli sunt Dei <(liturgi ».[7] Liturgia, in qua caelum et terra coniunguntur et in qua praegustatio Liturgiae caelestis suppeditatur, culmen est, quo tendit universa Ecclesia et fons totius eius virtutis. Quae tamen cum non universam perficiat Ecclesiae activitatem, evadit « soli Deo vacantibus)) locus et medium peculiare celebrandi nomine Ecclesiae in adoratione, gaudio et gratiarum actione salutis mysterium a Christo perfectum, cuius memoriale annus liturgicus certis temporibus renovat ;[8] curandum est ergo ut non solum celebretur accurate iuxta traditiones et ritus proprios diversorum institutorum, sed etiam pervestigetur historice, iuxta varietatem formarum suarum atque theologicae significationis.

78. Traditionem sequentes, in nonnullis his institutis quidam religiosi ministerio presbyterali ornantur et Eucharistiam quotidianam celebrant, licet apostolatui plerumque non sint addicti. Qui mos innititur sive ministerii presbyteralis naturae sive Eucharistiae sacramenti rationibus. Exstat enim interior harmonia inter religiosam consecrationem et consecrationem ad ministerium, iureque religiosi isti ordinantur presbyteri, licet ministerii exercendi ofiicio careant ad intra et extra saepta monasterii. ((Coniunctio in una persona consecrationis religiosae, quae oblationem Deo eam reddit, et sacerdotalis officii, potissimum Christo configurat, qui insimul est Sacerdos et Victima)).[9]

Praeterea Eucharistia, ((quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae »[10] ideoque est celebranda per se qua talis, cum «opportunitas... sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui in consecratione huius sacramenti sacrificium offertur
Oportet demum in lucem ponere affinitatem inter vocationem contemplativam et mysterium Eucharisticum. Revera « inter (opera vitae contemplativae), praecipua sunt ea quae aguntur in divinis mysteriis ».[12]

[7] *Orig.,* princ, 1, 8, 1.

* Cf. *LG* 49, 50; *SC* 5, 8, 9, 10.

[9] Paulus VI ad superiores maiores Italiae: *AAS* 58 (1966) 1180; cf. etiam *Epist, ad Cartus.,* 18-4-1971: *AAS* 63 (1971) 448-449.

[10] *PO* 13; ef. Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium fidei: AAS* 57 (1965) 761-762.

[11] S. Thomas, *S. Th.,* III, q. 82, a. 10.

[12] Id., *ibid.,* II-II[ae], q. 189, a. 8. ad 2"°.

LABOR

79. Labor cum sit communis lex qua religiosi, viri ac mulieres, astringuntur, in tempore institutionis oportet eius significationem in lucem ponere, cum hoc in casu perficiatur intra saepta monasterii. Labor ad vivendum non opponitur Dei Providentiae, cui cura est etiam minimorum vitae nostrae elementorum, quin immo eius consilio innititur. Etenim considerari potest veluti servitium communitatis, mediumque exercendi quandam responsabilitatem et cooperandi cum aliis; praeterea quandam disciplinam personalem fovet et rationes intimas quotidiani horarii exaequat. In cautionis et securitatis socialis complexibus, progredientibus ac valentibus in diversis regionibus, labor etiam religiosis facultatem concedit participandi nationalem solidarietatem, quam civis nullus ius habet eifugiendi. Magis in universum loquendo labor est elementum solidarietatis cum omnibus operariis mundi, qui non solum respondit necessitati oeconomicae et sociali, sed etiam evangelicae exigentiae. Nemo in communitate laborem peculiarem ut suum proprium vindicare potest quasi suae esset proprietatis, sed omnes semper parati esse debent ad universos perficiendos labores, qui requirantur.

Durante initiali institutione, potissimum in novitiatu, tempus labori manuali dicatum ne tempus usurpet, quod ordinario reservatur studiis ceterisque activitatibus, quae directo ad institutionem spectant.

ASCESIS

80. Ascesis peculiarem locum in institutis plene deditis contemplationi obtinet, ubi religiosi, viri ac mulieres, recte intellegant oportet, exigentiis secessus a mundo peculiaribus minime obstantibus, suam consecrationem religiosam hominibus et mundo propinquos eos facere « profundiore modo in visceribus Christi ».[*] « Monachus est qui ab omnibus est seiunctus et cum omnibus coniunctus)).[14] Cum omnibus coniunctus quia cum Christo coniunctus est, cum omnibus coniunctus quia in corde suo fert adorationem, gratiarum actionem, laudem, angorem et dolorem hominum huius temporis. Cum omnibus coniunctus quia Deus eum vocat in locuin ubi sua secreta revelat. Nec tantum sunt praesentes mundo sed etiam Ecclesiae cordi, religiosi qui ex integro

* *LO* 46.

[14] *V S* III, Intr. et n. 27; *EV* 3, 865.

se vovent contemplationi. Liturgia quam celebrant, explet fundamentale officium communitatis ecclesialis. Caritas quae eos urget quamque perfectam reddere curant insimul vivificat totum Christi corpus mysticum. Tali caritate primum attingunt fontem omnium rerum exsistentium — iureque appellatur « amor fontalis » — ideoque in mundi et Ecclesiae corde exstant. « In corde Ecclesiae, matris meae, ego amor ero ».[15] Haec est eorum vocatio et missio.

EXSECUTIO

81. Norma generalis praecipit ut universus institutionis initialis et permanentis cyclus intra monasterii saepta perficiatur, cum huiusmodi religiosis locus exstet magis idoneus ad iter conversionis, purificationis et ascesis explendum, ut conformare possint suam vitam Christo. Quae exigentia habet commodum etiam fovendi communitatis harmoniam. Revera universa communitas et non tantum pauci vel coetus promptiores perfruantur oportet institutionis recte ordinatae commodis.

82. Si monasterium satis sibi nequeat providere deficientibus docentibus vel candidatis, apparentur oportet institutionis opportunitates (cursus, sessiones, etc.) communes pluribus monasteriis eiusdem foederationis vel Ordinis vel vocationis fundamentalis communis, in quodam monasterio, certis temporibus naturae contemplativae monasteriorum, quorum interest, idoneis. Quod si institutionis exigentiae componi nequeant cum clausurae disciplina, servetur ius vigens.[16] Licet ad munus institutionis explendum vocare etiam doctores monasterio vel Ordini externos dummodo institutio tradatur iuxta peculiarem indolem religiosorum qui instituendi sunt.

83. Consociatio monasteriorum monialium cum institutis virorum, iuxta c. 614, prodesse etiam potest institutioni monialium si spondeat charismatis fidelitati, spiritui et traditionibus eiusdem spiritualis familiae.

84. Singulis monasteriis curandum est ut condiciones apparentur studio personali et lectioni faventes, per idoneam bibliothecam ad praesentia constanter accommodatam, necnon si opus sit, per chartarios cursus.

[15] S. Ther. a Iesu Inf., *Manusor. autob.,* 1957, p. 229.
» Cf. CIC, c. 667.

85. Ordines et congregationes monasticae virorum, foederationes monialium et monasteria non foederata vel non consociata apparare debent institutionis rationem, in iure proprio inserendam, quae etiam leges concretas applicationis statuat ad normam cc. 650 § 1, 659-661.

CAPUT V

QUAESTIONES NOVAE DE RELIGIOSORUM INSTITUTIONE

Hic una de quibusdam quaestionibus seu sententiis pertractabitur ad praesentia spectantibus, quarum nonnullae analysim breviorem resonant et ideo altius fortasse sunt pervestigandae, extenuandae ac perficiendae; aliae vero enuntiant orientationes ac principia, in actum deducenda ab Ecclesiis particularibus.

A) CANDIDATI IUNIORES AD VITAM RELIGIOSAM ET CURA PASTORALIS VOCATIONUM

86. Adulescentes sunt «spes Ecclesiae»,[1] quae « iuvenibus et iuvenes Ecclesiae tot habent dicenda ».[2] Exstent licet adulti candidati ad vitam religiosam, maiorem tamen hodie partem obtinent iuvenes ab decem circiter et octo ad viginti quinque annos nati. Quo magis afficiuntur « modernitate », quam omnes conveniunt appellare, eo magis lineamentis communibus delineari ipsi verius posse videntur. Pictura verum redolet exemplar occidentale et septemtrionale, tamen haec forma videtur in dies universalior fieri cum suis valoribus et defectibus, et cultura quaeque ei coniatura correctiones conformes suae originalitati.

87. « Iuvenum sensibilitas intime percipit valores, uti sunt iustitia, non-violentia, pax. Cor eorum apertum est fraternitati, amicitiae et solidarietati. Maxime mobilizantur causis quae qualitatem vitae et conservationem naturae respiciunt ».[3] Sitiunt enim pariter libertatem et authenticitatem, appetuntque generaliter, et non raro ardenter, mundum meliorem, neque desunt qui in consociationibus politicis, socialibus, culturalibus et caritativis aggregentur, ad meliorem reddendam condicionem generis humani; qui, quam plurimi, nisi iam sint distorti

[1] *OE* 2.

[2] *ChL* 46; cf. etiam prop. 51 et 52 VII Syn. Episc. (1987).

[3] *Ibid.*

ideologiis totalitatis cuiusque generis, evadunt ferventes fautores liberationis hominis, quantum spectat ad alienae stirpis contemptionem, inferiorem progressionem, bella, iniustitias. Huiusmodi habitus cum non semper innitatur — et interdiu longe abest — rationibus religiosis, philosophicis vel politicis, tamen non est reiciendus sinceritatis et magnae generositatis causa. Inter eos inveniuntur qui summo sensu religionis sint praediti, qui et ipse evangelizandi est. Plurimi demum, qui minor pars esse non necessario videntur, vitam christianam nimis exemplarem duxerunt ac seipsos devoverunt magno cum animo apostolatui, expertique iam sunt quid valeret « sequi Christum pressius)).

88. Huiusmodi ergo cum sint, eorum doctrinales et ethicae notiones periclitatur relativismo ita subici, ut saepe clarius scire nequeant utrum exstent indicationes solidae ad agnoscendam veritatem circa hominem, mundum et rerum naturam. Philosophiae institutio, quae desideratur in scholasticis rationibus, saepe ad perpauca revocat, ideoque iuvenes exprimere difficulter valent quid sint et ad quid vocentur. Quod si proprias videantur notiones habere de exsistentia boni et mali, significatio tamen verborum horum non eadem esse videtur ac apud praecedentes generationes. Saepe fractura habetur inter gradum eorum profanarum notionum, interdiu potissimum ac peculiariter institutarum, gradumque eorum psychologicae maturitatis et vitae christianae. Non omnes enim apud familias suas experientiam beatam sunt experti, cum institutum familiare plurimis discriminibus sit subiectum sive ubi cultura nondum christianismo signata est altiore modo sive apud culturas post-christianas ubi desideratur nova evangelizatio, sive in ipsis culturis iam diu evangelizatis. Cum plura per imagines discant cumque institutio scholaris vigens faveat interdiu his mediis minusque temporis lecturae voveatur, eorum cultura signatur quasi carentia rationis historicae, veluti hic mundus nunc temporis inciperet. Eerum consumendarum societas eiusque sensus deceptionis illis minime parcunt, propter quod cum invenerint suum locum in mundo, non raro magno cum labore, nonnulli, vi, droga et erotismo affici se sinunt. Pauciores in dies inveniuntur candidati ad vitam religiosam, qui in huiusmodi provincia malum quoddam non sint experti.

89. Premunt ergo problemata, quae ponunt divitiae et complexitas huius humanae conditionis curae pastorali vocationum et insimul institutioni. In discrimine est rectum iudicium de vocationibus, potissimum

quod fortasse in quibusdam regionibus candidati, viri ac mulieres, ad vitam religiosam eo fine tendant ut plus minusve inconscie promotionem socialem quaerant atque futuram condicionem securam, aliisque econtra vita religiosa appareat tamquam locus idoneus ideologicae actioni pro iustitia, aliique demum magis spiritu conservativi, in vita religiosa quaerant locum servandae suae fidei, in mundo qui ipsis videatur hostilis et maius. Huiusmodi rationes prae se ferunt flexus quorundam valorum sed purificandae atque corrigendae sunt.

In regionibus excultis, quae dicuntur, fortasse praesertim promovendum est aequilibrium humanum et spirituale per abrenuntiationes, firmam fidelitatem, generositatem serenam et sustentatam, gaudium authenticum et amorem : haec est ratio quae plurimum poscit sed necessaria est religiosis, viris ac mulieribus, curae pastorali vocationum atque institutioni deditis.

B) INSTITUTIO RELIGIOSORUM ET CULTURA

90. Generali voce « cultura » breviter indicari posse videntur, ad mentem constitutionis pastoralis *Gaudium et spes,* « omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit atque explicat » *(GS,* 53-62).[4] Ideo cultura definiri potest «id propter quod homo fit magis homo. (Cultura) semper sisti tur in essentiali et necessaria relatione ad id quod est homo ».[5] Praeterea, omnes perspiciant oportet « consiliorum evangelicorum professionem, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae indubie magni aestimanda veniunt, tamen personae humanae vero profectui non obstare, sed natura sua ei summopere prodesse ».[6] Exstat ergo affinitas vitam religiosam inter et culturam.

91. Re autem vera haec affinitas animum nostrum intendit in nonnulla, quae sequuntur, elementa. Iesus Christus praeprimis eiusque Evangelium transcendunt omnes culturas, etiamsi eas omnes praesentia Christi resuscitati eiusque Spiritus ab intimo compenétrente Praeterea universae culturae sunt evangelizandae, id est purificandae et sanandae sunt vulneribus peccati. Insimul sapientia, quam secumferunt,

« *CIT,* 8-10-1985, n. 4-1: *EV* 9, 1622.

s Ioannes Paulus II ad UNESCO, 1980, nn. 6-7: *I DOP,* 1980, 1, 1636.

« *LO* 46.

[7] *CIT,* Fides et inculturatio, nn. 8-22; «La Civiltà Cattolica», Ian. 1989.

superatur, ditior fit ac perficitur per sapientiam Crucis.[8] Sub omnibus caelis ergo :

— curandus est gradus culturae generalis candidatorum, neque obliviscendum est culturam fines suos non ponere iuxta unam intellectualem personae dimensionem;

— verificandum est quomodo religiosi, viri ac mulieres, inculturent suam fidem in sua cultura originali, iidemque adiuvandi sunt ; cavendum est tamen ne domus institutionis ad vitam religiosam immutentur in quaedam inculturationis opificia, cum firmiter institutionis moderatoribus consulendum sit officio directionis personalis suorum discipulorum; agitur enim de personali institutione eorum fidei eiusque radicationis in vita totius personae, propter quod obliviscendum non est Evangelium liberare in quadam cultura veritatem ultimam valorum quos secumfert, et ex altera parte, culturam exprimere Evangelium modo peculiari novasque eius exponere rationes ;[9]

— initiandi sunt religiosi, viri ac mulieres, viventes et operantes in alia cultura ac sua, ad agnitionem et reverentiam erga hanc culturam, iuxta praescripta decreti conciliaris *Ad gentes,* n. 22;

— promovenda apud recentiores Ecclesias, in communione cum universa Ecclesia locali et sub regimine eius Pastoris, vita religiosa inculturata, iuxta decretum *Ad gentes,* n. 18.

C) VITA RELIGIOSA ET MOTUS ECCLESIALES

92. ((In Ecclesia-Communione vitae status ita inter se connectuntur, ut alii ad alios ordinentur. Utique communis, immo unica eorum est profunda significatio : omnes sunt modi parem dignitatem christianam et universalem vivendi vocationem ad sanctitatem et in perfectione amoris. Modi simul diversi et complementarii sunt ita ut unusquisque eorum suam originalitatem et inconfutabilem habeat faciem ac simul eorum singuli ad alios et ad eorum referatur servitium ».[10] Id confirmatur plurimis nostri temporis experimentis participandi non tantum laborem sed etiam interdiu orationem et mensam, religiosorum, virorum ac mulierum, et laicorum. Non hic eo contendimus ut studium generale de hac condicione nova instauremus sed tantum ut illustremus

» *Ibid.)* cf. etiam *ChL* 44.

[9] *CIT,* n. 4-2; cf. n. 4.

[10] *ChL* 55.

unas necessitudines religiosos inter et laicos sub ratione motuum ecclesialium, quorum plerique orti sunt ex laicorum inceptis.

Motus ecclesiales vero, desiderio innixi plenius vivendi atque annuntiandi Evangelium hominibus, numquam ex primordiis defuerunt Populo Dei, quorum nonnulli arcte cum institutis religiosis coniuncti sunt, eorum spiritualitatem peculiarem participantes. Nostris autem temporibus, potissimum vero post aliquot decennia, novi motus creati sunt, magis independentes quam primaevi a structuris atque stilo vitae religiosae, quorum beneficiis influxus in Ecclesiam saepius est dilaudatus inde a Synodo Episcoporum de vocatione atque missione laicorum (1987), dummodo tamen certis criteriis oboedirent ecclesialitatis.[11]

93. Ad servandam serenam communionem inter huiusmodi motus et instituta religiosa, eo magis quod nonnullae vocationes religiosae inde exortae sint, exigentiae quae sequuntur atque consectaria concreta pensanda sunt, quae sodalibus horum institutorum secumferunt.

— Institutum, fundationis et Ecclesiae adprobationis causa, habet internam suam cohaerentiam, quam ex natura, ex fine, ex Spiritu, ex indole et ex traditionibus suis suscipit. Quod patrimonium universum veluti axis est circa quem vicissim et identitas unitasque ipsius instituti[12] et vitae unitas sodalis cuiusque sustentantur. Spiritus donum est pro Ecclesia, cui nihil interponendum neque admiscendum est. Dialogus et participatio in Ecclesia praevium habent fundamentum in eo quod singuli conscii sint suae naturae^

— Candidatus ad vitam religiosam, originem licet duxerit ex quolibet motu ecclesiali, cum in novitiatum ingrediatur, sub auctoritate ponitur superiorum et moderatorum legitime designatorum, ut instituatur; nequit igitur una dependere ab externo moderatore, qui degat extra saepta instituti cui iam est incorporatus, etiamsi antequam ingressus sit huiusmodi motum participaverit, cum in discrimine ponatur unitas instituti et unitas vitae novitiorum.

— Hae exigentiae explendae sunt ante professionem religiosam, ad omne periculum plurium iurisdictionum amovendum, sive relate ad vitam spiritualem personalem religiosi sive relate ad eius missionem, quibus neglectis necessaria communio inter religiosos et laicos confusionem parere periclitatur in utroque ordine de quo locuti sumus.

[11] Cf. *ChL* 30.

[12] Cf. CIC, c. 578.

D) EPISCOPALE MUNUS ET VITA RELIGIOSA

94. Quaestio de episcopali munere componendo cum vitae religiosae exigentiis magis ad praesentia pertinet post editum documentum *Mutuae relationes* et postquam Summus Pontifex Ioannes Paulus II plurimis in rerum adiunctis in lucem posuit influxum pastoralis muneris episcoporum in vitam religiosam.

Inter Episcopi munus ac religiosi superioris officium nulla interest contentio. In institutis etenim internus exstat ordo, sua fruens competentiae provincia, quo melius incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; autonomia autem certa, quae huiusmodi competit ordini interno, exercenda tamen est in organica communione ecclesiali.[13]

95. Re quidem vera « singulis institutis iusta autonomia vitae, praesertim regiminis, agnoscitur, qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina atque integrum servare valeant suum patrimonium ... Ordinariorum locorum est hanc autonomiam servare ac tueri».[14]

In qua provincia autonomiae « ius proprium (institutorum) rationem definire debet (huius) institutionis eiusdemque durationis, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque condicionibus, prout a fine et indole instituti exigitur ».[15]

((Quoad munus docendi : Superiores Religiosi competentiam habent et auctoritatem "magistri spiritus" secundum evangelicam proprii instituti conformationem ; quare in eius ambitu veram explere debent spiritualem directionem totius Congregationis et singularum ipsius Communitatum; quam quidem ipsi perficient in sincera concordia cum authentico Hierarchiae magisterio ».[16]

9G. Altera autem ex parte episcopi, qui sunt « doctores authentici » et « divinae et catholicae veritatis testes »,[17] « respondendi (onus habent) circa fidei doctrinam, sive in Centris, ubi eadem excolitur, sive in adhibendis instrumentis ad eam tradendam».[18] «Ad Episcopos spectat, utpote qui magistri authentici et perfectionis moderatores sint

[13] *ChD* 35, 3. 4; *MB* 13c.
[14] CIC, c. 586.
[15] CIC, c. 659, 2; cf. pariter c. 650, 1, potissimum quoad novitiatum.
[16] *MB* 13a; cf. n. 8 Intr.
[17] *LG* 25.
[18] *MB* 33; cf. n. 8 Intr.; cf. etiam CIC, cc. 753 et 212, 1.

pro omnibus Dioeceseos membris *(ChD* 12, 15, 35, 2 : *LG* 25, 45), etiam fidelitatem erga religiosam vocationem in spiritu uniuscuiusque instituti custodire»,[19] ad normam iuris (cf. cc. 386, 387, 591, 593, 678).

97. Neque rebus sic stantibus contradicit autonomia vitae et potissimum regiminis, quod institutis religiosis agnoscitur. Cum enim in exercitio iurisdictionis episcopus definiatur huius autonomiae obsequio, non tamen dispensatur invigilare itineri religiosorum ad sanctitatem quod attinet. Competit revera apostolorum successori, qui est minister Verbi Dei, vocare universos christianos « ad sequendum Christum pressius» (c. 573, 1). Institutum quibus ipsi adscribuntur exstat per seipsum atque ipsismet schola perfectionis et via ad sanctitatem, sed vita religiosa est bonum Ecclesiae, et qua talis, subicitur responsabili tati episcopi. Necessitudo episcopi cum religiosis, viris ac mulieribus, quae generaliter percipitur in ordine apostolatus, est radicata altius in eius munere Evangelii administri, inserviendi Ecclesiae sanctitati, ac integram servandi eius fidem.

Hac mente et huiusmodi principiis positis, convenit ut episcopi Ecclesiarum particularium saltem certiores fiant a superioribus de rationibus institutionis vigentibus in centris seu servitiis institutionis religiosorum, degentibus in territorio, in quo suum munus pastorale exercent. Omnes difficultates a responsabilitate episcopali provenientes et ad horum spectantes servitiorum seu centrorum functionem, iudicio subiciendae sunt episcoporum et superiorum maiorum, iuxta leges et orientationes quae statuuntur in instructione *Mutuae relationes* nn. 24-35, et, si necesse erit, ope coordinationis organorum, quae idem documentum indicat sub nn. 52-67.

E) COOPERATIO INTER INSTITUTA IN PROVINCIA INSTITUTIONIS

98. Praecipua institutionis religiosorum responsabilitas iure spectat singulis institutis eorumque superioribus maioribus, auxiliantibus moderatoribus idoneis, quibus competit summum munus invigilandi. Singula instituta ergo rationem institutionis propriam definire debent, ad normam iuris.[20]

[19] *MB* 28; cf. n. 8 Intr.; quoad Episcopum «perfectorem», cf. S. Thomas, *S. Th.,* II-II", q. 184.

[20] CIC, 650, 1 et 659, 2; cf. etiam Ioannes Paulus II, ad relig. Brasil., 11-7-1986, n. 5; cf. n. 5 Intr.

Necessitas tamen eo duxit quaedam instituta, in omnibus orbis terris, ut communicarent institutionis (personalis et institutorum) subsidia ad collaborandum in hoc tam maximi momenti opere, cui incumbere eisdem persuasum est ipsa sola numquam valitura fuisse.

99. Haec collaboratio fit per centra permanentia aut per servitia periodica. Centrum inter-instituta appellatur centrum studiorum pro religiosis, positum sub responsabilitate collectiva superiorum maiorum institutorum, quorum sodales participant hoc centrum. Eius finis est institutionem doctrinalem ac practicam praebendi, quae requiratur a missione peculiari institutorum, ac iuxta indolem eorum. Distinguitur vero ab institutionis communitate, instituto cuique propria, et in qua novitius et religiosus initiantur instituti vitae communitariae, spirituali et pastorali. Cum institutum intersit centro inter-instituta, ius complementare componendum est inter institutionis communitatem et centrum, ratione habita institutionis harmonicae et integralis.

Centra institutionis, quae cuidam foederationi sunt concorporata, subiciuntur normis statutariis huius foederationis, de quibus hic minime agitur. Dantur etiam centra seu servitia studiorum, responsabilitati unius instituti concredita, quae tamen tamquam hospites suscipiunt religiosos, viros ac mulieres, aliorum institutorum.

100. Cooperatio inter instituta ad instituendos iuniores professos, viros ac mulieres, institutio permanens et institutio moderatorum, potest fieri in ambitu unius centri. Novitiorum institutio, econtra, nequit offerri nisi in forma servitiorum ad tempus, quia communitas proprie dicta novitiatus non potest esse nisi communitas conformis instituto cuique. Dicasterium nostrum aliud documentum pervulgabit fusius et normativum, ut ad effectum adducatur cooperatio inter instituta in provincia institutionis.

CAPUT VI

RELIGIOSI CANDIDATI AD MINISTERIA DIACONATUS ET PRESBYTERATUS

101. Quaestiones quae ponuntur a religiosis ad ministeria ordinata candidatis distincte exponendae videntur cum peculiares sint; quae in tres ordines dividi possunt, quorum aliae institutionem respiciant ad ministeria qua talia, aliae specificitatem religiosam presbyterorum et diaconorum religiosorum, reliquae demum insertionem religiosi presbyteri in presbyterium dioecesanum.

INSTITUTIO

102. In quibusdam institutis quae iure proprio definiuntur clericalia, interdiu propositum est eandem institutionem participare fratribus laicis ac candidatis ad ministeria ordinata. In gradu novitiatus, institutio utrisque communis videtur interdiu etiam postulari charismate proprio instituti. Consectaria enim beneficia derivantur ad qualitatem et integralitatem institutionis doctrinalis fratrum laicorum eorumque integrationem in communitate. At semper maxima cum cura servandae ac sequendae sunt normae circa durationem et contentum studiorum praeviorum ad ministerium presbyterale.

103. ((Institutio sit systematica, captui sodalium accommodata, spiritualis et apostolica, doctrinalis simul ac practica, titulis etiam congruentibus, tam ecclesiasticis quam civilibus, pro opportunitate obtentis »-[1] Ita religiosi candidati ad ministerium presbyterale servare debent normas quas *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* [2] statuit candidatique ad diaconatum permanentem dispositiones quae ad hunc finem ius proprium institutorum singulorum decrevit. Hic ex integro non resumitur *Ratio,* cuius praecipua lineamenta inserta sunt in iure canonico.[3] Sufficit tamen recolere nonnullos gradus cursus institutionis, servandos esse a superioribus maioribus.

104. Studia philosophica et theologica, successive vel simul perfecta, saltem sex annos completos perdurent oportet, ita tamen ut duo integri

[1] CIC, c. 659, 3.
[2] I ed. 6-1-1970; II ed. 19-3-1985.
[3] Cf. CIC, cc. 242-256.

anni devoveantur disciplinis philosophicis et quattuor integri pariter studiis theologicis. Curent superiores maiores ut praesentes normae potissimum serventur cum iuniores religiosi centris inter-instituta concredantur vel universitatibus.

105. Licet universa institutio candidatorum ad ministerium presbyterale persequatur finem pastoralem, danda est tamen institutio pastoralis stricte dicta et apta indoli instituti. Ratio huius institutionis conformanda est decreto *Optatam totius,* et pro religiosis vocatis ad laborandum in culturis aliis ac suis decreto *Ad gentes.*[4]

106. Religiosi presbyteri ad contemplationem dediti, ut sunt monaci et huiusmodi, si vocentur a superioribus ut hospitibus inserviant in ministerio reconciliationis vel spiritualis directionis, institutione pastorali huic ministerio idonea imbuendi sunt. Item orientationes pastorales sequi debent Ecclesiae particularis in qua degunt.

107. Omnes canonicae normae statutae pro ordinandis ac circa ordinandos servandae sunt, perspectis natura obligationibusque propriis status religiosi.[5]

PECULIARITAS RELIGIOSA DIACONORUM ET PRESBYTERORUM RELIGIOSORUM

108. ((Presbyter religiosus immissus in servitium pastorale una cum presbyteris dioecesanis ostendere debet suis moribus se religiosum esse)).[6] Ut semper demonstrent religiosi presbyteri vel diaconi <(id quod peculiare est vitae religiosae ac religiosis eisdemque vultum donat »[7] nonnullas expleant condiciones oportet, de quibus perutile est ut religiosi candidati ad ministeria presbyteratus et diaconatus saepius seipsos interrogent sive in tempore institutionis suae initialis sive in decursu institutionis permanentis :

— utrum acquisiverint claram perceptionem et sententias firmas de natura sive ministerii presbyteralis et diaconalis, quod spectat ad structuram Ecclesiae, sive vitae religiosae, quae ad eius vitam et sanctitatem inconcusse pertinet,[8] firmiter autem tenentes suum ministerium pastorale participare naturam suae vitae religiosae ;[9]

[4] Cf. *OT* 4; 19-21: *AO* 25-26.
[5] Cf. CIC, cc. 1010-1054.
[6] Ioannes Paulus II, ad relig. Brasil., 3-7-1980; cf. n. 5 Intr.
[7] *IUd.*
[8] Cf. *LO* 44.
[9] Cf. *PC* 8.

— utrum attingant, ad suam vitam spiritualem reficiendam, de fontibus instituti cuius sunt sodales atque suscipiant in seipsis donum, quod hoc institutum significat pro Ecclesia;

— utrum testimonium reddant de personali experientia spirituali, quae innitatur testimonio et doctrinae fundatoris;

— utrum vitam degant secundum regulam vitae, ad quam servandam se devoverint;

— utrum in communitate vivant ad normam iuris;

— utrum parati sint ac mobiles in servitium Ecclesiae universalis, cum superiores ad id eos vocaturi fuerint.

Si tales condiciones servatae fuerint religiosus presbyter vel diaconus harmonice utramque suae unius vocationis rationem compositurus sit.

RELIGIOSORUM PRESBYTERORUM MUNUS IN PRESBYTERIO DIOECESANO

109. Institutio religiosi presbyteri perspiciat debitam rationem futurae eius insertionis in presbyterium Ecclesiae particularis, potissimum si ministerio ei fungendum sit, « inspecta tamen propria cuiusque instituti indole ».[10] Etenim « Ecclesia particularis illud spatium historicum constituit, in quo aliqua vocatio revera sese exprimit suumque apostolicum laborem efficit Religiosi presbyteri iure eam possunt habere « quasi quandam propriae vocationis patriam diligendam ».[12] Principia fundamentalia quae huic insertioni praesunt promulgata sunt in decreto conciliari *Christus Dominus* (nn. 34-35). Religiosi presbyteri sunt « cooperatores Ordinis episcopalis » ; « vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub (Episcoporum) auctoritate ».[13] Hac in re instructio *Mutuae relationes* (nn. 15-23) in lucem ponit mutuum influxum valorum universalium et particularium. Quod si religiosi, « etiamsi ad institutum iuris pontificii pertineant, se sentire debent reapse participes "dioecesanae familiae"))," ius canonicum eisdem agnoscit autonomiam propriam[15] ut suam reti-

[10] *ChD* 85, 2.
[11] *MR* 23d.
[12] *MR* 37.
[13] *ChD* 34; cf. 35: «Ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint».
[14] *MR* 18b.
[15] Cf. CIC, c. 586, 1 et 2.

nere possint indolem universalem et missionariam.[16] Plerumque condiciones et ratio religiosi presbyteri vel instituti cui episcopus concredidit missionem vel pastorale munus in sua particulari Ecclesia, scriptae conventioni sunt tradenda[17] inter ipsum episcopum et competentem superiorem instituti vel religiosum ad quem spectet. Idem dicendum est de diacono religioso, qui in eadem versetur condicione.

CONCLUSIO

110. Hoc documentum est confectum perspectis experimentis quae post celebratum Concilium plerique ad actum deducere conati sunt, pariterque resonat quaestiones a superioribus maioribus in medium positas. Omnium tamen ad mentem intendit revocare nonnullas iuris normas, quae respiciunt praesentia rerum adiuncta atque necessitates. In votis est etiam id profuturum esse religiosis ut omnes progrediantur in communione ecclesiali sub regimine Summi Pontificis et episcoporum, quibus « ministerium competit discriminandi vel componendi, quod secumfert specialium Spiritus donorum abundantiam ac peculiare charisma ordinandi diversa munera in intima animi docilítate erga unicum vivificantem Spiritum ».[1]

Imprimis hic insimulatum est institutionem religiosorum praecipuum habere finem eos initiandi ad vitam religiosam eosque adiuvandi ut conscii fiant suae identitatis consecratorum per professionem consiliorum evangelicorum castitatis, paupertatis et oboedientiae in instituto religioso. Inter institutionis actores potissimum locum habet Spiritus Sanctus, cum institutio opus sit eminenter théologale in suo fonte et in suis finibus. Illustratur necessitas instituendi sine mora institutores idoneos, perdurante praesentium institutionis moderatorum munere. Primae partes, quas religiosi ipsi eorumque communitates habent, immutant hoc munus veluti in locum exercendae potissimum personalis et communitariae responsabilitatis. Plurimae quaestiones nostri temporis exagitatae sunt, quibus non potuit omnibus firmiter responderi, sed quae saltem ad altius pervestigandum provocant. Locus peculiaris tributus est etiam institutis integre contemplationi deditis, considerando condicionem eorum in corde Ecclesiae necnon specificitatem eorum vocationis.

[16] Cf. CIC, c. 591, et *MR* 23.
[17] *MR* 57-58; cf. etiam CIC, c. 520, 2

[1] *MR* 6; cf. n. 8. Intr.

Nunc gratia fidelitatis propriae vocationi impetranda est pro omnibus superioribus, paedagogis, institutoribus, religiosis, ad exemplar et sub intuitu Virginis Mariae. In suo itinere per saeculorum decursum, Ecclesia « progreditur iter persequens a Virgine Maria confectum, quae in peregrinatione fidei processit, suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad crucem ».[2] Institutionis tempus adiuvat religiosum ad hoc iter ineundum sub luce mysterii Christi, « in quo solo "clarescit" plene Mariae mysterium »,[3] et insimul mysterium Mariae ((Ecclesiae quasi fidem facit Incarnationis mysterii »,[4] ut proclamatum est in Ephe,sina synodo. Maria adstat initio et institutioni omnium vocationum religiosarum, cum intime associetur universo earum augmento in Spiritu Sancto. Ipsa eandem missionem, quam perfecit sequens Iesum, persequitur et pro eius Corpore quod est Ecclesia et in singulis christianis, potissimum vero in eis qui decernunt sequi Christum Iesum « pressius ».[5] Clima igitur mariale si innitatur theologiae authenticae facturum est institutionem religiosorum veram, solidam beatamque, sin autem abfuerit etiam eorum missio in mundo procul dubio in discrimine ponetur.

Hanc Congregationis pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus Vitae apostolicae instructionem, cui titulus est « Normae directivae de institutione in religiosis Institutis)), Summus Pontifex Ioannes Paulus II in audientia die 10 Novembris 1989, infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex aedibus Congregationis pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus Vitae apostolicae, die secunda Februarii anni 1990, in festo Praesentationis Domini.

HIERONYMUS card. H AMER
Praefectus

£8 **Vincentius Fagiolo**
arch. em. Teat.-Vasten., *Secretarius*

[2] *MR* 2: *AAS* 79 (1987) 361 ss.
[3] *RM* 4, *ibid.*
* *Ibid.*
[5] *LG* 42.

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO « ECCLESIA DEI »

RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SS.MI

quo Cardinali Praesidi Pontificiae Commissionis « Ecclesia Dei » speciales tribuuntur facultates, foras datur.

Quia peculiare munus Pontificiae Commissionis « Ecclesia Dei » commissum quosdam exigit actus, qui consuetum ordinem iuris transcendunt, eiusdem Pontificiae Commissionis Praeses humiliter a Summo Pontifice quasdam petiit facultates exercendas, auditis, si casus ferat, Dicasteriorum Moderatoribus, quorum interest. Eae sunt :

1. concedendi omnibus id petentibus usum Missalis Romani secundum editionem typicam vim habentem anno 1962, et quidem iuxta normas iam a commissione Cardinalitia « ad hoc ipsum instituta » mense Decembri anno 1986 propositas, praemonito Episcopo dioecesano;

2. *a)* dispensandi, ad normam Litterarum Apostolicarum « Ecclesia Dei » Motu Proprio datarum, ab irregularitatibus canone 1044 § 1, nn. 1 et 2 recensitis ;

b) sanandi in radice matrimonia nulla ob defectum formae can. 1108 requisitae, coram iisdem Sacerdotibus celebrata;

3. *a)* erigendi « Fraternitatem Sacerdotalem Sancti Petri » in Societatem clericalem vitae apostolicae iuris pontificii, illis servatis notis peculiaribus, de quibus in Litteris Apostolicis « Ecclesia Dei », n. 6, a, Motu Proprio datis, atque approbandi eiusdem Societatis Constitutiones ;

ft) erigendi Seminarium ((Fraternitatis Sancti Petri » in loco Wigratzbad in dioecesi Augustana Vindelicorum, praevio consensu Episcopi dioecesani;

4. canonice erigendi, in Institutum vitae consecratae vel in Societates vitae apostolicae, communitates, quae revera iam exsistunt quaeque antecedentibus formis liturgicis et disciplinaribus traditionis Latinae sunt devinctae, audito Praefecto Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus ;

5. erigendi fidelium Consociationes eiusdem mentis quae, peracta congrua praeparatione atque experimento, modo consueto expleto, Instituta vitae consecratae aut Societates vitae apostolicae futura sint;

6. exercendi auctoritatem Sanctae Sedis in easdem Societates et Consociationes, donec aliter provideatur.

Summus Pontifex, in audientia infrascripto Cardinali Pontificiae Commissionis « Ecclesia Dei » Praesidi, die 18 mensis Octobris 1988 concessa, facultates supra memoratas benigne concedere dignatus est et mandavit ut cum iis quorum interest communicaretur.

AUGUSTINUS card. MAYER
Praeses

In Pont. Comm.nis tab., n. 283/88.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, **23** Marzo **1990,** S. **E.** il Signor **FRIXOS COLOTAS,** Ambasciatore di Cipro presso la Santa Sede.

Venerdì, **30** Marzo **1990,** S. **E.** il Signor **LEE SIE YONG,** Ambasciatore di Corea presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Lunedì, **26** Marzo **1990,** S. **E.** il Signor **FRANCE ALBERT RENÉ,** Presidente della Repubblica delle Seychelles.

Giovedì, **29** Marzo **1990,** S. **E,** il Signor **MARIAN CALFA**, Primo Ministro del Governo di Cecoslovacchia, con l'On. **JAN CARNOGURSKY**, primo Vice Primo Ministro.

Sabato, **31** Marzo **1990,** S. **E.** il Signor **RUDOLF SEITERS**, Ministro federale della Repubblica Federale di Germania.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

28 marzo 1990. S. E. mons. Angelo Acerbi, Arcivescovo tit. di Zella, ***Nunzio Apostolico in Ungheria.***

» » » S. E. mons. Carlo Curis, Arcivescovo tit. di Medeli, ***Pro-Nunzio Apostolico in Canada.***

3 aprile » S. E. mons. Giacinto Berloco, Arcivescovo tit. el. di Fidene, ***Pro-Nunzio Apostolico in Zimbabwe.***

5 » » S. E. mons. Erwin Josef Ender, Arcivescovo tit. el. di Germania di Numidia, ***Pro-Nunzio Apostolico in Sudan.***

6 » » L'Em.mo Signor Card. William Wakefield Baum, ***Penitenziere Maggiore.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

9 gennaio 1990. La Signora Kathryn Hauwa Hoomkwap, *Memoro del Comitato Internazionale det Pontificio Consiglio della Cultura.*

2 febbraio » La Signorina Lourdes J. Custodio, *Membro del Comitato Internazionale del Pontificio Consiglio della Cultura.*

13 » » Il Rev. Luis Clavell e il Sig. Peter E. Hodgson, *Consultori del Pontificio Consiglio per il Dialogo con i non credenti.*

17 » » Mons. Enzo Giammancheri, *Consultore della Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

10 marzo » Le LL. EE. i monsignori Salvatore Asta, Arcivescovo tit. di Aureliopoli di Lidia; Angelo Palmas, Arcivescovo tit. di Vibiana; Karl-Josef Rauber, Arcivescovo tit. di Giubalziana, *Consultori della Segreteria di Stato, nella Prima Sezione per gli Affari Generali.*

» » » S. E. mons. Gaetano Alibrandi, Arcivescovo tit. di Binda, *Vescovo Membro della Congregazione per le Chiese Orientali.*

14 » » La Signora Maria di Lourdes Belchior-Pontes, *Membro del Comitato Internazionale del Pontificio Consiglio della Cultura.*

16 » » Mons. Edwin O'Brien e P. Gabriele Boudreault, C.SS.R., *Consultori Pastorali della « Peregrinatio ad Petri Sedem ».*

20 » » S. E. mons. Giovanni Cheli, Arcivescovo tit. di Santa Giusta, *Membro del Pontificio Consiglio « Cor Unum ».*

6 aprile » S. E. mons. Pio Laghi, Arcivescovo tit. di Mauriana, *Pro-Prefetto della Congregazione per VEducazione Cattolica (dei Seminari e degli Istituti di Studi).*

» » » Mons. Bruno Bertagna, Suo Prelato d'onore, *Segretario Generale del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » L'Avv. Vittorio Trocchi, *Consultore dello Stato......della Città del Vaticano.*

NECROLOGIO

31 marzo 1990. Mons. Knut Ansgar Nelson, Vescovo tit. di Dura.

An. et vol. LXXXII 6 Iunii 1990 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

LIBMANANAE

Nonnullis disiunctis territoriis ab archidioecesi Cacerensi, Praelatura territorialis erigitur quae Libmanana appellatur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Philippinis in Insulis ob missionariorum sollertiam eorumque apostolicum opus longinquitate temporis usque catholicum nomen increbruit, quod quidem etiamnunc ministrorum hodiernorum propter industriam florere feliciter conspicimus. Idcirco prosperitas haec ne quid cessationis patiatur, convenientes commodare institutiones properamus. Quapropter cum Venerabilis Frater Leonardus Legaspi Archiepiscopus Cacerensis, idem illius Nationis sentiente Episcoporum coetu, ab hac Apostolica Sede efflagitaverit ut nonnulla ab eadem Sede distracta territoria novam constituerent ecclesiasticam circumscriptionem, admotis precibus concedendum omnino existimavimus. Itaque, suffragante Venerabile Fratre Brunone Torpigliani Archiepiscopo titulo Mallianensi atque in Insulis Philippinis Apostolico Nuntio, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium necnon Episcoporum qui Congregationis pro Episcopis negotiis praesunt, po-

testate Nostra Apostolica, suppleto eorum quorum interest consensu quive sua interesse arbitrantur, statuimus haec et iubemus. Talia separamus ab archidioecesi Cacerensi territoria, quae inibi incolae vocitant Saints Philip and James, Saint Joseph, Saint James the Apostle, Saint Peter Baptist, the Most Holy Trinity, Saint John the Baptist, Sipocot; Saint John the Baptist, San Fernando; Saint Michael the Archangel, Saint Rose of Lima, Saint Bernardine of Siena, Saint Pascal Baylon, Saint Rita of Cascia, Saint Vincent Ferrer, Saint Pius X, Our Lady of Antipolo, Our Lady of the Pillar, San Lorenzo Ruiz de Manila, Saint Joseph in Milaor, ex iisque novam condimus Praelaturam *Lïbmananam* appellandam, quae quidem iisdem terminatur finibus. Novae communitatis episcopalem sedem in urbe ponimus quam Libmanan appellant, sacramque ibidem aedem S. Iacobo dicatam ad gradum statumque cathedralis ecclesiae evehimus, iuribus similiter ac privilegiis congruentibus concessis. Praelaturam deinde hanc archidioecesi Cacerensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis pro tempore subicimus. .Consultores ipsum Episcopum adiuturi quam primum eligantur. Re sacrorum Antistitem sustinebunt novae Praelaturae Curiae emolumenta, fidelium stipes, bonorum pars quae ex divisione ad canonis normam 122 C.I.C. facienda ad eandem posthac transibunt. Ad sacrorum alumnorum institutionem quod spectat, iuris communis serventur praescripta, minime Congregationis pro Institutione Catholica neglectis praeceptis. Selecti autem seminarii alumni itemque sacerdotes ad altiores doctrinas assequendas Romam scilicet ad Pontificium Collegium Philippinum mittantur. Quod autem ad novae Praelaturae pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, administratoris dioecesani, sede vacante, electionem fidelium iura horumque similia, quae sacri canones praescribunt serventur. Simul ac novae Praelaturae constitutio ad affectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes seminariique tirones et quilibet clerici illi Sedi in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Documenta autem et acta quae conditam Praelaturam respiciunt, ad eiusdem Curiam mittantur atque ibidem in tabulario serventur. Ad ea novissime explenda quae has per Litteras Nostras iussimus, Venerabilem Fratrem Brunonem Torpigliani, in Philippinis Insulis Apostolicum Nuntium legamus, factis nempe facultatibus necessariis et convenientibus etiam subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum. Re tandem

ad exitum perducta, documenta exarentur eorumdemque sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis sedulo mittantur. Contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

SS AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

f& BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 255.174.

II

BALASORENSIS

Praefectura Apostolica Balasorensis ad gradum dioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Opportunum sane ducimus Nos, universae Catholicae Ecclesiae Pastor et Pater, Ecclesiis locorum Nostram testificari aestimationem eas ad superiorem gradum evehendo, si id iustae causae persuadeant, quales esse possunt : Catholicorum incrementum, multa sacerdotum navitas, pastoralium inceptorum copia, spes celeris progressus, et similes. Hoc enim modo ad meliora stimulantur tum ecclesiastici viri tum laici, firmiorque fit Communitas quaeque ecclesialis. Qua re, cum Praefectura Apostolica Balasorensis in iis versetur condicionibus, quas nuper diximus, Nos, audita faventi sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, pro certo habentes hoc Nostrum consilium in animarum bonum esse cessurum, Praefecturam Apostolicam Balasorensem ad gradum extollimus Dioecesis. Eam autem Metropolitanae Ecclesiae Cuttackensi-Bhubanesvarensi subicimus, eiusque episcopalem sedem in urbe collocamus patrio sermone Balasore appellata, et templum ibidem situm sub titulo Domini Nostri Christi Regis ad dignitatem efferimus Ecclesiae Cathedralis. Statuimus insuper ut interea pro Canoni-

eorum Capitulo consultores dioecesani ad normam iuris eligantur et adhibeantur. Haec omnia perficienda delegamus Venerabili Fratri Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titulo Amiternino atque in India Apostolico Pro-Nuntio, vel cui ipse hoc officium dederit, modo sit hic in ecclesiastica dignitate constitutus, necessariis factis facultatibus. Re denique ad effectum deducta, iubemus documenta exarari horumque sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mitti. Ad ultimum, quae his Litteris decrevimus, vim habere et firma esse volumus nunc et in posteris, rebus contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

•B AUGUSTINUS card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Proton. Apost.***

Loco Plumbi
In Secret. Status tab., n. 255,072.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Ioanni Bernardo Rousseau Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «.Ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporati et configurati, omnes fideles officio tenentur ad Eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum Illud ad plenitudinem adducant ***(Eph*** 4, 13) » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae ***Ad gentes divinitus,*** 36).

Evangelizandi terrarum orbis officium liquido perceptum est a Venerabili Dei Servo Ioanne Bernardo Rousseau, qui quidem praecepta divini Magistri peralacriter est persecutus atque voluntati Dei parens, non paucos obiit labores ut Evangelii lumen diffunderet pariter ac caritatis ignem,, primum in Galliae finibus, deinde in Reunionis insula, ubi

copiose verbum Dei sparsit, quod nempe spectatis virtutum exemplis rigavit.

Venerabilis Dei Servus in oppido Annay-la-Côte, in Burgundia, natus est, die xxn mensis Martii anno **MDCCXCVII** Bernardo Rousseau lapicida et Regina Pelletier, qui eodem quidem die est baptizatus eidemque nomen Ioanni Bernardo inditum est. Infans ipse et adulescens in domu sua mansit, humili quidem, sed pietatem colente, xxv annos natus se dedere funditus ad iuvenes formandos statuit, cum Autessioduri inspiceret quo impetu hanc rem Fratres Scholarum Christianarum peragerent. Idcirco die ix mensis Novembris anno **MDCCCXXII** Parisiis in novitiatum ingressus est, qui insequenti Christi natali vestimentum religiosum induit sibique nomen Seubilionium imposuit. Anno **MDCCCXXV** vota temporanea nuncupavit, anno autem **MDCCCXXVII** vota perpetua. Alensonii, Pictavii, Chinonii, Galliae urbibus, peculiaris studii pietatis dedit specimina atque fidelitatis vocationi suae. Nam multum in Christo imitando progressus est atque in via ambulando quam iniit Sanctus Ioannes Baptista De la Salle, illius instituti auctor ad quod pertinebat. Studiose quidem opera sibi demandata perficiebat, haud difficulter ex levioribus ad graviora cum transiret, veluti ad puerorum erudiendorum officium. Haec omnia tamen magnum eius animum minime explebant, paratum nempe multo plus ad Dei gloriam impendere adque animarum salutem. Nominatim Frater Scubilionius in longinquas regiones Evangelium proferre studebat, ubi christiani nuntii fruendi copia adhuc data non erat atque iuvenes plus indigebant maternam Ecclesiae sollicitudinem experiri. Nemo igitur miratus est quod laetanter studioseque ipse se dixit paratum ad Reunionis insulam petendam.

Die ergo xx mensis Aprilis anno **MDCCCXXXHI**, bene sciens quid esset initurus suspectansque se numquam esse reversurum, nullo familiari salutato, ne intimis affectibus vinceretur, navem conscendit ad novam sedem capessendam. Die autem xiv insequentis mensis Iulii apostolatum missionalem incohavit, aerem quidem et frugiferum, quem continenter ad mortem usque praestitit.

Quamvis autem usque in insula illa maneret, in diversis locis ministerium suum explevit qui sunt Sanctus Benedictus, Sanctus Paulus, Sanctus Leo, Possessio, Sanctus Dionysius, tandem Sancta Maria. Ubique diligentissime Christi lineamenta in se effinxit atque in eius corpore aedificando, quod est Ecclesia. Quotquot ei proximi fuerunt, moderatores scilicet, confratres eiusque loci incolae facere non poterant

quin ipsius fidem demirarentur nitidam, caritatem vehementem, solidam spem animumque promptum, quo suam ad Dominum consecrationem colebat consiliaque evangelica. Perstudiose, eximiis docendi facultatibus praeditus ad erudiendos se dedit de christiano humanoque cultu pueros, iuvenes adultosque, quos facili eloquio efficacique catechesim docebat amplos consequens effectus magnumque Dei populi progressum. Si quidem impiger erat in fide dilatanda, haud setius de misericordia corporaliter spiritaliterque facienda erat sollicitus. Simplicitate enim, humilitate prudentiaque, proximus exstabat et maerentium frater eorum qui illis carebant bonis humanis religiosisque, videlicet libertate, iustitia aliisque rebus condicionis humanae propriis atque filiorum Dei status. Pauperes aegroti, mancipia, peccatores multimodis Fratris Scubilionii sollicitudinem liberalitatemque expetebantur, qui semper erat paratus omnibus se dedere, ut singulis viam salutis aperiret.

Cum sibi in amore erga Deum proximumque a Deo demandatum diffundendo minime constitueret fines, palam percepit oportere omnes se insumere vires ut socialem condicionem et moralem religiosamque commodiorem reddere servorum. Arduum sane fuit inceptum et quasi certatio, exhibenda in quibus illi fuit peculiaris audacia pariter ac prudentia, ut evincerei praesertim consitionum dominorum animum aversum qui ne opus imminueret verebantur. Eadem audacia prudentiaque fuerunt quoque adhibendae in indigenis apparastis et aptis instrumentis, atque in curatorum ipsorum gratia sibi concilianda. At divinum adiumentum, quod continenti precatione officioque accurate explendo mereri ipse studebat, variis in difficultatibus eundem sustentavit, quodque fovit et eius laborem compensavit. A se ipso fere abstractus atque mundi vanitatibus, nunquam gloriam est consectatus neque suum ipsius commodum. Securus idcirco mansit planeque voluntati Dei deditus, rebus sive secundis sive adversis. Pro comperto habebat parvum se esse instrumentum quod elegerat Dominus ut regnum suum aedificaret; Ei itaque nulla fuit alia laetitia, quam labor et ad hoc propositum patientia.

Cum ad aeternum praemium vocatus est, albescente caelo diei XIII mensis Aprilis anno MDCCCLXVII, populus ab ipso beneficiis affectus usque dictitabat : vetus Frater noster, sanctus, mortuus est.

Sanctitatis fama, quae fuit in vita, post mortem perrexit. Quapropter Episcopus S. Dionysii Reunionis canonizationis causam iniit processum informativum celebrando ordinarium (ab anno MCMII ad MCMV), quem processus rogatorialis Massiliensis secutus est. Die XXX mensis

Martii anno MCMLXXXI decretum proditum est super introductione causae, processo apostolico remisso. Suetas post disquisitiones peculiaris congressus theologorum consultorum et Congregationis Ordinariae Patrum Cardinalium et Episcoporum, Nobis adstantibus, die ix mensis Iunii anno MCMLXXXIV, decretum proditum est, quo agnoscebamus Dei Servum Fratrem Scubilionium heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisdemque adnexas, exercuisse.

Anno MCMLXXXI constitutus erat interea processus canonicus de sanatione, mira quae dicebatur, quaeque in Reunionis insula evenit anno MCMLXXV. Haec a medicorum coetu diligenter pensitata, germana evasit et portentosa. Idem theologi consultores censuerunt et Patres Cardinales Episcopique. Die autem VIII mensis Maii anno MCMLXXXVII per decretum talem sanationem esse habendam miram agnovimus eandemque Servi Dei deprecationi tribuendam Fratris Scubilionii. Diem igitur beatificationis statuimus, secundam scilicet mensis Maii anno MCMLXXXix, iter pastorale ad insulam Reunionis facturi.

Hodie igitur inter sacra hanc diximus formulam : « Par notre autorité apostolique accueillant les vœux de notre frère Gilbert Aubry, Evêque de Saint-Denis de La Réunion, de beaucoup d'autres frères dans Pépiscopat, de nombreux fidèles, et après avoir entendu l'avis de la Congrégation pour les Causes des Saints, nous déclarons que dorénavant, le vénérable Jean-Bernard Rousseau, Frère Scubilion des Ecoles Chrétiennes, peut être appelé Bienheureux et que, le 20 décembre, on pourra célébrer sa fête, dans les lieux fixés et selon les règles établies par le droit. Au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit ». Gaudemus igitur quod, iuvante ipso Deo et favente, insulae isti dilectae novum veluti sidus annumerare possumus, quod luce sua praeclara evangelicum iter fideli populo commonstrare valet idemque viam salutis, quae profecto pietate ardenti flagrantique caritate ad Christi effata obtinebitur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis quibusvis rebus minime obsistentibus.

Datum in Reunionis insula, sub anulo Piscatoris, die ii mensis Maii, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

£B AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco S Sigilli
In Secret. Status tab., n. 245.152.

II

Venerabili servo Dei Iosepho Baldo Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Presbyteri sive orationi et adorationi vacent, sive verbum praedicent, sive Eucharisticum sacrificium offerant et cetera Sacramenta administrent, sive ad alia pro hominibus exerceant ministeria, conferunt cum ad gloriam Dei augendam tum ad homines in vita divina provehendos » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis,* 2).

Haec omnia egregie quoque perfecit Venerabilis Servus Dei Iosephus Baldo, qui suam ardenter explens sacerdotalem vocationem et animarum imitans Supremum Pastorem, omnibus viribus ad Christi regni aedificationem laboravit et ad humanam christianamque progressionem eorum, qui ei erant concrediti.

Venerabilis Servus Dei ortus est die 19 mensis Februarii anno 1843 in vico Puegnago, intra fines provinciae Brixiensis et dioecesis Veronensis, familia impense christiana, e qua fidei firmitatem hausit et exempla virtutum. Cum filii significata est sacerdotalis vocatio, mater eum monuit : « Memento : aut bonus presbyter, aut nihil ». Matris admonitum is attente consideravit et ad illud totam conformavit vitam suam.

Ordinatus sacerdos die 15 mensis Augusti anno 1865, annum fuit sedulus cooperator Motorii Veronensis et undecim annos Ephebei episcopalis Veronensis aestimatus rectoris vicarius. Fortis et mitis educatur, ita nisus est eos formare, ut homines fierent solidi et christiani maturi, officii sui conscii, erga Ecclesiam et Summum Pontificem fideles.

Ab anno 1877 ad annum 1915 parochus fuit Ronchi ad Athesim. « Non pro me presbyter sum, sed pro aliis », initio scripserat ministerii sui. Et addidit: « Mei autem, ut parochi, munus aliis me tradendi strictius est et severius. Evangelium est mihi praedicandum, evangelice praedicandum, praedicandum evangelium exsequendo ». Pastor, pater et magister, omnia contulit ad populum suum provehendum, persuasum habens « Parochi esse ea omnia curare et cogitare, quae ad populi educationem pertineant, ut haec eius religioso auctui usui sint ». Et sane hi duodequadraginta anni innumerorum pastoralium et socialium coeptuum pieni fuerunt.

Eucharistia, quam is appellabat « scientiam legis Domini actuosam et benevolam », caput fuit eius vitae spiritalis eiusque actionis pastoralis, novae, alacris, spectanti» omnino ad afferendum Evangelii fermentum in omnes campos et in omnia opera. Vehementer Ecclesiam amavit, cuius doctrinam praedicavit et defendit, proprietates celebravit. Encyclicas pontificias habuit alterum Evangelium. Peculiariter intellegens et sollers fuit praecursor Litterarum Encyclicarum *Rerum novarum,* legis principis sedulae suae actionis socialis-pastoralis.

Illud Iesu ((misereor super turbam » toto pectore sequens, vitam suam sine exceptione Deo devovit et homini, totum se omnibus tradens ut omnes Christo lucrifaceret. Ceteris pauperibus egentiores anteposuit ac peculiari modo iuvenibus, operariis, mulieris formationi consuluit. Ut cum efficacia et sine intermissione quam aptissime urgentibus paroeciae necessitatibus subveniret, anno 1894 Congregationem Parvarum Filiarum a Sancto Ioseph instituit, quarum est senibus et aegris assidere et puerulos ac iuvenes educare.

Die 24 mensis Octobris anno 1915, longo et acerbo morbo purificatio, quiete obdormivit in Domino.

Fama sanctitatis qua vivus floruit, post mortem mansit; qua re Episcopus Veronensis Causam iniit canonizationis per Processus Ordinarii Informativi celebrationem, annis 1955-1957. Decreto edito introductionis Causae, die 11 mensis Iunii anno 1977, instructus est Processus Apostolicus, annis 1978-1979. Post consuetas Consultorum Theologorum atque Patrum Cardinalium et Episcoporum indagationes, coram Nobis die 26 mensis Ianuarii anno 1987 proditum est Decretum, quo Servus Dei Iosephus Baldo agnitus est heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Interea, in eadem Curia Veronensi actus est Processus Canonicus, annis 1979-1980, de sanatione mira habita et deprecationi Venerabilis Servi Dei tributa. Qua exitu cum prospero inspecta a Consilio Medicorum et deinde a Congressu Peculiari Consultorum Theologorum et a Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, die 18 mensis Februarii anno 1989 coram Nobis Decretum prodiit super miro. Decrevimus ergo ut beatificationis ritus Romae celebraretur die 31 mensis Octobris eodem anno.

Hodie igitur in Vaticana Sancti Petri Basilica hanc sumus inter sacra formulam elocuti : <(Nos, vota fratris Nostri Iosephi Amari, Episcopi Veronensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de

Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Iosephus Baldo Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die ipsius natali, id est vigesima quarta mensis Octobris, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae autem his Litteris statuimus, ea nunc et in posterum rata firmaque esse volumus, contrariis minime obstantibus. Quem denique edendum, eundem Christifidelibus, cum Religiosis, tum laicis, ad imitandum proponimus, quod nimirum ad eorum propriam vocationem spectat fideliter sequendam.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Octobris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

£B AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 251.101.

III

Paroeciale templum Ss. Nereo et Achilleo martyribus dicatum inter Basilicas Minores refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Praeclari illi Christi testes, Nereus videlicet et Achilleus antiquis celebrati temporibus, ne nostra quidem aetate e memoria exciderunt. Merito igitur spectatus Ildefonsus S.R.E. Cardinalis Schuster, Mediolanensis Ecclesiae dignissimus Pastor sistendum curavit templum quoddam martyribus his dicandum, tum IV saecularem S. Caroli Borromeo recolens memoriam, tum ipsius Pii XI magnificans nomen et decorem, eiusdem quondam illius Sedis sacrorum Antistitis. Idcirco libentes quidem et volentes exoptatis Venerabilis Fratris Nostri Caroli M. S.R.E. Cardinalis Martini, archidioecesis quam memoravimus Praesulis, obveniendum prorsus reputavimus, qui suam mentem ostendens suorumque fidelium, postulavit ut templum quod diximus in Basilicarum Minorum numero recenseretur. Itaque omnino comprobantes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum edixit, factis a Nobis quondam facultatibus, auctoritate Nostra usi Apostolica, sacram illam aedem, Ss. Nereo et

Achilleo dicatam, inter Basilicas Minores referimus; concedimus deinceps iura ac privilegia damus quae id genus templis adscribuntur, minime quidem neglecto decreto « De titulo Basilicae Minoris)), die vi mensis Iunii edito, anno MCMLXVIII. Contrariis rebus quibusvis haudquaquam obsistentibus.

Magna demum Nos tenet fiducia aedificium istud sacrum non modo dignitate posthac clarioreque praestaturum statu, fidelium verum virtutibus, qui horum martyrum infiammati exemplis suae fidei testimonium dent et confessionis christianae.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Ianuarii, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco *f&* Sigilli
In Secret. Status tab., n. 251.837.

HOMILIAE

I

In basilica Petriana habita ob decretos servo Dei Iosepho Baldo Beatorum caelitum honores.*

((Voi vi siete accostati al monte Sion e alla città del Dio vivente, alla Gerusalemme celeste e a miriadi di angeli, all'adunanza festosa e all'assemblea dei primogeniti iscritti nei cieli ... »-[1]

1. Le parole rivolte ai primi cristiani dall'Autore della *Lettera agli Ebrei,* carissimi fratelli e sorelle, si potrebbero dire una meravigliosa sintesi di ciò che fu l'aspirazione continua di don Giuseppe Baldo, che questa sera ho avuto la gioia di iscrivere nell'Albo dei Beati.

Egli infatti, durante tutta la sua vita di sacerdote e di parroco, non fece altro che accostarsi costantemente e fervidamente a Dio, mediante Gesù Cristo, il Redentore e il Maestro divino, all'« adunanza festosa » dei Santi e degli Angeli, alla « Gerusalemme celeste », che ci attende e verso la quale anche noi ci protendiamo con tutto il desiderio del cuore.

* Die 31 m. Octobris a. 1989.

[1] *Eb* 12, 22 s.

E perciò ci rallegriamo nel Signore in questi Primi Vespri della Solennità di Tutti i Santi per la beatificazione di questo sacerdote veronese, che con la parola e con la vita fu testimone instancabile di fede convinta e radiosa, di costante servizio alla Chiesa ed alle anime, di umana e cristiana carità.

2. U nuovo Beato, com'è noto, visse in tempi assai diversi dai nostri, durante un periodo segnato da violente tensioni ideologiche e politiche e nel contesto di profondi rivolgimenti culturali e sociali. Uomo intelligente e aperto, egli fu pienamente figlio della sua epoca, senza tuttavia diventarne mai succube. Ne apprezzò i fermenti di libertà e di democrazia, le aspirazioni verso l'unità nazionale, l'accresciuta sensibilità per i valori della giustizia sociale, ma reagì fermamente alle tendenze irreligiose e anticlericali, che non di rado vi si manifestarono, con iniziative, che furono per lui motivo di intensa pena. Egli, tuttavia, non si abbandonava a sterili recriminazioni sulla nequizia dei tempi : possedeva la luce e il coraggio della fede cristiana, che sa riconoscere la presenza della Provvidenza in ogni vicenda della storia, stimolando alla fiducia ed all'azione.

Con intrepida fortezza diceva :,« Bisogna essere attivi, con franchezza, con sacrificio, con confidenza ». « Colleghiamoci per fare il bene, per difendere la più santa delle cause : stiamo uniti e saremo forti ! ». Ed ancora, cori evangelica chiarezza, soggiungeva : « Noi dobbiamo tener alta la nostra bandiera in faccia a tutti : ma ricordiamoci che non abbiamo dinanzi nemici da schiacciare, ma fratelli da convertire ».

1 nostri tempi sono certamente diversi da quelli del nuovo Beato, e tuttavia, anche nella nostra epoca così complessa e difficile, rimane attuale il suo messaggio e luminoso il suo esempio.

3. « Cercate la pace con tutti e la santificazione ... vigilando che nessuno venga meno alla grazia di Dio »,[2] esorta la *Lettera agli Ebrei.* Come sacerdote e. parroco, don Giuseppe Baldo ebbe sempre questo assillo nell'animo : la pace, la santificazione, la vita di grazia dei suoi fedeli. Questa fu la caratteristica del suo impegno umile e nascosto.

Fin dal primo giorno della sua presenza in parrocchia nel presentarsi al popolo egli proponeva in questi termini il suo programma : ((Sono il vostro Parroco. Vostro: dunque tutto per voi. D'ora innanzi voi avete una nuova proprietà, un nuovo cuore, cui avete diritto di

[2] *Ibid.* *12,* 14 s.

fare appello ; una nuova anima, che per assoluto dovere dovrà soffrire per voi, per voi agonizzare. Giovani : voi cercate un amico? Eccovelo : ho sempre vissuto coi giovani e ho appreso a tenerne in pregio le doti di intelligenza e di cuore. Vecchi, poveri, ammalati : siete i primi che io porto nel cuore. Peccatori : credetemi e accettatemi tutto per voi. Per voi di giorno; per voi di notte. La giornata più bella sarà quella in cui potrò aver donato a Dio un'anima ... Alzo le mani e in faccia al Tabernacolo, in faccia agli Angeli, ai Santi tutelari di questa chiesa, in faccia a voi, testimoni della mia parola, io giuro : giuro e prometto che non cercherò niente più che la salvezza delle anime ».

E, giorno dopo giorno, fu assolutamente fedele a questi propositi di intensa attività apostolica, andando incontro a tutte le categorie di persone per istruirle e formarle, secondo quella sua unica e ardente aspirazione. Compilò un apprezzato catechismo, scrisse il « Decalogo dell'emigrante », fondò il Ginnasio parrocchiale per le vocazioni sacerdotali e religiose.

Era profondamente convinto che il primo dovere del parroco è quello di predicare la Verità per combattere l'errore, scuotere gli indifferenti, infervorare i buoni, consolare i sofferenti : « Non badate all'uomo che vi parla — così diceva — ma al ministero che esercita. In ogni parroco vi è Gesù Cristo pastore e guida ». E in altra occasione soggiungeva : « Non si rialza il morale senza la morale, né si ha la morale senza il catechismo. Il catechismo appreso e osservato **rifa** il mondo, bandisce il vizio, fa regnare la virtù ».

Mosso da questi convincimenti, don Giuseppe Baldo insegnava, sorvegliava, custodiva con fortezza e bontà. Il suo zelo apostolico e il suo impegno di perfezione si radicavano principalmente nell'alta stima che egli aveva del Sacerdozio : « Il cuore del sacerdote — scriveva — deve essere somigliante al Cuore sacerdotale di Gesù ; deve diffondere la luce di quanto è veramente bello, amabile, virtuoso. Deve diffondere il chiarore della dottrina di Gesù Cristo».

4. «Voi vi siete accostati... al Mediatore della Nuova Alleanza e al sangue dell'aspersione dalla voce più eloquente di quello di Abele ».[3] Sono ancora le parole della ***Lettera agli Ebrei.*** Nella quotidiana celebrazione della Messa don Giuseppe Baldo sapeva di « accostarsi al sangue dell'aspersione », che « il Mediatore della Nuova Alleanza »

[3] ***IUd.* 12, 22. 24.**

ha versato per noi ; lo sapeva e lo viveva con un trasporto ogni giorno rinnovato, che cercava di trasfondere anche nei fedeli.

A tal fine, egli curò con varie iniziative lo splendore del tempio e il decoro delle sacre celebrazioni, promovendo un'intensa pietà liturgica, specialmente mediante l'Associazione dell'Adorazione Eucaristica e la pratica delle Sante Quarantore. Era infatti convinto che solo per mezzo di un serio impegno nella preghiera è possibile praticare tutta la legge morale cristiana, a volte esigente fino all'eroismo, ed accettare con piena fiducia tutta la Volontà di Dio.

Rivolgendosi ai giovani, insidiati da tante forme di tentazione, così diceva : ((Il giovane, che ben disposto si accosta alla Sacra Mensa, diviene più fervido nell'amore di Dio, più forte nella fatica, più pronto nell'opera, più prudente quando è tentato e più sollecito nella pratica della virtù. L'Eucaristia è luce che rischiara, è cibo che ristora e rinforza ». Sono parole valide tuttora per i nostri giovani, chiamati a testimoniare Cristo in un mondo che spesso lo respinge e a volte neppur lo conosce.

5. ((Poiché noi riceviamo in eredità un regno incrollabile, conserviamo questa grazia ».[4] Le parole della *Lettera agli Ebrei* rispecchiano appieno l'attesa escatologica del nuovo Beato, che orientò tutta la propria vita verso quel « regno incrollabile », che la Solennità di tutti i Santi ci invita oggi a contemplare con gli occhi del cuore. Don Giuseppe Baldo volle che ci fosse chi « conservasse la grazia » di questa sua fermissima speranza in mezzo al popolo che gli era stato affidato, mantenendo vivo nell'animo dei fedeli il patrimonio di valori spirituali, a cui aveva attinto ogni giorno nello svolgimento del suo apostolato.

Fondò così la Congregazione delle « Piccole Figlie di San Giuseppe », nella quale cercò di trasfondere lo zelo che ardeva nel suo cuore sacerdotale, totalmente consacrato al bene delle anime e dei corpi sofferenti. Visitando le famiglie della parrocchia, don Giuseppe Baldo si era reso conto di tante impellenti necessità morali e materiali e di quanto fossero trascurati i vecchi e i malati, spesso abbandonati a se stessi nel momento in cui era più necessario alimentare in loro la speranza fiduciosa del « regno incrollabile ». Bisognava trovare un rimedio adeguato a tale urgente necessità. Ed egli vi provvide dapprima con le « Ancelle di Santa Maria del Soccorso », poi con la fondazione di un Ospedale-Ricovero, ed infine con l'Istituzione di una Famiglia religiosa, dedita

* *Ibid.* 12, 28.

all'educazione dei bambini e dei giovani ed alla cura dei malati e degli anziani, che riuscì a realizzare e sostenere anche con il conforto del cardinale Giuseppe Sarto, allora Patriarca di Venezia, e che venne poi approvata dalla Santa Sede il 10 febbraio 1913, vivente ancora il Fondatore. Fu l'ultima sua grande consolazione e da allora le « Piccole Figlie di San Giuseppe », in Italia e all'Estero, si dedicano al servizio dei più bisognosi, ricordando le direttive del Fondatore che le voleva alacri nel lavoro e generose nel sacrificio, secondo gli esempi di San Giuseppe, del quale diceva : « Fu chiamato alla vita attiva, ma questa vita attiva alimentava e fortificava ogni giorno con la vita contemplativa ». È quanto io stesso ho rilevato nell'Esortazione Apostolica *Redemptoris custos,* sottolineando come « l'apparente tensione fra la vita attiva e quella contemplativa trova in lui (Giuseppe) un ideale superamento, possibile a chi possiede la perfezione della carità ».[5]

6. Cari fratelli e sorelle ! Il nuovo Beato ripete anche a noi : « Poiché noi riceviamo in eredità un regno incrollabile, conserviamo questa grazia e per suo mezzo rendiamo a Dio un culto gradito a lui, con riverenza e timore, perché il nostro Dio è un fuoco divoratore ».[6]

Possediamo infatti il Regno della Verità e della Grazia ! Invochiamo dunque con fiducia il beato Giuseppe Baldo, che risplende nella gloria degli Eletti, per poterlo imitare nei suoi esempi di fede, di carità, di santità. Mettiamoci — come lui diceva — sotto il manto di Maria e di Giuseppe, aftinché il Signore con il suo amore bruci i nostri difetti e ci infiammi di fervore per una vita cristiana sempre più convinta, coerente, credibile. Amen !

II

In Vaticana basilica habita ob decretos beato Mutiano Mariae Viaux Sanctorum caelitum honores.*

1. « Convertitevi perché il Regno dei cieli è vicino ! ».[1]

In questo tempo di Avvento la Chiesa ci rivolge di nuovo l'invito di Giovanni Battista. Essa lo rivolge ad ognuno di noi ! Giovanni, il Precursore, si è appartato nel deserto, nell'austerità. Egli non ha

[5] *Redemptoris custos,* 27.

[6] *Eb* 12, 28-29.

* Die 10 m. Decembris a. 1989.

[1] *Mt* 3, 2.

altro compito che quello di preparare la via del Signore. La sua voce è ascoltata e giungono le folle. All'invito di Giovanni esse si sottopongono al battesimo riconoscendo i propri peccati. Il loro cammino è quello della conversione.

Con Giovanni, queste folle preparano la via del Signore. Infatti il Regno dei cieli è ormai vicino ! Giovanni annunzia : ((Colui che viene dopo di me è più potente di me)).[2] L'ultimo e il più grande dei profeti annunzia il Messia, il virgulto germogliato dalle radici di Jesse, che il profeta Isaia attendeva.

2. Quando oggi ascoltiamo i profeti, (piando in questo giorno ascoltiamo Giovanni Battista, che ci conduce sulla via del Messia, noi non percepiamo soltanto l'eco di una parola antica. ÍC la Chiesa di Cristo che ad ogni generazione, a questa generazione della fine del secondo millennio, ritorna a dire che il Regno dei cieli è ormai vicino nel Messia annunziato dai profeti.

Viene in mezzo a noi Colui sul quale si posa ((lo Spirito del Signore, spirito di sapienza e di intelligenza, spirito di consiglio e di fortezza, spirito di conoscenza e di timore del Signore ... ».[3]

Se ci è richiesta la conversione, è per accogliere Colui che viene, per ricevere i doni della giustizia e della pace, per diventare artefici di pace, poiché, come dice il profeta Isaia : « Egli giudicherà con giustizia i poveri e prenderà decisioni eque per gli oppressi del paese ».[4] Per preparare la sua venuta, per divenire suoi discepoli, è necessario lasciarsi trasformare dalla sua giustizia e guidare dalla sua sapienza. Noi comprendiamo che « per mezzo dello spirito di sapienza e di intelligenza »,[5] il Messia scopre il nostro peccato e ci invita a conformarci alla legge di amore e di verità del suo Regno.

3. Le prophète dit encore du Messie que «justice est la ceinture de ses hanches ».[6] Il inaugure un règne de paix : « Le loup habitera avec l'agneau le veau et le lionceau seront nourris ensemble, un petit garçon les conduira. [...] Il ne se fera plus rien de mauvais ni de corrompu sur ma montagne sainte ».[7]

[2] Cf. *Mt* 3, n.
[3] *is* n, 2.
[4] *Ibid.,* 4.
[5] *Ibid.,* 2.
[6] *Ibid.,* 5.
[7] *Ibid.,* 6. 9.

Est-ce une parole illusoire, alors que des conflits sans fin en tant de points du monde semblent la rendre vaine? Il en serait ainsi si cette parole ne venait pas de Dieu, si elle ne s'adressait pas aux consciences, si elle n'était pas elle-même source de justice, la justice selon Dieu, la justice de Dieu ! Le message d'Isaïe, puis l'ardent appel du Précurseur et bientôt la venue même de Jésus portent des fruits de paix, dans les cœurs et dans les actes de ceux qui se laissent convertir.

Jean-Baptiste proclame l'urgence de la conversion : ((La cognée se trouve à la racine des arbres ».[8] Entendons bien cet avertissement : chaque personne est appelée à produire de bons fruits de justice et de paix; chaque moment, chaque acte a son importance en fonction du Royaume qui vient et dont il ne faut pas contredire l'esprit. Tout homme, aussi modeste qu'il soit, est irremplaçable dans la famille humaine; le plus humble geste inspiré par l'amour rend gloire à Dieu.

4. L'Eglise en ce jour exalte un religieux très simple. Sa vie durant, il a accompli la volonté du Seigneur sans jamais tarder. Fidèle aux exigences et aux renoncements de la règle, saint Mutien-Marie a toute la grandeur des humbles.

Au long de soixante années de vie religieuse menée dans l'ombre, il pratiqua les observances des Frères des Ecoles Chrétiennes avec une entière générosité. Pour lui, rien de plus important que l'obéissance, rien de plus heureux que la pauvreté, rien de plus urgent que les obligations de la vie commune, l'accueil de ses élèves ou de quiconque venait à lui. Fidèle aux tâches obscures qui lui étaient confiées, c'est au jour le jour que Frère Mutien donnait sa vie au Seigneur, dans un oubli de soi qui lui était devenu naturel. A ce titre déjà, il est une figure exemplaire : il parvient à la sainteté au quotidien, en suivant avec docilité la voie des fils de saint Jean-Baptiste de La Salle.

Simple adjoint aux maîtres de musique et de dessin, ou occupé aux nombreux services requis dans un grand établissement scolaire, Frère Mutien demeurait constamment illuminé par la présence de Dieu. Son sens de la prière frappait confrères et élèves, au point qu'on l'avait désigné comme « le Frère qui priait toujours ».

Il est un admirable modèle de la ((vie de prière ». Il prolongeait l'adoration et la méditation auprès du Saint-Sacrement dès qu'il le pouvait ; il rayonnait de joie en communiant chaque jour au Corps du Christ ; il ne commençait pas un travail sans invoquer le Seigneur

[8] *Mt* 3, io.

et vénérer la Croix. A tout moment, son chapelet à la main, il invoquait la très Sainte Vierge dans une dévotion bien comprise comme le montrent ces paroles : « Pour arriver à une intime union avec notre Seigneur, prenez le chemin de Marie où il n'y a ni tache ni ombre qui pourraient arrêter votre marche vers Jésus)).[9]

Par l'intensité de sa vie spirituelle, saint Mutien-Marie « préparait les chemins du Seigneur, aplanissait sa route ».[10] Ceux qui le voyaient prier étaient frappés de ne trouver en lui « rien que de simplement sincère ». Il y a en l'homme de Dieu comme une transparence qui le dispose à rendre un témoignage authentique du Seigneur présent en lui. La Parole de Dieu l'habitait, les auteurs spirituels l'avaient nourri ; il en retirait une sagesse qu'il communiquait naturellement. On pense aux paroles d'Isaïe entendues en ce jour : « La connaissance du Seigneur remplira le pays comme les eaux recouvrent le fond de la mer

5. De heilige Mutien had in Malonne een discrete invloed die helemaal voortkwam uit de levende bron van zijn vroomheid, uit zijn gebed. De kinderen van de catechismus, de leerlingen die hem voortdurend omringden, bemerkten dat de kracht van deze mens uit zijn intimiteit met God voortkwam, en dat onvermoeibare liefde kostbaarder was dan vele andere gaven.

Zijn boodschap wordt niet uitgedrukt in termen van wijsheid in de ogen van de wereld. Hij toont veeleer aan zijn Broeders, aan de opvoeders, aan de jeugd de ware vruchtbaarheid van een nederige levensgave. Hij kon zeggen zoals de Psalm van deze liturgie dat God « de arme die steun vraagt zal bevrijden, de zwakke zonder hulp)).[12] Hij beschouwde zichzelf als zwak en arm, en dat maakte hem hulpvaardig voor al wie hem zijn leed toevertrouwde. Na zijn dood herkende men hem spontaan als de voorspreker die de Kerk voortaan eert, als een vriend van God die een broeder van de mensen blijft.

Met het Instituut van de Broeders van de Christelijke Scholen, met zijn Belgische landgenoten, zijn wij verwonderd over de uitstraling van deze nederige religieus. Vandaag zeggen wij dank voor de heiligheid van Broeder Mutien-Marie. Wij vragen hem de opvoeders van

[9] *Lettre du 8 janvier 1914.*

[10] Cf. *Mt* 3, 3.

[11] *Is 11,* 9.

[12] *Ps 72/71,* 13.

deze tijd te inspireren opdat zij de jeugd zouden kunnen begeleiden op de wegen van het geloof, haar de schoonheid van de evangelische boodschap openbaren, haar uitnodigen om zich voortdurend opnieuw te bekeren zoals Christus de Verlosser het vraagt, om actief deel te nemen aan het leven van de Kerk.

6. **De lange weg van de heiligheid die Broeder Mutien doorlopen heeft lijkt een getrouw antwoord op de woorden van Sint Paulus die de Kerk ons te horen geeft op deze tweede zondag van de Advent : ((Alles wat eertijds is opgeschreven, werd opgetekend tot onze lering, opdat wij door de volharding en de vertroosting die wij putten uit de Schrift in hoop zouden leven ».[13] De heilige Broeder gaf blijk van volharding en moed. Moge hij ons op deze weg helpen steun te zoeken in de kracht van het Woord van God om het hoofd te bieden aan de uitdagingen van ons eigen leven, aan die van elk van onze families of van onze communiteiten !**

Sint Paulus voegde er aan toe : « God, die de volharding en de vertroosting schenkt, geve u ook eensgezindheid in de geest van Christus Jezus ».[14] Naar het voorbeeld van de heilige Broeder van Malonne, die helemaal van de geest van Christus doordrongen was, zullen wij beter de Verlosser die onder ons komt ontvangen, indien wij het Woord in eenheid aannemen en indien wij in gemeenschap handelen in dezelfde Geest en dezelfde gaven delen. « Aanvaardt daarom elkander als leden van één gemeenschap, zoals ook Christus ons in zijn gemeenschap heeft opgenomen, ter ere Gods ».[15] De tijd van de Advent beleven is de dagen voorbereiden waarop « de rechtvaardigheid zal ontbloeien », de dagen waarop wij ((vrede alom » zullen kennen,[16] de dagen waarop ((alle volkeren der aarde zullen gezegend zijn ».[17]

7. **Fratelli e Sorelle, l'esempio di un Santo che è vissuto vicino a noi può rendere forte in noi il coraggio della speranza. Fratel Muti en - Marie ci precede nel cammino della fedeltà agli inviti di Dio e all'instancabile servizio dei fratelli. Noi chiediamo la sua intercessione, affinché ci sia dato di spianare a nostra volta la via del Signore e la via dell'uomo, che è la via della Chiesa. Noi invochiamo la sua inter-**

[13] *Rm* 15, 4.
[14] *Ibid.,* 5.
[15] *Ibid.,* 7-9.
Ps 72/71, 7.
[17] *Ibid.,* 17.

cessione affinché ci sia data la capacità di produrre i frutti che esprimano una reale conversione, di annunziare senza sosta il Regno dei cieli ormai vicino in Colui che battezza nello Spirito Santo.[18]

E così noi potremo « con un solo animo e una voce sola rendere gloria a Dio, Padre del Signore nostro Gesù Cristo)).[19]

EPISTULA

Em.mo P. D. archiepiscopo Strigoniensi missa, XV volvente anno ab obitu Iosephi card. Mindszenty.

AL VENERATO FRATELLO LÁSZLÓ CARDINALE PASKAI, ARCIVESCOVO DI ESZTERGOM.

Con profonda soddisfazione ho appreso la notizia della prossima commemorazione del compianto Card. József Mindszenty, che tanto ha onorato la storica sede primaziale di Esztergom.

La partecipazione a tale cerimonia del Cardinale Agostino Casaroli, Segretario di Stato, è già una prova del mio desiderio di essere spiritualmente presente fra i cattolici di codesta arcidiocesi, che si sono riuniti per ricordare il loro indimenticabile Pastore. Desidero però farLe pervenire anche una parola di personale adesione a tale commemorazione.

La generosa testimonianza di fedeltà alla Chiesa, data dal Cardinale Mindszenty, fu intessuta di profonda sofferenza. L'esercizio del suo ministero pastorale, prima come Vescovo di Veszprém e poi come Arcivescovo di Esztergom, si è svolto in tempi tragici nella storia della vostra Patria. Giustamente, il mio venerato Predecessore Paolo VI, nel rendere omaggio al Card. Mindszenty, il 7 maggio 1975, il giorno successivo alla sua morte, osservava che la Provvidenza l'aveva posto a vivere fra i protagonisti ((in uno dei periodi più difficili e complessi dell'esistenza millenaria della Chiesa nel suo nobile Paese ... ». Ancor oggi è presente nella nostra memoria il ricordo doloroso del processo umiliante, a cui il Card. Mindszenty fu sottoposto.

L'intrepido Cardinale Arcivescovo di Esztergom ha dato alla famiglia cattolica un esempio di virtù eccelse. Con la dignità di un grande Pastore d'anime, egli seppe portare la corona di spine, che gli era

[18] Cf. *Mt* 3, 2-11.
[19] Cf. *Rm* 15, 6.

stata posta sul capo, lasciando il ricordo di una nobile figura di uomo di Chiesa, che per lunghissimi anni ha saputo pregare e soffrire per il suo popolo. Con questo spirito, al momento di lasciare la sua amata terra magiara egli scriveva al Papa Paolo VI : « Depongo umilmente questo sacrificio ai piedi di Vostra Santità, persuaso come sono che anche il sacrifiico più grave, chiesto ad una persona, diventa piccolo, allorché si tratta del servizio di Dio e del bene della Chiesa ... ».

A questa grande figura di sacerdote, di Vescovo, di Primate della Chiesa in Ungheria, desidero oggi anch'io rendere omaggio a nome di tutta la Chiesa, alla quale egli seppe dare prova così luminosa di fedeltà.

Con questi sentimenti imparto a Lei, venerato Fratello, ai Suoi Vescovi Ausiliari ed ai suoi Sacerdoti, come ai Religiosi e fedeli tutti dell'amata arcidiocesi di Esztergom, la mia paterna Benedizione, che di cuore estendo a quanti partecipano alla solenne cerimonia commemorativa.

Dal Vaticano, 6 Febbraio 1990.

IOANNES PAULUS PP. II

ALLOCUTIONES

I

Ad capitulares Ordinis Carmelitarum coram admissos.*

Vari Fratelli,

Il mio animo si apre al più cordiale saluto nell'accogliere in voi i qualificati rappresentanti dell'Ordine Carmelitano dell'Antica Osservanza, riuniti in questi giorni a Sassone per i lavori del Capitolo generale. Ringrazio il Priore Generale John Malley per le parole di omaggio, con cui ha voluto aprire questo incontro. A lui e a tutti voi esprimo i miei fervidi auguri per un rinnovato slancio nella ripresa delle attività proprie del vostro benemerito Ordine.

1. Il Capitolo generale è un grande momento di grazia per ogni famiglia religiosa. ÏS un momento di rinnovato impegno e di fedeltà al

* Die 29 m. Septembris a. 1989.

proprio carisma, di memoria comunitaria della presenza dello Spirito in mezzo alla Famiglia. L'Ordine carmelitano, a cui appartenete, affonda le sue radici nella terra di Gesù e di Maria ; sul Monte Carmelo, ricco di simbolismo spirituale e di memorie legate al Profeta Elia. Il cammino pellegrinante verso i luoghi della Redenzione ha marcato l'esperienza di Dio e la spiritualità che formano l'eredità più preziosa che il Carmelo tiene viva nel Popolo di Dio.

Facta postmodum de praemissis omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens et rata habens, mandavit ut Decretum de eodem miraculo rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierno die Cardinali Praefecto atque Causae ponente meque Antistite iam a secretis, ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : « *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Venerabilis Ludovicae Teresiae de Montaignac de Chauvance, videlicet de rapidissima, perfecta stabilique sanatione domini Leonis Cassagne a « broncopolmonite bilaterale, sepsi generalizzata, stato di shoclc, anemia e coma profondo ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

ljB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 13 Ianuarii 1990. — Episcopum Coadiutorem Fertiliensem R. P. Iosephum Albertum Moura, Congregationis a Ss. Stigmatibus D.N.I.C, sodalem.

die 17 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Madensi R. D. Raphaelem Llano Cifuentes, e clero Praelaturae personalis « Opus Dei », quem deputavit Auxiliarem Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

— Cathedrali Ecclesiae Leopoldinensi R. P. Richardum Chaves Pinto Filho, Superiorem regionalem Ordinis Praemonstratensis in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Valentinae in Brasilia R. P. Eliam (Iacobum) Manning, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sodalem.

die 15 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Spelaeopolitanae a Bono Iesu R. P. Franciscum Batistela, Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodalem.

die 31 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Colatinensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Geraldum Lilium Rocha, hactenus Episcopum titularem Theleptensem et Auxiliarem Victoriensem Spiritus Sancti.

— Cathedrali Ecclesiae Spokanensi, Exc.mum P. D. Villelmum S. Skylstad, hactenus Episcopum Yakimensem.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Iulii Szakos, Episcopi Albae Regalensis, Exc.mum P. D. Ferdinandum Takács, O.C.D., Episcopum titularem Carcabiensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 7 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Alexanensi R. D. Natalinum Pescarolo, parochum paroeciae vulgo Robbio Lomellina in archidioecesi Vercellensi, quem deputavit Auxiliarem Episcopi Cuneensis atque Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Fossanensis.

— Cathedrali Ecclesiae Victoriensi in Texia R. D. Davidem E. Fellhauer, e clero dioecesis Dallasensis, Vicarium iudicialem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hodelmensi R. D. Thomam L. Dupre, Cancellarium dioecesis Campifontis et curionem paroeciae Sancti Ludovici in oppido vulgo West Springfield, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Francisci Maguire, Episcopi Campifontis.

die 9 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Uxellensi-Terralbensi R. D. Antonium Orrù, e clero archidioecesis Calaritanae presbyterum.

die 19 Aprilis. — Ecclesiae praelatitiae De Parania Superiore Exc.mum P. D. Eustachium Pastorem Cuquejo Verga, hactenus Episcopum titularem Buduanensem et Auxiliarem Ss.mae Assumptionis.

— Cathedrali Ecclesiae Villaricensi Spiritus Sancti Exc.mum P. D. Sebelium Peralta Alvarez, hactenus Episcopum titularem Iuncensem in Mauretania et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 21 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Piscariensi-Pinnensi Exc.mum P. D. Franciscum Cuccarese, hactenus Archiepiscopum-Episcopum Casertanum.

— Cathedrali Ecclesiae Savonensi-Naulensi R. D. Robertum Amadei, rectorem Seminarii dioecesis Bergomensis.

— Episcopum Coadiutorem dioecesis Aliphanae-Caiacensis R. D. Nicolaum Comparone, Vicarium generalem Aversanum.

die 25 Aprilis. — Coadiutorem dioecesis Ruthensis R. D. Bellulum Ghirard, Vicarium generalem dioecesis Agennensis.

die 28 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Detroitensi, Exc.mum P. D. Adamum Iosephum Maida, hactenus Episcopum Sinus Viridis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mactaritanae, R. D. Robertum W. Muench, e clero archidioecesis Novae Aureliae et Delegatum episcopalem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Francisci Bible Schulte, Archiepiscopi Novae Aureliae.

die 30 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Quibduanae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Georgium Ivanum Castaño Rubio, hactenus Episcopum titularem Edistianensem et Vicarium Apostolicum Quibduanum.

— Cathedrali Ecclesiae Espinalensi Exc.mum P. D. Abraham Escudero Montoya, hactenus Episcopum titularem Risinitanum et Auxiliarem archidioecesis Medellensis.

— Cathedrali Ecclesiae Istminanae-Taduanae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Gustavum Posada Pelâez, hactenus Episcopum titularem Zalichenum et Vicarium Apostolicum Istminaënsem.

die 11 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Tarentinae Exc.mum P. D. Benignum Aloisium Papa, O.F.M.Cap., hactenus Episcopum Oppidensem-Palmarum.

die 26 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Ausanensi, R. D. Iosephum Zawitkowski, parochum et vicarium foraneum in urbe Lowicz, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Varsaviensis.

die 2 Iunii. — Archiepiscopali Ecclesiae Sipontinae-Vestanae Exc.mum P. D. Vincentium D'Addario, hactenus Episcopum Ceriniolensem-Asculanum Apuliae.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 22 Ianuarii 1990. — Cathedrali Ecclesiae Kaminaënsi R. D. Anatolium Kalaba, hactenus Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

die 8 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Nagasakiensi Exc.mum P. D. Franciscum Xaverium Shimamoto, hactenus Episcopum Uravaènsem.

— Cathedrali Ecclesiae Monadoënsi R. P. Iosephum Suwata, e Missionariis Sacratissimi Cordis Iesu, hactenus Superiorem provincialem in Indonesia et Consultorem archidioecesanum Giakartanum.

die 26 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Ndalatondensi, noviter erectae in Angolia, Exc.mum P. D. Vidonem Scarpa, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, hactenus Episcopum titularem Cursolensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aquensi in Dacia E. P. Seraphinum Shyngo-ya-Hombo, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, quem constituit Episcopum Auxiliarem Luandensem.

die 2 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Eldoretensi E. D. Cornelius Arap Korir, e clero dioecesis Nakurensis.

— Cathedrali Ecclesiae Abanae, noviter erectae in Nigeria, R. P. Vincentium Ezeonyia, Congregationis Sancti Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Umuahianae R. D. Lucium Iwejuru Ugorji, e clero dioecesis Enuguensis, hactenus Sacrae Theologiae docentem apud Seminarium maius v.d. « Bigard Memorial)) in eadem dioecesi Enuguensi exstantem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arensi in Numidia R. D. Thomam Dabre, e clero archidioecesis Bombayensis, hactenus Sacrae Theologiae docentem apud Pontificium Athenaeum in oppido v.d. Pune.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 19 Aprilis 1990. — Exc.mum P. D. Cyrillum Kos, Episcopum Diacovensem, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Vrhbosnensis, Seraiensis archidioecesis.

die 29 Aprilis. — R. P. Georgium Bertin, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Mogadiscensis dioecesis.

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

INSTRUCTIO DE PATRUM ECCLESIAE STUDIO IN SACERDOTALI INSTITUTIONE

INTRODUCTIO

Inspectis dierum nostrorum necessitatibus in regione disciplinarum 1
theologiae apud educationis sacerdotalis instituta, Congregatio haec quae suo iam tempore de Ecclesiae Patrum pervestigatione in universum egit[1] cupit iam nunc quibusdam argumentum idem tangentibus quaestionibus Instructionem istam reservare.

Alicui forsitan mira hortatio videatur ut in Seminariis ac Facultatibus theologicis vehementius patristica excolatur disciplina. Cur enim — facile quis quaesiverit — magistri ipsi studiosique incitantur ad praeteritum tempus ut sese convertant, cum hodie contra in Ecclesia et hominum societate tot emergant tantaeque difficultates quae sunt quam primum dissolvendae? Huic autem interrogationi inveniri potest persuadens omnino responsio si theologiae historia respicitur, diligenter si nonnullae ponderantur humani cultus hodierni nos circumsistentis proprietates, si magnis postulatis novisque normis moderatricibus disciplinae spiritalis ac pastoralis operae intenditur animus.

Namque patefacit consideratio ipsa plurium aetatum progredientis 2
theologiae numquam declinavisse theologicam deliberationem Patres Ecclesiae ope praesenti confirmantes ad metamque ordinantes; quin e contrario eidem deliberationi semper vivam adfuisse aliquam conscientiam — quiddam inter Patres reperiri singulare nec iterabile semperque valens quae per fugacia tempora vivere pergat et resistere. Hanc porro in sententiam elocutus Summus Pontifex Ioannes Paulus II est cum dixit: « Ex vita autem sic a suis Patribus recepta vivit etiam hodie Ecclesia; atque in ipsa compage, quam primi condiderunt illi structores, adhuc hodie aedificatur Ecclesia inter secundas res adversasque itineris sui et cotidiani laboris ».[2]

[1] In Documento: «La formazione teologica dei futuri sacerdoti», 22 febr. 1976, 85-88.

[2] IOANNES PAULUS II, Litt. Apost. *Patres Ecclesiae,* 2 ian. 1980: *AAS* 72 (1980), p. 5.

3 Efficit praeterea contemplatio adiunctorum, in quibus hodie versatur cultus ipse humanus, ut complures deprehendantur similitudines praesens hoc tempus cum patrum aetate consociantes quamtumvis manifesta subsint discrimina. Perinde atque illo tempore occidit mundus alius alio enascente ; perinde ac tunc persequitur Ecclesia hodie magnae quidem prudentiae distinctionem bonorum spiritalium et culturalium, alia dum assumit sibi alia dum purgat, unde veram suam servare possit indolem simulque divitias exhibere intra implicatam varietatem humani hodie cultus quas declaratio humana fidei debet ac valet huic nostro subministrare orbi.[3] Quae omnia provocationem quandam toti offerunt Ecclesiae communitati viventi potissimumque ipsi Theologiae quae suis ut convenienter muneribus satisfaciat non potest quin res e Patrum operibus hauriat, haud secus ac Sacris de Litteris materiam dérivât.

4 Ponderata denique hodierna rerum ecclesialium condicio demonstrat ipsas necessitates universalis operae pastoralis Ecclesiae et nominatim novos indolis spiritalis motus sibi iam solidum deposcere nutrimentum ac fontes quaerere incitationum omnium opinionumque certos. Ceterum tot notatis sterilibus conatibus sua quis sponte iucundum illam cogitat verae sapientiae veritatisque christianae auram e scriptis patristicis proficiscentem. Flatus vero idem hic est qui nuperius etiam plurimum contulit multis altius scrutandis quaestionibus ad liturgiam et oecumenismum ad missionale et pastorale opus pertinentibus quae a Concilio Vaticano Secundo perceptae iam pro huius aetatis Ecclesia fontes habentur cohortationis et lucis.

Suum igitur etiamnum vigorem ostentant Patres et nunc quoque complura prae se ferunt iis quidem tradenda qui discunt theologiam aut docent. Qua profecto de causa appellat Congregatio pro Educatione Catholica omnes quibus institutio sacerdotum est curae ut utiles quasdam ipsis sententias proponat : de statu praesenti patristicorum studiorum (I), de gravioribus eorum rationibus (II), de ordinata illorum via (III), de concreta ipsorum dispositione (IV).

I - HODIERNI RERUM STATUS DESCRIPTIO

Quilibet sermo de superius declaratis argumentis praeponit tamquam ipsum loquendi initium cognitionem illius condicionis in qua hodie studia patrum iacent. Quapropter merito rogatur quis denique locus illis sit in futurorum sacerdotum institutione destinandus et quae pariter Ecclesiae consilia sint eundem ad finem.

[3] PAULUS VI, Litt. enc. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1984: *AAS* 56 (1964), pp. 627-628.

1. PATRES ECCLESIAE IN THEOLOGICIS HODIE DISCIPLINIS

5 Arte quidem coniungitur hodiernus disciplinae patristicae status apud educationis presbyteralis sedes cum communibus reliquis theologicae institutionis condicionibus : cum ipsius ordinatione et compage et principali intentione, cum docentium ipsorum qualitate ac propria educatione, cum altitudine ingenii et animi discipulorum, cum statu bibliothecarum atque in universum cum facili instrumentorum didascalicorum usu. Quae quidem condiciones haud ubique eaedem deprehenduntur; nam aliae non tantum inter alias nationes inveniuntur sed inter cuiusque etiam nationis dioeceses. Nihilominus hac in re dispici possunt per Ecclesiam universam tum rationes positivae tum certa quaedam adiuncta et proclivitates quae ecclesiasticis studiis veras difficultates pariunt.

6 *a)* Ipsa consociatio principiorum historicorum cum opere scientifieo theologorum, quae ineunte hoc nostro saeculo evenit, mentes omnium convertit inter alia ad Patres quoque Ecclesiae. Id quod unice fructuosum visum est atque utile, non idcirco solum quod meliorem praebuit originum christianarum intellectum ortusque simul et progressionis historicae variarum quaestionum ac doctrinarum, verum etiam quod Patrum investigatio quosdam repperit cultores revera eruditos sapientesque a quibus nempe suam in lucem proferri potuit vivens illud vinculum quod inter traditionem exsistit et graviores huius nostri temporis quaestiones. Propter talem proin accessum ad fontes non remorabantur longae quidem et operosae inquisitiones studii historici in sola temporis praeteriti perscrutatione sed vim magnam adhibuerunt ad spiritales pastoralesque Ecclesiae hodiernae directiones, illuminato scilicet ad tempus venturum itinere. Neque fieri poterat quin iisdem de studiis maximum perciperet fructum et emolumentum ipsa theologia.

7 ö) Curiosum hoc Patrum studium nostris etiam diebus, licet aliis quibusdam in rerum adiunctis, viget. Quamquam universim humanitatis cultus et artium ingenuarum insigniter est demissus, passim tamen in patristica provincia reviviscens percipitur aliqua cura quae non praestantes tantum cleri religiosi ac dioecesani studiosos complectitur sed ipsius laicatus quoque homines complures. Recentioribus hisce temporibus geminantur collectus scriptorum ad Patres spectantium atque doctae item monographiae, quae forsitan clarissimum prae se ferunt indicem verae famis et sitis Patrum ipsorum hereditatis spiritalis. Quod quidem magnae consolationis factum non potest simul vim suam apud theologicas Facultates et seminaria non exserere. Pro-

gressio tamen in regione theologiae humanique cultus in universum effecta ante oculos probe constituit lacunas quasdam ac diversa obstacula serii operis quae minime sunt neglegenda.

c) **Opinationes hodie vel inclinationes in theologiae campo non desunt quae, normis adversantes ipsius Decreti conciliaris « Optatam totius)) (n. 16) perpaulum studii et curae testimoniis Patrum tribuunt atque Ecclesiae traditioni, dum recta via conferunt Bibliorum doctrinas cum ipsius societatis condicione necnon cum cotidianis vitae quaestionibus quae ope etiam disciplinarum humanarum explicantur. De theologicis hic agitur sententiis quae subtrahuntur ab historica dogmatum ratione et quibus ingentes aetatis patristicae et Medii Aevi conatus motusque nihil prorsus significare videntur. Ibi nimirum Patrum investigatio ad minimum quiddam redigitur atque obruitur tandem aliquando ipsa recusatione universa superiorum temporum.**

Uti hinc patet, secundum speciem ipsam variarum nostrae aetatis theologiarum ex cursu ipso Traditionis abreptarum, iis in casibus aut deducitur theologica industria nudum ad « biblicismum » aut suo ipsius ambitu historico restringitur sese interea ad diversas accommodans philosophias sive ideologías moris vigentis. Sibi ideo relictus denique theologus, qui tractare se theologiam arbitretur, nihil nisi historicismum agit et sociologismum et ita porro, cum simul Symboli Fidei doctrinas ad mentem dumtaxat terrenam deicit.

d) **Detrimentum aequabiliter infert patristicis studiis quaedam quasi lateris unius sententia quae hodie identidem inter exegeticas invenitur vias. Exegesis enim recentior quae adiumentis criticae historicae utitur et litterariae, umbras conicit in exegetica Patrum bona quae scilicet nimis censeantur simplicia atque in summa plane inutilia ad altiorem Sacrarum Litterarum cognitionem. Hae proin mentium proclivitates, dum exegesim ipsam pauperiorem reddunt ac vincula nempe eius cum Traditione naturalia abrumpentes pervertunt, sine dubio aestimationem et operum patristicorum studium imminuunt. Atqui Patrum contra inquisitio oculos recludere potest aliis quidem partibus exegesis spiritalis atque hermeneuticae quae historicam criticamque rationem perficiunt dum notionibus prorsus theologicis eam locupletane**

e) **Praeter difficultates vero quibusdam proficiscentes ex sententiis exegeticis oportet illas quoque commemorari quae de falsis oriuntur ipsius Traditionis aestimationibus. Nonnumquam enim pro specie vivae Traditionis, quae cum procedente historia ipsa progreditur atque enodatur, alia quaedam nimis rigida deprehenditur, interdum etiam**

((integrista » appellata, qua Traditio ad veterum exemplorum solam redigitur repetitionem fitque ipsa moles unius lateris et immutabilis, unde nihil loci relinquitur legitimo cuidam progressui ac necessitati fidei ob quam respondere ea novis condicionibus debet. Hoc nimirum modo praeiudicia de Traditione uti tali nascuntur quae tranquillo haud favent accessui ad Ecclesiae Patres.

Sed velut quoddam quasi paradoxum, notio ipsa vivae traditionis ecclesialis nocet aetatis patristicae studio amorique, quoties videlicet theologi extollentes aequale pondus omnium historiae temporum non satis rationem ducunt propriae indolis illorum bonorum quae commune Traditionis ad patrimonium attulerunt Patres.

/) **Multi insuper his temporibus studiosi theologiae, ex scholis ge- n
neris technici scilicet profecti, illam linguarum classicarum cognitionem minime possident qua est omnino opus ut seria quis via Patrum suscipiat pervestigationem. Qua de causa disciplinae patristicae status in educationis presbyteralis Institutis vehementer patitur eas cultus humani mutationes quae invalescente denotantur animo scientifico et technologico, unde priores partes ferme solis tribuuntur disciplinis scientiarum naturalium atque humanarum, praetermissa ipsa eruditionis humanisticae cultura.**

g) **In sacerdotalis demum educationis Institutis ratio studiorum** 12
ipsa sic diversis novis refercitur disciplinis, quae magis scilicet iudicantur necessariae atsue ad « tempora accommodatae » magis, ut patristico studio satis non supersit loci. Hoc ideo studium explendum est paucis horis unaquaque hebdomada aut aliis adhibitis compressionis consiliis intra Ecclesiae antiquae Historiam. Quas ad difficultates accedit saepius paucitas in bibliothecis ipsis collectuum et scriptorum patristicorum necnon aptorum bibliographiae instrumentorum.

2. PATRES SECUNDUM DIRECTIVAS ECCLESIAE NORMAS

Manca profecto erit haec tractatio disciplinarum patristicarum condicionis, nisi publica quoque memorata erunt Ecclesiae monita ad rem attinentia. Ut mox quidem patebit, claram proferunt in lucem bona theologica et spiritalia et pastoralia, quae Patrum scriptiones complectuntur, ut utilia illa bona reddantur ac fructuosa in sacerdotum futurorum instructionem.

a) **Eas inter normas directivas primum obtinent locum monitiones** 13
Concilii Vaticani Secundi quae theologiae tradendae rationem respiciunt atque partes ipsas Traditionis in Sacris Litteris intellegendis et prodendis.

Sub numero 16 Decreti de Institutione Sacerdotali, « Optatam totius » inscripti statuitur dogmaticae theologiae explanatio aliquo genetico modo qui nihil adversetur necessitati altius mysteria theologiae perscrutandi ut « ea ope speculationis, S. Thoma magistro, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni addiscant ». Haec porro via suo secundo in gressu aggreditur totum illud illustrare quod Patres Ecclesiae tum Orientali tum Occidentali contulerunt ((ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas ».

Eundem nunc docendi modum, tanti quidem momenti ut dogmatum progressio recte intellegatur, nuperius corroboravit extraordinaria Synodus Episcoporum anni MCMLXXXV (cf. *Relatio finalis* II, B, n. 4).

14 Pondus praeterea, quod in theologia habent Patres potissimumque in Sacra Scriptura comprehendenda, eruitur maxima cum perspicuitate e quibusdam affirmationibus conciliaris Constitutionis, cui index ((Dei verbum », de momento et officio Traditionis :

« Sacra Traditio ergo et Sacra Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant ... Sacra autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit ... quo fit ut Ecclesia certitudinem suam de omnibus revelatis non per solam Sacram Scripturam hauriat. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda et veneranda est » (n. 9).

Uti hinc intellegitur, Scriptura Sacra, quae esse debet « anima Sacrae Theologiae », ubi « tamquam in perenni fundamento innititur » (n. 24), insolubilem efficit cum Traditione Sacra coniunctionem, « unum verbi Dei sacrum depositum ... Ecclesiae commissum ... ut unum sine aliis non consistat » (n. 10). At sunt « Sanctorum Patrum dicta » quae ((huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam, cuius divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur » (n. 8). Quapropter hodie quoque, licet haud negandi progressus ab exegetis horum temporum sint facti, Ecclesia quae « ad profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intellegentiam assequendam accedere satagit, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat... studium sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis et sacrarum Liturgiarum rite fovet» (n. 23).

15 ö) Congregatio de Institutione Catholica admonitiones superius prolatas Concilii Vaticani II inculcat earumque partes quasdam magni momenti illustrat duobus in suis documentis quae sunt ((Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis » et « La formazione teologica dei futuri sacerdoti » :

Coram inclinationibus quibusdam reductivis in dogmatica theologia, extollitur contra integritas ac natura completa viae geneticae,[4] cuius valida vis et commoda didascalica illuminantur[5] necnon condiciones quibus opus est ut eadem via probe adhibeatur ;[6] sed hac in re nominatim aetas memoratur patristica-historica.[7]

Secundum ea quae ((Ratio fundamentalis » tradit,[8] tam magistri quam discipuli debent ipsi plana cum fidelitate ad Dei verbum in Sacris Litteris ac Traditione adhaerescere eiusque vivum percipere sensum « in primis ex SS. Patrum operibus ». Magnam enim illi aestimationem merentur quoniam « ad viventem Ecclesiae traditionem eorum navitas pertinet, cui quidem traditioni provido ex Dei consilio partes suas attulerunt alicuius diu duraturi ponderis scilicet iis aetatibus quae magis fidei rationisque consensioni favebant ».[9] Crebrior exinde accessus ad Patres haberi potest velut ipsum efiicientissimum instrumentum, unde vitalis virtus detegatur theologicae educationis,[10] at maxime unde quis in vigentem Traditionis progressionem ingrediatur, ((quae arcet individualismum exaggeratum dum in tuto collocat obiectivam cogitationum vim »."

Ne vero huius modi cohortationes iacerent mortuae, in supra memorato documento, « La formazione teologica dei futuri sacerdoti » inscripto, propositae quaesdam sunt normae ut Patrum studium ordinato modo perficeretur (n. 85-88).

c) Incitationes dein ad Patrum investigationem additae tum a Concilio Vaticano II tum ab ipsa Congregatione de Institutione Catholica hisce recentioribus viginti annis corroboratae confirmataeque a Romanis Pontificibus sunt multiplici data opportunitate. Eorum autem iudicia, perinde atque ipsorum pronuntiationes Decessorum, varietate distinguuntur argumentorum et gravitate incidente in statum ipsum disciplinae theologicae ac spiritalis :

((Magnae quidem utilitatis pro omnibus studium Patrum est profecto summae necessitatis iis quibus cordi est renovatio theologica

[4] *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis,* 79.
[5] *La formazione teologica dei futuri sacerdoti,* 89, 93.
[6] *Ibid.,* 90, 91.
[7] *Ibid.,* 92, 4b.
[8] *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis,* 86.
[9] *La formazione teologica dei futuri sacerdoti,* 48.
[10] *Ibid.,* 74.
[11] *Ibid.,* 49.

et pastoralis et spiritalis, quam Concilium commendavit cuiusque participes esse cupiunt. Apud illos enim firma inveniuntur elementa quaedam cuilibet verae renovationi subiacentia ».[12] Cogitata porro Patrum ad Christum diriguntur [13] quae comprobantur exempla theologiae vivae unius maturatae per consortionem aliquam cum ministerii pastoralis quaestionibus ; [14] sunt eadem cogitata catechesis praecipua exemplaria [15] necnon fontes cognitionis Sacrarum Litterarum et Traditionis [16] perinde atque hominis totius ipsius veraeque christianorum proprietatis.[17] Etenim Patres « fuerunt eruntque semper, qui ipsi stabilem quasi structuram Ecclesiae efficiunt ac per temporis saecula cuncta implent pro Ecclesia perpetuum munus. Ita enim contingit, ut omnis Evangelii nuntiatio et magisterium subsequens, si modo verum esse voluerit, aequari debeat cum ipsorum nuntiatione et magisterio utque omne charisma ac ministerium haurire debeat vivo ex fonte illorum paternitatis et tandem ut omnis petra nova, quae ad aedificium accesserit ... locari debeat intra compagem ab eis constitutam cum ipsaque conglutinat et copulari ».[18]

Diligentiorem ad patristicae disciplinae perscrutationem cohortationes haud igitur desiderantur. Complures enim recensentur solidisque suffultae rationibus. Nunc autem, quo etiam reddantur illae monitiones magis explicitae, utile quidem iudicatur aliquot illarum rationes causasque continuo adiungere.

[12] PAULUS VI, Litt. ad Em. Card. Michaelem Pellegrino exacto centesimo anno a morte J. P. Migne, 10 maii 1975: *AAS* 67 (1S75), p. 471.

[13] IOANNES PAULUS II, Alloc. *Sono lieto,* ad professores et alumnos Instituti Patristici « Augustinianum », 8 maii 1S82: *AAS* 74 (1982), p. 798: «Mettersi dunque alla scuola dei Padri vuol dire imparare a conoscere meglio Cristo e a conoscere meglio l'uomo. Questa conoscenza scientificamente documentata e provata, aiuterà enormemente la Chiesa nella missione di predicare a tutti, come fa senza stancarsi, che solo Cristo è la salvezza dell'uomo ».

[14] PAULUS VI, Alloc. */ nostri passi,* pro inauguratione Instituti Patristici «Augustinianum», 4 maii 1970: *AAS* 62 (1970), p. 425: «Come pastori, poi, i Padri sentirono la necessità di adattare il messaggio evangelico alla mentalità contemporanea e di nutrire con l'alimento della verità della Fede se stessi e il popolo di Dio. Ciò fece sì che per essi catechesi, teologia, Sacra Scrittura, liturgia, vita spirituale e pastorale si congiungessero in una unità vitale, e che loro non parlassero soltanto all'intelletto, ma a tutto l'uomo, interessando il pensare, il volere, il sentire ».

[15] IOANNES PAULUS II, Adhort. Apost. *Catechesi tradendae,* 16 oct. 1979: *AAS* 71 (1979), p. 1287, 12.

[16] IOANNES PAULUS II, Alloc. *Sono lieto,* ad professores et alumnos Instituti Patristici «Augustinianum», 8 maii 1982: *AAS* 74 (1982), p. 796 s.

[17] *Ibid.,* p. 797.

[18] IOANNES PAULUS II, Litt. Apost. *Patres Ecclesiae,* 2 ian. 1980: *AAS* 72 (1980), p. 6.

II - CUR PATRIBUS STUDENDUM

17 Patrística studia constat posse consentaneum gradum scientiae assequi optatosque afferre fructus dummodo serio animo excolantur et amore magno. Experti enim noverunt aperire Patres divitias doctrinae et spiritus suas iis tantum qui ingredi nitantur eorum in altitudinem per continuam quandam et proximam cum illis familiaritatem. Postulatur igitur dedita vere opera a docentibus ac discentibus has ipsas praecipuas ob causas :

1) Sunt Patres unici Traditionis testes; 2) Nobis iidem theologicam prodiderunt methodum quae lucida simul est ac secura; 3) Thesaurum culturae et apostolatus et doctrinae praebent eorum opera unde praestantes evadunt Ecclesiae magistri tam hodie quam antehac.

1. EXIMII TRADITIONIS TESTES

18 Varias inter appellationes diversasque partes, quas Magisterii documenta Patribus ascribunt, in primis elucet titulus ille testium egregiorum Traditionis. Etenim in flumine illo vivae Traditionis, quod a primis christiani nominis initiis per saecula ad hosce nostros dies pertingit, singularem omnino obtinent locum qui distinctos reddit ipsos a ceteris actoribus in Ecclesiae historia. Namque patefecerunt ii primas Ecclesiae compages sive structuras solidas una cum usibus doctrinae operaeque pastoralis qui cuncta valent per tempora.

19 *a)* In ipsa nostra christiana conscientia videntur Patres cum Traditione semper consociati, quandoquidem auctores eius illi simul fuerunt et testes. Propius quidem accedunt ad originum viriditatem ; quidam eorum ipsam testificantur Traditionem apostolicam, quo ex fonte suum ortum ducit reliqua Traditio ; maxime vero primorum saeculorum Patres auctores haberi possunt atque doctores traditionis cuiusdam « constitutivae », quae posteris in aetatibus adservabitur continuoque usurpabitur. Utcumque id est, istud tradiderunt Patres quod ipsi acceperant, « Ecclesiam docuerunt, quod in Ecclesia didicerunt » ;[19] « Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt ; quod didicerunt, docuerunt ; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt ».[20]

[19] S. AUGUSTINUS, *Opus imp. c. Iul.* 1, 117: *PL* 45, 1125.

[20] IDEM, *Contra Iul.* 2, 10, 34: *PL* 44, 698.

20 6) Historica habita ratione, Patrum aetas tempus est primordiorum quarundam institutionum ecclesialium. Ii quidem ipsi sunt, unde innotescit « integer Sacrorum Librorum canon »,[21] qui principales contexerunt fidei professiones (quae sunt scilicet « regulae fidei ») qui fidei depositum definiverunt contra haereses societatemque sui temporis indeque theologiam ipsam pepererunt. Praeterea iidem illi etiam sunt a quibus fundamenta sunt iacta illius canonicae disciplinae, quae deinde nuncupata est « statuta patrum » « traditiones patrum », ac primae formae constitutae ritus liturgici ; quae omnia restant veluti necessarium elementum ad quod posteriores omnes liturgiae sacrae reformationes sunt referendae. Hoc nempe modo reddiderunt Patres primam consciam ac deliberatam Sacrae Scripturae responsionem, cum componerent eam non veluti sententiam aliquam a rebus abstractam verum uti consuetudinem cotidianam pastoralem agendi ac docendi intra liturgicos ipsos conventus, qui congregati erant ut fidem profiteantur cultumque Domini resuscitati celebrarent. Sic profecto actores illi fuerunt magnae ipsius primae catechesis christianae. •

21 c) Cuius sunt Patres testes, Traditio viva est quae in varietate unitatem necnon in progressibus continuam constantiam demonstrat. Id quod in magno numero familiarum liturgicarum et spiritalium traditionum et disciplinarum exegeticarum-theologicarum primis vigentium saeculis deprehenditur (verbi causa : . in scholis Alexandriae et Antiochiae), quae omnes diversae inter se et coniunctae traditiones inveniuntur in firmis nec mutabilibus fidei fundamentis communibus defixae.

22 *d)* Quapropter Traditio illa, quem ad modum a Patribus et cognita est et in vita ipsa est percepta, haud apparet veluti quaedam quasi moles monolitica et immobilis et obsoleta, verumtamen uti organum multiplex vitaque vigens. Vitae enim mos est et doctrinae quae ex altera parte cognovit res incertas et contentiones, inquisitiones factas et temptatas et ex altera parte consilia tempestive capta et fortia, quae visa sunt eximii ingenii ponderisque decretorii. Sequi proinde vivam Patrum Traditionem haud quidem significat sese conferre ad praeteritum tempus ut tale, sed cum animo securitatis liberique impetus adhaerere ad regulam fidei, servato semper studio de ipsis fundamentis, scilicet de eo quod pertinet ad rerum essentiam quodque perdurat nec mutatur. De fidelitate hic agitur absoluta, quae nonnumquam probatur et propellitur « usque ad sanguinis effusionem », ad dogma scilicet et illa morum disciplinaeque principia quae suum necessa-

[21] CONC. VAT. II, Const. *Dei verbum,* 8.

rium munus comprobant suamque fecunditatem iis plane temporibus quibus via ad res novas explanatur.

23 *e)* **Patres sunt ergo testes atque sponsores certae catholicae Traditionis, quam ob rem eorum auctoritas in theologicis quaestionibus fuit ac semper magna permanet. Cum necesse fuit denuntiare deviationem aliquarum doctrinalium opinionum, Ecclesia constanter ad Patres se ipsam revocavit velut ad veritatis pignus. Nonnulla Concilia, ex. gr. Chalcedonense et Tridentinum, proprias sollemnes declarationes incipiunt revocando ad Patrum Traditionem his verbis : « SS. Patres sequentes ... etc. ». De ipsis mentiones fiunt etiam in casibus, in quibus quaestio iam per se ipsam soluta est ad S. Scripturam provocatane.**

In Concilio Tridentino[22] et in Vaticano 1[23] explicite enuntiatum est praeceptum omnium Patrum consensum regulam certam statuere S. Scripturae interpretationis; quod praeceptum semper vivum et servatum fuit in Ecclesiae historia idemque unum profecto efficit cum alio *normativitatis* **Traditionis redacto a Vincentio Lerinensi[24] et adhuc antea a S. Augustino.**

24 /) **Exempla et praecepta Patrum, Traditionis testium, peculiariter perpensa et aestimata sunt in Concilio Vaticano II, quod profecto per ipsos vividiorem suscipere potuit conscientiam, quam Ecclesia de se ipsa excolit, et agnoscere securum iter potissimum pro liturgica renovatione, pro fructuoso oecumenico dialogo et pro occursu cum religionibus non christianis; itaque ad uberiorem effectum perductum est in hodiernis rerum adiunctis antiquum praeceptum unitatis in diversitate et progressus in Traditionis continuitate.**

2. METHODUS THEOLOGICA

25 **Difficilis ratio inserendi christianam religionem in cultum atque humanitatem antiquam necnon necessitas circumscribendi mysterii christiani veritates in contentione cum doctrina pagana et haeresum, stimulaverunt Patres quo altius intellegerent et rationabiliter explanarent fidem adiuvantibus ad cogitandum categoriis aptius expolitis in philosophiis suae ipsorum aetatis, potissimum in exculta philosophia hellenistica. Unum ex eorum gravissimis historicis muneribus hoc fuit scientiam theologicam inchoare et pro eiusdem auxilio quaedam**

[22] C. Trid., ed. Goeressiana, V (Acta II) 91 ss.
[23] C. Vat. I, coli. Lac. 7, 251.
[24] *Comm. primum* 2, 10: *PL* 50, 639, 650.

statuere principia normasque in procedendi ratione quae patefacta sunt idonea atque fecunda etiam in saecula futura, ut ostendet in suo opere S. Thomas Aquinas, maxime Patrum doctrinae fidelis.

In hac theologorum navitate apud Patres eminent nonnulli praecipui mentis habitus et temporis momenta, quae plane maximi ponderis exstant quaeque etiam hodie in studiis sacris in promptu habenda sunt :

a) provocatio assidua ad S. Scripturam et Traditionis sensus;

h) conscientia novitatis christianae, licet recognoscantur veritates inclusae in cultu atque humanitate pagana;

c) fidei defensio ut summum bonum et perpetua pervestigatio Revelationis ;

d) mysterii sensus et divinarum rerum experientia.

a) *Provocatio ad S. Scripturam, Traditionis sensus*

1. Patres primario loco atque potissimum sunt S. Scripturae interpretes : « divinorum librorum tractatores w.[25] In quo interpretationis studio iuxta nostram hodiernam scientificam rationem evidenter ipsorum methodus quosdam indubios limites exhibet. Ipsi enim haud cognoscebant nec cognoscere poterant subsidia scientiae philologicae, historicae, anthropologicae-culturalis neque argumenta investigationis, documentationis, scientificae pertractationis, quae praesto esse possunt recentiori exegesi ; qua de re quaedam eorum exegeticae navitatis pars aestimanda videtur caduca. Attamen, non obstante hac animadversione, ipsorum merita ad perfectiorem Sacrorum Librorum intellegentiam plane ingenua sunt. Ecclesiae Patres pro nobis manent veri magistri, immo affirmare possumus praestantiores, compluribus sub aspectibus, mediae necnon recentioris aetatis interpretibus qui ((suavi quadam eminent caelestium rerum perspicientia miroque mentis acumine, quibus divini eloquii profunda intime penetrant)).[26] Namque Patrum exemplum docere potest huiusce nostrae aetatis explanatores aditum vere religiosum S. Scripturae, itemque interpretationem quae constanter persequitur communionis criterium cum Ecclesiae experientia, quae per historiam ambulat Spiritus Sancti ductu. Cum haec duo interpretationis principia, religiosum nempe atque peculiariter catholicum, negleguntur vel obliviscuntur, exegetica recentiora studia saepe evadunt pauperata et distorta.

[25] S. AUGUSTINUS, *De lib. arb.* III, 21, 59; *De Trin.* II, 1, 2: *PL* 32, 1300; 42, 845.

[26] Pius XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu,* 30 septembris 1943: *AAS* 35 (1943), p. 312.

S. Scriptura enim pro Patribus fuit obiectum summae venerationis, fidei fundamentum, assiduum praedicationis argumentum, pietatis alimentum, theologiae anima. Eius divinam originem semper defenderunt, inerrantiam, *normativitatem,* inexhaustam copiam atque vim pro spiritalitate et doctrina. Sufficiat hic memorare quod S. Irenaeus de Scripturis scripsit : ipsae ((Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae »,[27] et quattuor Evangelia vocabat ((fundamentum et columnam fidei nostrae futurum ».[28]

2. Theologia orta est ex navitate exegetica Patrum « in medio Ecclesiae » et praesertim in liturgicis coetibus, instantibus spiritalibus Populi Dei necessitatibus. Illa etenim exegesis, in qua spiritalis vita cum rationali recogitatione theologica permiscetur, constanter rem summam intuetur in fidelitate cum toto sacro fidei deposito. Eadem sane cogitur perfecte in Christi mysterium, ad quod omnes refert singulas veritates in quodam miro compendio. Potius quam persequi multiplices marginales quaestiones, Patres complecti praeoptant integram mysterii christiani plenitudinem, sectantes praecipuum motum Revelationis et salutis oeconomiae, qui a Deo per Christum ad Ecclesiam pergit, sacramentum communionis cum Deo et divinae gratiae dispensatricem, ut ad Deum redeat. Propter hanc perceptionem, quae fructus exstat eorum vividi ecclesialis communionis sensus, propinquitatis ad christiana exordia necnon ad familiaritatem cum S. Scriptura, Patres omnia inspexerunt in propria centrali dimensione, ita ut omnia adessent in unaquaque parte et secundaria quaelibet quaestio consociari posset cum eodem centro. Quare sequi Patres in hoc eorum theologico itinerario significat facilius attingere nostrae fidei summam vim itemque ((specificum » nostrae christianae *identitatis.* 27

3. Veneratio atque fidelitas Patrum erga S. Libros pari procedit gradu cum eorum veneratione atque fidelitate erga *Traditionem.* Se ipsos habent non dominos seà servos S. Scripturarum, eas ab Ecclesia accipientes, legentes easdemque explanantes in Ecclesia et pro Ecclesia, iuxta fidei regulam a Traditione ecclesiastica et apostolica propositam atque illustratam. Supra memoratus S. Irenaeus, magnus Sacrorum Librorum amator ac cultor, docet respiciendam esse Traditio- 28

[27] *Adv. haer.* 2, 28, 2: *PG* 7, 805.
[28] *Ibid.,* 3, 1, 1: *PG* 7, 844.

nem Apostolorum ab eo qui veritatem cognoscere vult,[29] et addit nobis sufficere posse ad institutionem et salutem Traditionem, etiamsi iidem nobis Scripturas non reliquissent.[30] Ipse Origenes, qui tanto amore studioque Scripturas excoluit, tantumque ad earum intellegentiam adlaboravit, clare asserit credendas esse velut fidei veritates solummodo illas quae nullo modo aberrant a « Traditione ecclesiastica et apostolica»:[31] effecit itaque Traditionem normam interpretativam Scripturae. S. Augustinus praeterea, qui « delicias » suas in Scripturarum meditatione ponebat,[32] hoc principium enuntiat mire lucidum atque firmum, quod adhuc ad Traditionem appellat : « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».[33]

29 **4. Quapropter Concilium Vaticanum II, cum declararet « Sacram Traditionem et Sacram Scripturam unum verbi Dei sacrum depositum constituere Ecclesiae commissum »,[34] nihil aliud fecit nisi confirmavit antiquum theologicum principium, a Patribus adhibitum et declaratum. Hoc principium, quod collustravit ac duxit eorum integram navitatem exegeticam et pastoralem, sine dubio validum permanet etiam pro theologis et animarum pastoribus hodie. Ex hoc sequitur certa definitaque causa ut reditus ad S. Scripturam, qui videtur una ex peculiaribus proprietatibus hodiernae Ecclesiae vitae, consociandus profecto sit cum reditu ad Traditionem, confirmatam testimoniis scriptis Patrum, si volumus ut optati fructus inde consequantur.**

b) *Novitas christiana et « inculturatio »*

30 **1. Alia magni momenti et instans proprietas methodi theologicae Patrum in hoc consistit ipsam praebere lucem quo percipiatur « clarius quibus viis fides, ratione habita philosophiae vel sapientiae populorum, quaerere possit intellectum ».[35] Iidem etenim a S. Scriptura et a Traditione claram conscientiam sumpserunt novitatis christianae, hoc est firmam persuasionem doctrinam christianam corpus continere**

[29] *IUd.,* 3, 3, 1: *PO* 7, 848.
[30] *IUd.,* 3, 4, 1: *PO* 7, 855.
[31] *De principiis* 1, praef. 1; cf. *In Mt. comm.* 46: *PO 11,* 116; cf. 13, 1667.
[32] *Confess.* 11, 2, 3: *PL* 32, 809.
[33] *Contra ep. fund.* 5, 6: *PL* 42, 176.
[34] Const. *Dei verbum,* 10.
[35] Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes,* 22.

praecipuum revelatarum veritatum, quae profecto normam constituunt ad sapientiam humanam iudicandam necnon ad veritatem ab errore distinguendam. Si haec eadem persuasio quosdam ex eis induxit ut huius sapientiae auxilium repellerent et existimarent philosophos prope « haereticorum patriarchas », hoc vero minime impedivit quominus plerique hoc subsidium acciperent cum studio atque grato animo, velut procedens ex uno sapientiae fonte, qui est Verbum. Ad id ipsum memorare satis est S. Iustinum Märtyrern, Clementem Alexandrinum, Origenem, S. Gregorium Nyssenum et, potissimum, S. Augustinum, qui in suo opere ((De doctrina christiana » appellato, pro hac navitate propositum quoddam delineavit : « Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, ... non solum formidanda non sunt, sed ... in usum nostrum vindicanda ... Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? ... Cyprianus ... Lactantius ... Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto innumerabiles Graeci? ».[36]

2. Huic compenetrationis studio alterum adiungitur non minus grave 31
et ab eodem indissociabile, quod vocare possumus studium recusationis. Fidei norma firmiter innisi, Patres complura acceperunt consilia philosophiae Graecorum et Romanorum, et eiusdem graves errores repudiaverunt, praecipue caventes ne in syncretismi periculum incurrerent tam pervulgati in cultura hellenisticae aetatis tunc vigente, itemque rationalismi qui fidem cogere minitabatur ad sola elementa rationalitati hellenisticae acceptabilia. « Praesertim quorum contra errores magnos » — scribit S. Augustinus — « defendenda est christiana doctrina ».[37]

3. Propter hoc cautum iudicium praestantiae et delimitationis, 32
quae reconditae exstant in diversis culturae antiquae formis, novae patefactae sunt viae ad veritatem et insolitae facultates ad Evangelii praeconium. Nam a Patribus Graecis, Latinis, Syriacis ... edocta Ecclesia ((inde ab initio suae historiae, nuntium Christi, ope conceptuum et linguarum diversorum populorum exprimere didicit eundemque sapientia insuper philosophorum illustrare conata est : in hunc finem nempe ut Evangelium tum omnium captui tum sapientiae exigentiis, in quantum par erat, aptaret ».[38] Aliis verbis, Patres dignitatis uni-

[36] *De doctr. chr.,* 2, 40, 60-61: *PL* 34, 63.

[37] *Retract.* 1, 1, 4: *PL* 32, 587.

[38] Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes,* 44.

versalis Revelationis conscii ingens inceperunt opus *inculturationis* christianae, ut hodie plerumque nuncupatur. Ipsi itaque exemplum facti sunt fecundi occursus inter fidem et culturam, inter fidem et rationem, qua de re ductores permanserunt pro Ecclesia omnium aetatum enixe intenta ad Evangelium hominibus praedicandum culturarum tam diversarum et ad agendum in eisdem.

Clare conspicitur, attentis his Patrum mentis voluntatisque consiliis, Ecclesiam inde a suis initiis eminere « natura sua missionaria)),[39] etiam quoad cogitata et culturam ; ideoque Concilium Vaticanum II praecipit : « quae quidem verbi revelati accommodata praedicatio lex omnis evangelizationis permanere debet w.[40]

c) *Defensio fidei, dogmaticus progressus*

33 **1. In interiore Ecclesiae vita, rationis cum fide occursus occasionem praebuit multis diuturnisque controversiis, quae summa spectaverunt argumenta dogmatis trinitarii, christologica ecclesiologici, anthropologici, eschatologici. His opportunitatibus oblatis Patres in veritatum defensione, quae ipsam fidei essentiam attingunt, auctores exstiterunt magnae progressionis in intellegendi vi argumenta dogmatica simulque idoneum contulerunt officium ad theologiae progressum. Eorum apologeticum munus, peractum cum conscia pastorali sollicitudine ad spiritale fidelium bonum, peropportunum evasit subsidium ad perficiendum totum Ecclesiae corpus. S. Augustinus coram haereticorum incremento haec censebat : « Et ad hoc eos Deus abundare permisit, ne semper laete nutriamur, et in bruta infantia remaneamus »,[41] quatenus : « Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicentur : et ab adversario mota quaestio, discendi exsistit occasio)).[42]**

34 **2. Quam ob rem Patres facti sunt auctores rationalis agendi methodi accommodatae ad Revelationis materiam, sapientes fautores illius « intellectus fidei », qui pertinet ad cuiusque germanae theologiae**

[39] **Conc. Vat. II, Decr.** *Ad gentes,* **2.**

[40] **Conc. Vat. II, Const. past.** *Gaudium et spes,* **44.**

[41] **S. AUGUSTINUS,** *Tract, in loh.* **36, 6:** *PL* **35, 1666.**

[42] **IDEM,** *De civ. Dei,* **16, 2, 1:** *PL* **41, 477.**

naturam. Fuit Patrum providum officium non solum christianam religionem defendere, sed etiam eamdem recogitare in culturali ratione Graeca et Romana; invenire novas formulas ad antiquam doctrinam exprimendam, formulas non biblicas ad doctrinam biblicam; exhibere, uno verbo, fidem redactam per formas cuiusdam sermonis humani, plene catholici et apti ad materiam divinam exprimendam, quae in Revelatione continetur, et servare iugiter eiusdem Revelationis *identitatem* et transcendentiam. Permultae notiones a Patribus in trinitariam et christologicam theologiam inductae (ex. gr. ousia, hypostasis, physis, agenesia, genesis, ekporeusis, etc.) maximum munus perfecerunt in Conciliorum historia et introductae sunt in formulis dogmaticis, qua de re elementa facta sunt nostri perennis atque vigentis theologiae structurae.

3. Dogmaticus progressus, a Patribus confectus non velut consilium tantum mente cogitatum, sed plerumque in homiliis, in navitate liturgica et pastorali, optimum sane exemplum constituit renovationis in Traditionis continuitate. Etenim per ipsos Patres « catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, ... per seriem successionis accepta, sana ad pósteros transmittenda »[43] erat. Quapropter fides ab ipsis pertractata est maxima cum reverentia, integra fidelitate proprio biblico fundamento, itemque aequa spiritus sollertia in novas necessitates novaque culturae adiuncta: quae duo singularia elementa sunt vivae Ecclesiae Traditionis. 35

4. Haec prima theologiae lineamenta nobis a Patribus tradita in lucem proferunt nonnullos praecipuos Patrum typicos mentis habitus erga veritates revelatas, quae perennis praestantiae haberi possunt, ideoque vigentes etiam pro Ecclesia hodierni temporis. Agitur nempe de fundamento statuto semel in perpetuum, ad quod quaelibet posterior theologia spectare debet et, si res postulabit, redire. Agitur adhuc de patrimonio quod minime exclusivum evadit nulli particulari Ecclesiae, et omnibus christifidelibus pergratum exstat. Id enim rursus ascendit ad tempora antecedentia fracturam inter Orientis et Occidentis christianas regiones, transmittens communes spiritalitatis thesauros doctrinaeque; mensam splendidam apud quam viri theologi diversarum confessionum semper convenire possunt. Patres profecto exstant Patres sive Orthodoxiae Orientalis sive theologiae catholicae latinae, vel theologiae Protestantium et Anglicanorum, sunt revera obiectum commune studii atque venerationis. 36

« IDEM, *Tract, in Ioh.* 37, 6: *PL* 35, 1672.

d) *Mysterii sensus, divinarum rerum experientia*

37 **1. Si Patres per omnes occasiones testimonium praebuerunt officii sui conscientiae, ut viri docti et Revelationis investigatores, persequentes, ita affirmare possumus, illud propositum : ((credo ut intelligam » et « intelligo ut credam », hoc semper perfecerunt tamquam certi viri Ecclesiae prorsus credentes nec ullo modo in discrimen adduxerunt puritatem aut, sicut S. Augustinus declarat, ((virginitatem »[44] fidei. Nam ipsi velut « theologi » haud praecipue innitebantur rationis subsidiis, sed etiam illis magis religiosis, oblatis a cognitione indolis *affectivae* et *exsistentialis,* firmatae in intima cum Christo communione, nutritae ab oratione et confirmatae a Dei gratia atque a Spiritus Sancti donis. In eorum mentis et agendi ratione sicut theologi et pastores amplissime patebat sensus mysterii profundus et divinarum rerum experientia; hoc eos protegebat contra tentationes assidue redeuntes sive *rationalismi* nimis vehementis sive *fideismi* levis et nimis quieti.**

38 **2. Primum quod eminet in Patrum theologia est sensus vivus transcendentiae divinae Veritatis collectae in Revelatione. Dissimili ratione ab haud paucis viris doctis antiquis et recentioribus, Patres magnam humilitatem ostendunt coram Dei mysterio, in S. Scripturis comprobato, quarum ipsi, in propria modestia, perspicuos explanatores sese praeoptant, intentos ne quid addant quod immutare possit earumdem auctoritatem. Affirmare possumus hunc reverentiae atque humilitatis habitum aliud non esse quam alacrem conscientiam insuperabilium finium quos hominum intellectus experitur ante divinam transcendentiam. Sufficiat hoc loco memorare, praeter S. Ioannis Chrysostomi homilías *De incomprehensibilitate Dei,* quod iisdem verbis scripsit S. Cyrillus, Hierosolymitanus episcopus, ad catechumenos : ((Nam in his quae ad Deum spectant, ignorantiam confiteri, magna scientia est » ;[45] itemque post eum episcopus Hipponensis S. Augustinus sententiose suum populum docebit: « Melior est enim fidelis ignorantia, quam temeraria scientia w.[46] Ante hos vero S. Irenaeus confirmaverat Verbi generationem *inenarrabilem* esse eosque qui contendunt se eamdem explicare posse «non sunt compotes sui ».[47]**

[44] S. AUGUSTINUS, *Serm.* 93, 4; 341, 5; etc.: *PL* 38, 574; 39, 1496.

[45] *Catech.* 6, 2: *PG* 33, 542.

[46] *Serm.* 27, 4: *PL* 38, 179.

[47] *Adv. haer.* 2, 28, 6: *PG* 7, 809.

3. Hoc vivo spiritali sensu concesso, imago quam Patres de se ipsis 39
nobis exhibent est illa virorum qui non tantum discunt sed etiam, immo potius res divinas experiuntur, ut testabatur Dionysius Pseudoareopagita nuncupatus de suo magistro. Hierotheo : « non solum discens sed et patiens divina »z[48] Iidem sunt plerumque viri peritissimi vitae supernaturalis, qui communicant quod viderunt et gustaverunt in sua contemplatione rerum divinarum, quod cognoverunt per dilectionis viam, « per quandam connaturalitatem », sicut S. Thomas Aquinas declarat.[49] In eorum ratione loquendi exponendique saepe intellegibilis videtur iucunda virorum mysticorum vox, quae sinit ut emineat magna cum Deo familiarità», experientia, in propria vita comprobata, Christi et Ecclesia mysterii et assidua consuetudo cum omnibus directis fontibus vitae theologalis, ab ipsis existimata velut primaria christianae vitae condicio. Affirmari potest concorditer cum augusti - niano dicto « intellectum valde ama ».[50] Patres procul dubio magni aestimare speculationis utilitatem, at ipsos probe scire eamdem minime sufficere. In hac intellectuali contentione, ad propriam fidem intellegendam, Patres dilectionem exercent, quae efficiens amicum cognoscentem ad cognitum,[51] suapte natura fit fons novae intellegendi facultatis. Nam « nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur ».[52]

4. Haec methodologica principia, practice servata et ad effectum 40
perducta antequam explicite enuntiata, argumentum etiam fuerunt expressarum Patrum cogitationum. Satis videtur respicere, ad id ipsum, S. Gregorium Nazianzenum, qui in prima ex quinque suis pernotis orationibus theologicis dicatis ad rationem efficiendi theologiam, de necessitate pertractat moderationis, humilitatis, interioris purificationis, orationis. Tantumdem agit S. Augustinus, qui commemorat officium a fide peractum in Ecclesiae vita; praeterea disputans de munere a theologis in ea exculto, scribit eosdem esse debere ((pie doctos et vere spirituales viros ».[53] Huius rei ipse exemplum praebet cum opus scribit *De Trinitate* appellatum, quo respondere vult « garrulis ratio-

'* *De Divinis Nominibus,* II, 9: *PO* 3, 674, cf. 648; memoratus a S. Thoma Aquinate in S. *Th.* II-II, q. 45, a. 2.

[49] *8. Th.* II-II, q. 45, a. 2.

[50] S. AUGUSTINUS, *Ep.* 120, 3, 13: *PL* 33, 459.

[51] CLEMENS ALEX., *Stromata* 2, 9: *PO* 8, 975-9S2.

» S. AUGUSTINUS, *De divv.* qq. LXXXIII, q. 35, 2: *PL* 40, 24.

[53] *Ep.* 118, 32: *PL* 33, 448.

cinatoribus » qui ((fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur w.[54]

His rationibus adductis, declarare possumus theologicam Patrum navitatem pro nobis etiamnunc vigentem esse. Ipsi plane magistri manent pro theologis, velut mediatores temporis maximi momenti, praestatis, quod deleri non potest in historia theologiae Ecclesiae, velut exemplaria ob rationem qua propriam theologicam navitatem perfecerunt, velut fontes auctoritate graves et testimonia pernecessaria propter doctrinas collectas ex eorumdem recogitatione atque meditatione de rebus in Revelatione propositis.

3. UBERTAS CULTURALIS, SPIRITALIS ET APOSTOLICA

41 **Patrum opera excellunt, praeterquam theologica gravitate, etiam praestantia bonorum culturalium, spiritalium atque pastoralium, quae complectuntur. Ad hanc rationem eadem opera sunt, post Sacram Scripturam, sicut commendatur decretum « Presbyterorum Ordinis » (n. 19), unus ex primariis fontibus sacerdotalis institutionis necnon ((fructuosum nutrimentum », quod presbyteros per totam vitam comitetur.**

42 ***a)* Patres Latini, Graeci, Syriaci, Armeni ... non modo praebent suam collationem ad patrimonium litterarium propriarum nationum, sed etiam exstant — licet unusquisque ratione atque mensura valde diversis — velut classici christianae culturae quae, ab ipsis fundata et aedificata, signum indelebile fert in perpetuum eorum paternitatis. Dissimili ter a litterarum monumentis singularum nationum, quae ingenium ostendunt et conformant cuiusque populi, doctrinae patrimonium Patrum profecto « catholicum » est, universale, propterea quod docet quomodo quilibet fiat et quomodo se gerat virum probum integrumque christianum. Ob eorum vehementem rerum supernaturalium sensum et ob eorum iudicium de summis humanis bonis relatione habita ad christianam peculiaritatem, Patrum opera aetatibus praeteritis egregium fuerunt instrumentum institutionis pro multis presbyterorum generationibus et permanent pernecessaria pro Ecclesia hodierni temporis.**

43 **o) Quod cultum atque humanitatem pertinet, magni momenti videtur plurimos Patres accepisse eximiam institutionem in disciplinis antiquae culturae Graecorum et Romanorum, a qua excultas mutuati sunt acquisitiones civiles ac spiritales, quibus ditaverunt suos tractatus, catecheses et praedicationem. Ipsi enim, imprimentes in antiquam**

[54] *De Trin. 1,1,1: PL* 42, 819.

classicam « humanitatem » christianum sigillum, primi fuerunt qui pontem fecerunt inter Evangelium et profanam eruditionem; qua de re descripserunt amplam atque diligentem rationem culturalem, quae penitus saecula subsequentia penetravit et potissimum totam vitam spiritalem, intellectualem et socialem Mediae aetatis.[55] Hoc Patrum magisterio favente, complures christifideles primorum saeculorum adire potuerunt societatis publicae ordines (scholae, rei publicae administratio, munera politica) et christianismus frui potuit illis haud dubiis bonis quae in cultu atque humanitate antiqua inveniuntur, purificare quod minus perfectum ibi continebatur et prodesse, pro eiusdem parte, creationi novi cultus atque expolitioris humanitatis ab Evangelio permotae. Ad Patrum opera redire igitur pro futuris presbyteris hoc significat se ipsos alere iisdem radicibus christianae culturae necnon melius percipere propria officia in excolenda cultura huius nostrae aetatis.

c) Quod Patrum spiritalitatem spectat, in superiore paragrapho iam notatum est totam ipsorum theologiam esse apprime religiosam, veram ((scientiam sacram », quae dum mentem illustrat, cor elevat ac fovet. Hoc loco, praeter elementa et proprietates peculiariter theologica, perutile videtur distinguere quasdam agendi rationes et mentis consilia ordinis moralis ex eorum operibus consequentia velut potissima subsidia progredientis dilatationis, saepe tacitae, fermenti evangelici in societate pagana; haec omnia in posterum permanserunt constanter signata in conscientia et in ipso Ecclesiae vultu. Multi Patres fuerunt « conversi » ; vitae christianae novitatis sensus in eisdem cum fidei certitudine consociabatur. Ex quo in christifidelium communitatibus illius aetatis quaedam erumpebat « effusa vitalis vis », missionalis ardor, dilectionis studium quod spiritus inflammabat ad vitae christianae heroicitatem singulorum et societatis, praesertim per exercitium operum misericordiae, eleemosynae, infirmorum curationis, viduarum, orphanorum, mulierum dignitatis et cuiusvis personae, educationis filiorum, reverentiae pro vita incipienti, fidei coniugalis, respectus et libertatis in servos, libertatis et *responsabilitatis* erga publicas potestates, defensionis et praesidii pauperum et afflictorum, una cum omnibus testificationis evangelicae formis a locorum temporumque adiunctis postulatae, quae interdum usque ad supremum martyrii sacrificium impellebat. Vitae moribus ad Patrum praecepta conformatis, christifideles a societate pagana distinguebantur, in qua versabantur, patefaciebant ipsorum vitae novitatem a Christo ema-

[55] Magnum exercuerunt influxum in hac re praesertim duo S. Augustini opera: *De civitate Dei* et *De doctrina christiana.*

natam, sequentes perfectam formam asceticam virginitatis « propter regnum caelorum », abdicationis a bonis terrenis, poenitentiae, vitae monasticae eremiticae aut communis, iuxta evangelica consilia et in vigilanti Christi venientis exspectatione. Praeterea complura pietatis privatae exercitia (velut oratio in familia, cotidianae orationes, ieiunii exercitatio) et communis (ex. gr. celebratio diei dominici et praecipuorum liturgicorum festorum tamquam participatio salvificorum eventuum, cultus SS.mae Virginis Mariae, vigiliae, agapes, etc.) a Patrum aetate originem ducunt eorumque definitam significationem a Patrum magisterio accipiunt.

Quam ob rem perspicuum videtur sedulam alumnorum seminariorum familiaritatem cum Patrum operibus haud dubie efficere ut eorum spiritalem atque liturgicam vitam roboret, simulque illustret quadam singulari luce eorumdem vocationem, cum haec ipsa penitus inhaereat in millenaria Ecclesiae traditione eamque statuat in directa communicatione cum spiritali abundantia atque integritate aetatis christianarum originum. Eodem tempore eos adiuvabit ad detegendum hominem in propria unitate ac plenitudine : ad agnoscendam et persequendam illam summam perfectionis humanae imaginem in unum coactam atque expletam per congruentem explicationem praestantiorum bonorum naturalium ac supernaturalium, quod exstat christianae anthropologiae exemplar.

d) Alia denique ratio attractionis et utilitatis operum Patrum in hoc deprehenditur : eadem esse prorsus pastoralia, id est conscripta propter apostolatus proposita. Haec scripta sunt vel catecheses vel homiliae, vel haeresum confutationes, vel responsiones ad consultationes, vel spiritales adhortationes vel manuales libri ad fidelium instructionem destinati. Ex hac re clare conspicitur quomodo Patres plene consortes se ipsos existiment in propriae aetatis pastoralibus quaestionibus. Ipsi magistrorum atque pastorum munus exercebant ; quare ante omnia curabant ut Populus Dei servaretur in unitate fidei, cultus divini, rei moralis et disciplinae. Saepenumero ratione collegiali procedebant vicissim permutantes epistulas^ quarum argumentum res doctrinales ac pastorales respiciebat, ut commune in rebus agendis propositum foverent. Ipsi solliciti erant de bono spiritali non tantum suarum particularium Ecclesiarum, sed totius Ecclesiae. Nonnulli ex eis facti sunt orthodoxiae defensores et exemplaria, ad quos ceteri orbis catholici episcopi respiciebant (ex. gr. Athanasius in controversiis antiarianis, Augustinus in illis antipelagianis), quodam modo vivam Ecclesiae conscientiam in propria persona gerentes.

e) Nec hoc praeterire possumus: in propria pastorali alacritate Patres, quamvis investigatoribus amplum prospectum praeberent pervariarum culturalium et socialium quaestionum, quae tunc agitabantur, tamen eas componere semper studuisse, ut ita dicamus, in quadam perspectiva profecto supernaturali. Eorum etenim interest fidei integritatem servare, iustificationis fundamentum, ut caritas floreat, perfectionis vinculum, necnon caritas novum hominem novamque historiam procreet. Omnia in navitate Patrum pastorali et in magisterio ad caritatem referuntur et caritas ad Christum, universalem salutis viam.[56] Ipsi omnia ad Christum referunt, omnium rerum recapitulationem (apud Irenaeum), hominum deificatorem (apud Athanasium), civitatis Dei conditorem et regem, quae est electorum societas (apud Augustinum). In eorum perspectiva historica, theologica et eschatologica, Ecclesia est *Christus totus,* qui: « Sic in hoc saeculo, in his diebus malis, non solum a tempore corporalis praesentiae Christi et Apostolorum eius, sed ab ipso Abel, quem primum iustum impius frater occidit, et deinceps usque in huius saeculi finem, inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit ».[57] 46

Si volumus nunc in compendium redigere rationes quae inducunt ut Patrum opera excolamus, affirmare possumus ipsos fuisse, post Apostolos, ut S. Augustinus convenienter docuit, plantatores, irrigatores, aedificatores, pastores, nutritores Ecclesiae, quae crescere potuit ob eorum pervigilem atque assiduam sedulitatem.[58] Ut Ecclesia in suo incremento prosequatur necessarium est penitus cognoscere eorum opera, quae eminent propterea quod sunt simul pastoralia et theologica, catechetica et culturalia, spiritalia et socialia praecellentem in modum, quin immo affirmari potest unicum in modum, perpensis aliarum historiae aetatum eventibus. Quae sane vitalis unitas omnium rationum vitae atque missionis Ecclesiae Patres efficit tam praesentes et fecundos etiam pro nobis. 47

III - QUO MODO STUDIO PATRUM OPERAM DABIMUS

Ex iis quae exposita sunt de re praesenti ac de altioribus rationibus studiorum patristicorum sponte oritur quaestio de eorum natura et fine, atque de methodo insequenda ut horum qualitas et pondus augeantur. Ad quam rem assequendam et ii qui docent et discipuli 48

[56] S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 10, 32, 1-3: *PL* 41, 312 ss.

[57] ID., *De civ. Dei* 18, 51, 2: *PL* 41, 614; cf. Conc. Vat. II, Const, *Lumen gentium,* 8.

[58] *Contra Iul.* 2, 10, 34: *PL* 44, 698.

qui discunt plura sibi proponant oportet officia adimplenda, quae illustranda sunt et explicanda ut ad illam solidam conformationis operam perveniamus quae respondeat postulatis quae de renovatione, ex normis decretoriis Concilii Vaticani **II,** desideramus et promovemus.

1. NATURA STUDIORUM PATRISTICORUM ET EORUM FINES

49 ***a)*** Magni momenti est ut hic studiorum ecclesiasticorum campus ex natura sua et fine clare circumscribatur, atque in complexum disciplinarum theologicarum contexte inseratur. Duae quasi areae sunt quae inter se conveniunt : eaeque de eadem materia tractant, sed diverso modo : nam ***Patristica*** de ratione cogitandi Patrum agit ex theologia, dum ***Patrologia*** de vita et scriptis ipsorum Patrum disputât. Prior igitur ex natura sua ad doctrinam refertur atque ex nonnullis locis cum dogmatica coniungitur (sed etiam cum theologia morali et spirituali atque cum Sacra Scriptura et Liturgia) ; altera vero potius in indaganda historia consistit atque in vita Patrum cognoscenda eorumque praecipuis scriptis : atque sponte cum historia Ecclesiae primaevae conectitur. Ex earum indole theologica, Patristica et Patrologia a ***Litteris christianis antiquis*** distinguuntur : quae disciplina minime est theologica, sed potius litteraria dicenda est : eaque scriptores Christiani antiqui investigantur de his notis quae ad stilum et philologiam referuntur.

50 ***b)*** Cum haec studia patristica tractanda sumuntur, in primis considerandum est Patristicam-Patrologiam esse disciplinam a se seu autonomam : sua methodo instructam in complexu disciplinarum in quibus doctrina theologica traditur. Quod autem haec disciplina suam habeat indolem — ut est pars theologiae in qua principia methodi historicae-criticae stricte applicantur — est nota doctrinalis acquisita, et qua talis, discipulis est percipienda.

51 ***c)*** Praesertim ex ***Patrologia*** exspectamus ut aptum prospectum de Patribus eorumque operibus tradat cum suis notis peculiaribus propriis, atque ut eorum actio litteraria et pastoralis intra complexum historiae inseratur. Cum haec disciplina ex natura sua ad cognoscendam historiam referatur, nihil obstat quominus a professore Historiae ecclesiasticae adiuvetur — cum ita requiritur aut ex copia temporis quae tribuitur adhibenda aut ex eo quod professores minime sufficiunt.

Quod si id quoque expediat, amplior dari poterit locus ut alumnus privatim studia perficiat, dum simul probata opera manualia, léxica aliaque subsidia bibliographica ei consulenda traduntur.

52 *d)* Quod ad *Patristicam* spectat, oportet officio suo apte fungatur, et proponenda est ut disciplina sui ipsius, ita tamen ut cum dogmatica arte coniungatur. Enimvero utraque disciplina ex decreto ((Optatam totius » (n. 16) compelluntur ut inter se auxilientur et altera alteram locupletet : attamen necesse est ut sui iuris constent atque methodis propriis sint obnoxiae. Dogma in primis unitati inservit : et ideo — ut omnibus aliis disciplinis theologicis — etiam Patristicae conspectum fidei offert in unitatem tendentem : eique auxilium praebet ut in ordinem componat consectaria ex parte deducta, atque viam significat ut in investigationem penetret, et operam ostendit quam magister insequatur. Patristica inservit dogmaticae quatenus delineat atque definit illam operam — quae media est ad explicandam revelationem Dei — quam Patres in Ecclesia et in mundo illius temporis exsequuntur. Ideo res in eo constat ut conspectus theologiae et vitae christianae aetatis patristicae ita describatur ut ex historia reapse erat : ita tamen ut methodus historica-critica plene ac iuste aestimetur. Quam ob rem materia quae de Patristica tradatur — ut refert documentum ((De formatione theologica futurorum sacerdotum » — in id tendat oportet, in aliis, « ut clarius percipere adiuvet id quod est continuum in labore theologico, uti fundamentalibus elementis respondens, et quod est relativum, in quantum nonnisi aspectus et applicationes particulares respiciens» (n. 87).

2. METHODUS

53 *a)* Studium Patrologiae et Patristicae, in prima earum parte quae in informando constat, postulat ut opera manualia evolvantur atque alia subsidia bibliographica: at, cum ad difficiles et implicatas quaestiones theologiae patristicae devenitur, nullum ex his subsidiis sufficit, sed ad ipsos Patrum textus directo accedendum est. Nam Patristica tradatur oportet et discatur — praesertim in Academiis et curriculis specialibus — dum professor et alumnus ad ipsos fontes primarios directe accedunt. Tamen, ex difficultatibus quibus scholastici saepe implicantur, opportunum erit textus editionum bilingues, quae ex gravitate scientifica fama notantur, in eorum manibus deponere.

54 ö) Studium scientificum textuum methodo historica-critica deducitur, simili ratione atque in disciplinis biblicis applicatur. Attamen,

opus est ut, in adhibenda hac methodo, huius fines signentur : atque haec prudenter methodis hodiernae analysis litterariae et hermeneuticae compleatur : ita ut alumnus manuducatur quo haec omnia apte intellegat, iuste aestimet eaque recte usurpet.

Cum autem agatur de disciplina theologica — quae in omnibus aspectibus « ad lumen fidei » regitur —, indagandi libertas materiam inquisitionis in campo purae philologiae aut criticae historicae minime contrahere potest. Nam necesse est ut theologia positiva — tamquam primum propositum sibi constitutum —- naturam supranaturalem sui obiecti agnoscat, atque ut ad Ecclesiae Magisterium sese referat. Itaque alumni conscii esse debent de methodo rigida, quae ad omnem validam et obiectivam investigationem patristicam est necessaria : quae tamen non excludit quod labor praeveniatur ac dirigatur, neque quod investigator christianus active participet : qui ex suo ((sensu fidei » sub ambitu ipsius fidei constituitur atque in ea procedit.

55 **c) Praeterea, ex huius methodi integritate requiritur ut investigator et alumnus a praeiudiciis et opinionibus ante conceptis sint liberi — quae in hoc patristicae campo in duas propensiones tendunt — : alia qua scripta Patrum nimis stricte sumuntur, dum traditio viva Ecclesiae neglegitur atque ipsa Ecclesia, quae post Patres usque ad nostram aetatem protrahitur, quasi paulatim declinans habetur; alia vero qua res notae et certae ex historia in instrumenta convertuntur nostri temporis, sed ad arbitrium sumuntur : ex quibus legitimus progressus minime aestimatur, neque res, quoad sunt in hoc praesenti tempore, considerantur.**

56 ***d)* Ex rationibus quae ad scientiam aut ad praxim referuntur — exempli gratia, ut spatia temporis rectius distribuantur — opportunitas enascetur ut disciplinae, quae ad studia Patrum concurrunt, inter se coniungantur. Haec autem coniunctio inter disciplinas locum obtinet primarium in dogmatica : in qua synthesis efficitur ; sed et aliae multae disciplinae auxilia a Patristica sumere possunt (theologia moralis et spiritualis, liturgia ac praesertim Sacra librorum Scriptura) : quae omnes ad Patrum fontes accedendo, amplificentur et renoventur oportet. Modi, quibus haec coniunctio et relatio inter disciplinas definite fiat, ex adiunctis différent : nam aliae agendi facultates et postulata ex cursibus institutionalibus enascentur; aliae vero ex cursibus academicis in quibus specialis studiorum intentio dirigitur.**

3. MATERIA EXPONITUR

a) **Materia — id est argumentum cursus Patristicae-Patrologiae — ea est quae ex praxi scholastica colligitur et libris classicis textus tractatur : vita, scripta, doctrina Patrum atque scriptorum ecclesiasticorum antiquitatis christianae : seu aliis verbis, lineamenta biographica Patrum atque expositio litteraria, historica, doctrinalis suorum scriptorum. Sed, cum materia tractanda admodum vasta sit, ideo requiritur ut eius amplitudo circumscribatur et quaedam materiae partes seligantur.** 57

b) **Primum, qui hanc materiam docet, alumnis amorem erga Patres tradat, neque tantum eorum cognitionem; ad quam rem assequendam non in notionibus biographicis et bibliographicis solum instare expedit, sed praesertim in fontibus contrectandis. Quam ob rem materia seligenda erit ex diversis modis quibus proponi potest — qui ex primariis eorum lineis hi numerantur — :** 58

1) modus « analyticus » : quo singuli Patres exquiruntur ; qui impossibilis fere dicendus est, cum eorum numerus ingens sit, atque tempus, quod his studiis tribui potest, necessario restringatur;

2) forma « panhoramica » : qua conspectus proponitur de aetate patristica ac de iis qui inter eos principes habentur : quae utilis erit ad materiam introducendam, sed non ad ipsos fontes tractandos eosque penetrandos ;

3) modus « monographicus » : quo pauci Patres, iique ex primariis, investigandi sumuntur : qui sane peraptus est ad docendam definitam rationem Patres adeundi eorumque cogitata altius perscrutandi ;

4) tandem, modus « thematicus » : quo argumenta primaria considerantur, et ex his explicatio seu progressio in ipsis Patrum scriptis consequitur.

c) **Postquam ex his ratio tractandi Patres selecta est, alia consequatur oportet : qui textus legendi, perpendendi, explicandi. Expedit ut initio textus seligantur in quibus quaestiones theologicae, spirituales aut pastorales, catecheticae aut sociales evolvuntur : qui sane plus animis placent ac faciliores generatim sunt; hi vero, quibus de doctrina agitur ac difficiliores sunt, in aliud tempus protrahantur. Hi textus accurate expendentur dum magister cum alumno in scholis, colloquiis, seminariis, in notis informandi assidue convenit. Ex qua agendi ratione, illa familiaritas cum Patribus orietur, quae est ma-** 59

v ximus fructus qui ex hac docendi methodo percipitur. Attamen, culmen in hac opera animos conformandi obtinetur tantum, cum scholasticus sibi in Patribus quendam seligit amicum eiusque spiritum sibi comparat.

60 *d)* In studiis patristicis solida historiae Ecclesiae cognitio nullo modo minoris habenda est : qua problemata, eventus, experimenta, nuper reperta et acquisita in quaestionibus doctrinae, spiritus, pastoralis, rerum socialium, diversis illis temporibus, conspiciuntur et in unum considerantur. Ita, quamvis mens et cogitatio christiana ex Patribus initium sumit, in eis minime finit. Ex quo plane consequitur studium patristicae et patrologiae traditionem posteriorem praetermittere non posse : in qua scholastica numeratur, quatenus in hac traditione Patres praecipue adsunt praesentes. Hac ratione tantummodo unitatem et evolutionem perspicere possumus quae in ea penitus inest, ac vel intellegere quid significet ad tempora praeterita redire. Ita haec tempora minime habenda erunt quasi quid inutile ad arçhaeologos remittendum, sed re vera ut studium generans : quo nostra tempora perfectius cognoscere et ad futura aptius nos praeparare valeamus.

IV - NORMAE IN USUM DEDUCENDAE

Ex iis quae supra exposita sunt, haec deducuntur : studia patristica in materia necessaria numerantur, et themata constituunt quibus incitamur ad doctrinam theologicam excolendam et in universam formationem sacerdotalem confirmandam. Quamobrem nonnullas normas constituamus oportet ut haec studia promoveantur, et in Seminariis et Facultatibus theologicis sedem habeant quae ex eorum praestantia convenit.

61 1. Haec studia finem institutionis theologicae directo attingunt : ideo ut disciplina primaria habenda sunt, quae sua methodo suaque materia eorum propria tradatur. His consideratis quae antea dicta sunt de *Patrologia* (n. 51), haec materia minime eadem est atque Historia Ecclesiae, neque aequalis est dogmatis historiae, multoque minus, cum litteris christianis antiquis aequatur.

62 2. Patrologia-Patristica in « Ratione institutionis sacerdotalis » et in studiorum programmatis attente ac diligenter consideretur : eius materia et methodus accurate definiantur eisque sufficientes horae in hebdomada tribuantur. Quod si haec materia per tria semestria pro-

ducatur eique saltem duae horae in hebdomada decernantur, nimiae sane non videntur.

3. In Facultatibus theologicis praeter cursus institutionales Cycli I — quae sunt ex norma — seminaria cum aptis exercitationibus componantur, atque lucubraciones scriptae de quaestionibus patristicis provehantur. In II Cyclo — in quo materiae speciales altius excoluntur — scholasticorum animi eorumque intentio in haec studia stimulentur, propositis cursibus specialibus et exercitiis : quibus diversa argumenta methodologica et doctrinalia profundius cognoscant : iique ad futurum docendi munus sese praeparent. Quam superiorem studiorum qualitatem, dum thesim de argumento patrologico parant, postea ac penitus in III Cyclo perficient. 63

4. Ad docendam Patrologiam-Patristicam in Institutis .formationis sacerdotalis ii praeponantur qui in hac materia specialia studia amplexi sunt in Institutis ad hunc finem constitutis — ut in Instituto Patristico Romano quod « Augustinianum » vocantur vel in Pontificio Instituto Superiore Latinitatis (Facultate Litterarum Christianarum et Classicarum) —. Nam expedit ut magister ea facultate sit instructus qua directo ad ipsos fontes accedere possit : eaque definita methodo usus qua mentem Patrum plene ac ponderate exponere possit : opera quoque sociorum professorum, qui eandem materiam docent, maturo iudicio valeat iudicare ; atque his animi virtutibus humanis et religiosis praeditus sit quae quasi fructus prodeunt ex familiari cum Patribus communicatione, ita ut de his alios participes facere possit. 64

5. Id quoque animadvertamus necesse est : haec specialia studia de Patribus non solum ad docendam Patrologiam-Patristicam magni aestimanda esse, sed perquam utilia esse ad theologiam dogmaticam tradendam, atque ad actiones catechisticas, spirituales, liturgicas efficienter exercendas : si hae cum ea sapientia et aequabilitate componantur de quibus Patres, in suis operibus de ethica et rebus spiritualibus agentes, signanter vestigia imprimunt. 65

6. Perspicuum est autem ad studia patristica apte peragenda necessaria esse instrumenta et subsidia congruentia — ut bibliotheca rite instructa quoad patristicam (corpora seu collectiones, monographiae, commentarii seu ephemerides, léxica), atque linguas classicas et hodiernas necessarias quoque esse. Sed cum in excolendis studiis humanisticis scholae nostri temporis aperte deficiant, opus erit — quod id fieri possit — ut in nostris Institutis formationis sacerdotalis studia linguae Graecae et Latinae amplius corroborentur. 66

REM CONCLUDIMUS

Haec Congregatio — voces Concilii et Summorum Pontificum referens — animos Episcoporum et Superiorum Religiosorum attentos voluit in hoc argumentum magni momenti ad solidam conformationem sacerdotum, ad firmitatem studiorum theologicorum, ad efficientem actionem pastoralem in nostra aetate. Itaque, quae supra exposita sunt et normas decretas probato conscientiae officio et magno erga Ecclesiam amore committit, ut illud sublime specimen formationis presbyterorum nostri temporis, — etiam sub hoc aspectu, quod fieri possit — assequendum contendatur. Tandem, magnopere exoptat ut studium Patrum, diligentius excultum, ad Verbum Dei intimius perdiscendum omnes deducat et ad renovatam Ecclesiae iuventutem : quae in Patribus habuit habetque in praesentia suos magistros ac praeclara exemplaria.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis, die decimo mensis Novembris anno 1989 : die festo sancti Leonis Magni.

VILLELMUS card. BAUM, *Praefectus*

£& Iosephus Saraiva Martins
a Secretis

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita Ufficiale :

Venerdì, **27** Aprile **1990,** S. E. il Signor **MARIO SOARES,** Presidente della Repubblica del Portogallo.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, **19** Aprile **1990,** l'On. E. **HIRSCH BALLIN**, Ministro della Giustizia dei Paesi Bassi.

Martedì, **24** Aprile **1990,** l'On. **AGUSTÍN TELLEZ-CRUCES**, Inviato personale permanente del Presidente degli Stati Uniti del Messico.

Sabato, **28** Aprile **1990,** S. E. il Signor **JAIME PAZ ZAMORA,** Presidente della Repubblica di Bolivia.

Venerdì, **4** Maggio **1990,** S. E. il Signor **ABDOU DIOUF**, Presidente della Repubblica del Sénégal.

Lunedì, 9 Aprile 1990, si è riunita alla presenza del Santo Padre la Congregazione delle Cause dei Santi.

Da Sabato 21 Aprile a Lunedì 23 Aprile 1990 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nella Repubblica Federativa. Ceca e Slovacca.

Da Domenica 6 Maggio a Lunedì 14 Maggio 1990 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nel Messico.

Da Venerdì 25 Maggio a Domenica 27 Maggio 1990 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Malta.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

24 aprile 1990. S. E. mons. Paolo Romeo, Arcivescovo titolare di Vulturia, *Nunzio Apostolico in Colombia.*

28 » » S. E. mons. Andrea Cordero Lanza di Montezemolo, Arcivescovo tit. di Anglona, *Delegato Apostolico in Gerusalemme e in Palestina.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 marzo 1990. I Monsignori León Diouf; Medard Kayitakibga; i Sac. Rafiq Khoury; Joanny Nana; Michel Reeber; Solomon Wardani; i Padri Daniel Acharuparambil, O.C.D.; Johannes B. Banawiratma, S.I.; Metri Haji-Athanasiou; Thomas Matus, O.S.B.; Albert Nambiaparambil, C.M.I.; Louis Pelatre, A.A.; Francesco Pierli, I.C.CM.; Jan Swyngedouw, C.I.C.M.; Paul Tan Chee Ing, S.I.; Augustin Thottakara, C.M.I.; Raymond Zimmerman, C.S.Sp.; Paul Sue In-Syek, S.I.; le Suore Katherine McDonald, N.D.S.; Marie André Mitchell, S.N.D.; Patricia Stowers, S.M.S.M.; il Sig. John Borelli, *Consultori del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso.*

» » » Il Sac. Dhiranand Bhatt; i Padri Maurice Borrmans, M. Afr.; Aloysius B. Chang, S.I.; James Channan, O.P.; Pierre-François de Bethune, O.S.B.; Jacques Dupuis, S.I.; il Sac. Julio C. Elizaga; il P. Jean Landousies, C.M.; il Sac. Charles Nyamiti; il P. Augustinus Ichiro Okumura, O.C.D.; il P. Albert Poulet-Mathis, S.I.; il P. John K. Thoonnununkalparambil, S.I.; la Suora Eugenia da Costa, R.N.D.M.; il Sac. Giuseppe Zanghì, *Consultori del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso « in aliud quinquennium ».*

20 marzo 1990. S. E. mons. José Ivo Lorscheiter, Vescovo di Santa Maria, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per il Clero.*

6 aprile » S. E. mons. Jean-François Arrighi, Vescovo tit. di Vico Equense, *Vice-Presidente del Pontificio Consiglio per la Famiglia,* « attento autem praescripto Const. Ap. *Pastor bonus,* Art. 5 n. 2 ».

» » » Mons. Francesco Gil Hellin, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia « in aliud quinquennium ».*

20 » » Il Prof. Radim Palous, *Membro del Comitato Internazionale del Pontificio Consiglio della Cultura.*

24 » » S. E. mons. Girolamo Prigione, Delegato Apostolico nel Messico, *Inviato Speciale Permanente della Santa Sede presso il Governo Messicano.*

1 maggio » S. E. mons. Cipriano Calderón Polo, Vescovo tit. di Tagora, *Membro del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali.*

2 » » S. E. mons. Salvatore Delogu, Vescovo emerito di Valva e Sulmona; Mons. Rolando Zera; Don Eric Schmidt; Don Luigi Bogliolo, S.D.B.; Don Dario Composta, S.D.B. ; P. Philip Boy ce, O.C.D. ; P. Corrado Gneo, O.F.M. Cap. ; P. Fidel González Fernández, M.C.C.I. ; P. Atanasio Matanié, O.F.M. ; P. Sergio Pagano, B., *Consultori delia Congregazione delle Cause dei Santi «.in aliud quinquennium)).*

4 » » Le LL. EE. i monsignori Angelo Palmas, Arcivescovo tit. di Vibiana, e Karl-Josef Rauber, Arcivescovo tit. di Giubalziana, *Membri Vescovi soprannumerari della Congregazione per i Vescovi.*

15 » » I Monsignori Pietro Principe; Francesco Croci; Paolo Sardi, *Capi Ufficio nella sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

NECROLOGIO

11 aprile 1990. Mons. Samuel Silverio Buitrago Trujillo, Arcivescovo di Popayan *(Colombia).*

15 » » Mons. Angelo Tarantino, Vescovo em. di Arua *(Uganda).*

20 » » Mons. Joseph Ignace Waterschoot, Vescovo em. di Lolo *(Zaire).*

23 » » Mons. Vincent Hiñes, Vescovo em. di Norwich *(Stati Uniti d'America).*

30 » » Mons. Aurelio Signora, Arcivescovo tit. di Nicosia.

4 maggio » Mons. Sinforiano Lucas Rojo, Vescovo tit. di Boreo.

5 » » Mons. Pedro Magugat, Vescovo di Urdaneta *(Filippine).*

8 » • » Card. Tomás Ó Fiaich, del Titolo di S. Patrizio, Arcivescovo di Armagh *(Irlanda).*

» » » Mons. Jean Lesourd, Vescovo em. di Nouna-Dedougou *(Burkina Faso).*

10 » » Mons. Luis Miguel Cantón Marín, Vescovo di Tapachula *(Messico).*

16 » » Mons. Lawrence Graziano, Vescovo em. di San Miguel *(El Salvador).*

18 » » Card. Joseph Marie Trinh Van Can, del Titolo di Santa Maria in Via, Arcivescovo di Ha Nói *(Viêt Nam).*

23 » » Card. Julian Vaivods, del Titolo dei Ss. Quattro Coronati, Amministratore Apostolico « ad nutum Sanctae Sedis » di Riga e di Liepaja *(Lettonia)* .

27 » » Mons. Francesco Javier Gillmore Stock, Vescovo tit. di Auzia.

Recens nuntiatum est Villelmum van Rester, episcopum em. Basankusuensem die 7 Aprilis, Ioannem Iosephum Maguire, archiepiscopum, Tabaltensem die 6 Iulii, anni 1989, de vita decessisse.

An. et vol. LXXXII 5 Iulii 1990 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beatus Mucianus Maria Wiaux Sanctus esse decernitur et definitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Cunctis perspicuum est, omnes christifideles cuiuscumque status vel ordinis ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem vocari, qua sanctitate, in societate quoque terrena, humanior vivendi modus promovetur » (CONC. OECUM. VAT. II, Const. Dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 40).

Vocationi ad sanctitatem humiliter et alacriter respondit etiam Beatus Mucianus Maria, in saeculo Aloisius Iosephus Wiaux, qui exercitium consiliorum evangelicorum temperando cum studio apostolico, magnos fecit progressus in via perfectionis nec parum meritus est de Ecclesia deque societate civili tum fidei claro testimonio, tum apostolatu pro pueris explicato.

Beatus Mucianus ortus est die 20 mensis Martii anno 1841 Mellet, in parvo Tornacensis dioecesis pago, a Ioanne Wiaux et Elisabetha Badot, qui bona eum educatione religiosa instituerunt. Quindecim annos natus Namurci novitiatum ingressus est Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, ubi statim eminuit cura Christum imitandi et Regulae diligenti observantia. Die 14 mensis Septembris anno 1859 ad vota religiosa trium annorum est admissus, quae in diem 20 mensis Septembris anno 1869 iteravit, cum vota perpetua nuncupavit. Toto vitae consecratae tempore in puerorum educationem incubuit primum in oppido Chimay, deinde Bruxellis et in loco patrio sermone Malonne

appellato. Initio suae actionis didacticae in non parvas incurrit difficultates, iuvenili aetate, imperitia effectas necnon inscitia servandae disciplinae. Qua re ei humiliora sunt munia concredita, quale fuit munus docendi picturam linearem et musicam, quamquam ad duas has disciplinas peculiariter aptus non erat. Eodem tempore se dedidit pueris ad catechismum instituendis in schola gratuita cum ephebeo coniuncta. Haec exsecutus est officia plena cum alacritate et accuratione, singularem ostendens spiritum tolerandi asperitates et amabilem in suos alumnos navitatem ; qui ex eius opera et magis ex eius exemplo multum perceperunt fructum. Quantum potuit, aliis etiam profuit, praesertim afflictis, aegrotis et ad se adeuntibus ut in consilium eum adhiberent. Quamvis in occultatione viveret, lucernae similis fuit quae, super candelabrum posita, lucet omnibus qui in domo sunt (cf. *Mt* 5, 15). Non enim ob opera et facta fulsit conspicua, sed ob altam fidem, solidam spem, ardentem caritatem. Animus eius continuo in Deo defixus erat — quem summopere diligebat — in deprecatione et in christianarum veritatum contemplatione, ad quas etiam proximum instruere nisus est. Peculiari pietate Eucharistiam coluit, Domini Incarnationem et Passionem, Virginem Mariam, quam frequenter honorabat Rosarii recitatione. Sui ipsius neglegens rerumque terrestrium, cum simplicitate humilitatem exercuit et paupertatem, fortis mansit et serenus in difficultatibus, patiens in acerbitatibus, a mundi aestimatione alienus. Maxime, contra, optabat voluntatem Dei fideliter facere et Antistitum, sine intermissione in via progredi perfectionis et ad ultimum aeternum consequi praemium. Cum sedulitate, gaudio et perseverantia Regulam observavit quam susceperat et vota religiosa tamque perfectus evasit, ut « Regula viva)) sit habitus. Ad extremum vitae cum pervenisset fas fuit ei grato animo exclamare: «Quam felices ii sunt qui, sicut ego, iamiam morituri, semper multa religione sunt Virginem Mariam venerati ». Ita sentiens pie est vita defunctus die 30 mensis Ianuarii anno 1917 ih valetudinario Domus in loco Malonne sitae.

Fama sanctitatis, qua vivus floruerat, celeriter post mortem crevit; quam ob rem Episcopus Namurcensis Causam iniit canonizationis. Processibus Ordinario et Apostolico celebratis consuetisque theologicis perfectis inquisitionibus, Decretum editum est super virtutibus, die 4 mensis Maii anno 1970. Duabus sanationibus faventi cum exitu perspectis precibus tributis Fratris Muciani Mariae, Summus Pontifex Paulus VI, Decessor Noster bo. me., die 30 mensis Octobris anno 1977 Servum Dei in Beatorum album adscripsit. Aliquot post annos Namurci Processus canonicus actus est de mira coniecta sanatione eiusdem Beati attributa deprecationi. Postquam autem eandem sanatio-


nem medici et theologi, sicut consuetudo postulat, tractaverunt, felici sane cum exitu, coram Nobis Decretum ad illam spectans super miro vulgatum est die 7 mensis Septembris anno 1989. Deinde, post auditas faventes sententias Patrum Cardinalium et Episcoporum a Nobis in Consistorium convocatos die 20 mensis Novembris eodem anno, decrevimus ut Canonizationis ritus die 10 insequentis mensis Decembris celebraretur.

Hodie igitur in Sancti Petri Basilica Vaticana inter Missarum sollemnia hanc sumus formulam elocuti : « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Mucianum Mariam Wiaux Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eum in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Novum deinde Sanctum religiose venerati, ab eo vehementer postulavimus ut per suas preces Domino continenter adhibitas, Christifidelibus auxilium impetraret, quo virtutes imitati ab ipso in terris exercitas, maxime in Deum et in proximum caritatem, ad idem, quod is est assecutus, caeleste Regnum pervenirent.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***



Loco Plumbi
In Secret. Status tab., **n.** *258.520.*

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CARACENSIS GRAECORUM MELKITARUM CATHOLICORUM

Apostolicus Exarchatus pro Christifidelibus ritus byzantini Graecis Melkitis in Venetiola degentibus constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo longius quidem a proprii ritus incunabulis sedibusque pristinis, quascumque id evenit ob causas, avocantur Christifideles peculiaribus quibusdam Catholicis addicti et inscripti Ecclesiis, eo maius sane opus Matri Ecclesiae impendet et gravius Petri Successori ipsi officium, ut spiritalibus eorum necessitatibus et pastorali curationi prospiciatur certis interdum captis consiliis, quibus praesertim Concilii Vaticani Secundi voluntas iisdem de communitatibus impleatur ac singulorum locorum adiuncta diligenter respiciantur. Cum igitur Venerabilis Frater, Beatitudo Sua Maximus V Hakim una nimirum sua cum Synodo intellexisset quae essent quantaeque pastorales Christifidelium necessitates ritus byzantini Graecorum Melkitarum in Venetiolae natione, non optima sine solidissimaque quidem ratione petiverunt ab hac Sede Apostolica ut pro commemoratis fidelibus ea ipsa in civitate propria excitaretur ecclesialis circumscriptio unde efficacius multo possent et proprius adiuvari ac sustentari iidem Catholici suo in ritu maiorumque in Ecclesiae suae usu. Quod porro propositum quandoquidem Nobis usquequaque probabile videtur ac singulariter prorsus eorundem fidelium uni efficacique regimini profuturum, prompta voluntate Suae Beatitudini adsentimur Nostraque potestate omnem in Ecclesiam utimur ut Apostolicum constituamus Exarchatum pro Christifidelibus ritus byzantini Graecis Melkitis in Venetiola degentibus secundum iuris orientalis praescripta. Iubemus deinde Exarchatus huius sedem in urbe Caracensi collocari cunctasque ad amussim servari in posterum iuris normas talem ad dicionem ecclesiasticam quoquo modo pertinentes. Sperantes Nos tandem vehementer fidentesque mox laetificos hic exceptum iri nuntios de novae huius communitatis ecclesialis solida constitutione, sapienti gubernatione,

continua progressione, volumus has Nostras Litteras Apostolicas tam nunc plenam suam habere auctoritatem quam postilla, contrariis quibusvis rebus aut causis minime profecto obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Februarii anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

SB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

SIMON card. LOURDUSAMY
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 258.034.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Teresiae Benedictae a Cruce (Edith Stein) Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos » *{Io* 8, 31-32).

Diuturna quidem veritatis subtilique peracta investigatione Venerabilis Dei Serva, Soror Teresia Benedicta a Cruce, cui saeculare Edith Stein nomen, superna usque opitulante gratia in Christi pervasit ipsius cognitionem cuius evangelico nuntio omni sua cum mente et animo cunctisque pariter cum viribus inhaesit, ubi est proinde beatitatem experta penitus eorum scilicet propriam « qui audiunt verbum Dei et custodiunt » *(Lc* 11, 28). Novi porro Foederis in populum adscita summarum ad lucem veritatum continenter vixit filiorumque Dei ad libertatem, quae perfectionis christianae iter alacritate voluntatis ac tali simul firmitate percucurrit demum ut tandem sanguinem ipsum profundens totam obtulerit profecto vitam in amoris sui, suae fidelitatis erga Magistrum Divinum testificationem.

Vratisiaviae die duodecimo mensis Octobris orta anno millesimo octingentesimo nonagésimo primo Iudaeis nempe parentibus Sigefrido Stein et Augusta Courant, maiorum suorum cum fidem religionemque imbibisset, progrediente tamen aetate Deum re ipsa ac vitae usu esse negabat pro eiusque cultu suam institutionem humanam permagno nimirum studio felicique eventu prius perficiebat Universitatem apud Vratislaviensem, Gottingae dein et postremo Friburgi Brisgavorum, quo denique loco consecuta millesimo nongentesimo sexto decimo anno est philosophiae lauream suique etiam adiutrix magistri constituta.

Effecerunt autem ardentium quorundam Christifidelium convictus tum mens candido affectu patens veritati tum vitae narrationis lectio ab ipsa Sancta Teresia Abuleiisi contextae, ut eius et laberetur infidelitas et fulgidum Christi lumen oculis oreretur mentis. Sacramentum propterea baptismatis, additis sibi Teresiae et Hedwigis nominibus, anno millesimo nongentesimo vicesimo altero Kalendis ipsis Ianuariis suscepit eodemque die Sacram primum Synaxim cui, brevi post, die Februarii videlicet secundo, Confirmationis accessit sacramentum.

Operi nihilo minus studiose se sollerterque docendi interea dedebat ac philosophiae et scientiae disciplinis, quarum multiplices fructus eruditis suis disseminabat acroasibus necnon notabilibus scriptis, unde tam in patria magni aestimabatur quam peregre procul. Insigniter enim fidem, quam erat ipsa amplexa, suis cum humanitatis scientiaeque studiis conciliare sciebat id nescia quidem praemuniens et intus in animo praesagiens quod postmodum erat Concilium Vaticanum Secundum egregie inculcatur um : « Inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si modo vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversantur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt» *(Gaudium et spes,* 36).

Nova in Christo effecta creatura progredi ulterius simul in catholica perscrutanda doctrina pergebat simul in Christo Iesu sectando quem ex ipsius Incarnationis Passionisque potissimum mysteriis^ illa contemplabatur. Propalam semper et ubique suam testificabatur fidem abunde quam liturgia sacra alebat ac diuturna Eucharistici Sacramenti adoratione et sedula precatione. Quo autem in suscepto itinere fructuosius multo procederet, prudentium animi magistrorum sese concredebat moderationi docilem, atque apostolatu una inter alumnas nominatim et sodales libens fungebatur cuius sic mores evangelii collustrabantur institutis et omnis agendi ratio tali perfundebatur interiore

exterioreque modestia, ut quotquot eam offehdissent, facere ipsi non possent quin et vehementer diligerent et ducerent etiam plurimi.

Posthabitis vero carissima quidem matre ipsaque docendi industria anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio die quarto decimo mensis Octobris licuit denique ei pristinum suum complere propositum, se videlicet Domino Christo totam devovendi. Coloniae enim Agrippinae monasterium ingressa carmelitarum Vallis Tiliaceae religiosum induit habitum die quinto decimo mensis Aprilis subsequenti anno indiditque nomen sibi Sorori Teresiae Benedictae a Cruce, quo tum in Crucem Domini Nostri ardentem suum testaretur amorem tum peculiarem erga Teresiam a Iesu pietatem. Magnopere nimirum laetans temporaria nuncupavit anno millesimo nongentesimo tricesimo quinto vota deindeque anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo perpetua die vicesimo primo mensis Aprilis.

Conflictantibus iam in Germania Iudaeos ipsis socialistis nationalibus, timentes merito ut Venerabilis Dei Serva salva posset inibi incolumisque diu remanere, persuaserunt moderatrices eius ut ad Carmelum commigraret prudenter Echtensem in Batavia ubi fraterno sane affectu est a sodalibus recepta mensis Decembris ultimo die anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo.

Perpetuam prae se ferebat Domini laudationem ipsius vita claustralis ac fidei altae stabilisque testificationem cui actuosa quaedam et integra caritas coniungebatur necnon certissima de Deo illiusque provido amore fiducia. Coram Domino demissa semper tacitaque versabatur sese offerens ac fideliter tum Regulae parens tum coenobii sui consuetudinibus, cum divinam in iis deprehenderet voluntatem. Magnum quidem liturgiae sacrae pondus tribuebat haud secus ac Sacrarum Litterarum meditationi dum aeternas contemplabatur veritates et in precationem incumbebat continentem. Ipsa se mortificans eximia prorsus cum morum simplicitate communitatis totius deserviebat commodo ac ministerio, atqui in primis sororum aegrarum vel alia quavis causa laborantium. Ecclesiae vero munus foris opusque studiosa ipsa communicabat cuius supremo Magisterio omnibus in partibus obtemperaban Fortis mulier ac sapiens, docta ac magnanima singulis uti sciebat opportunitatibus oblatis ut in Christi cresceret sequela atque imitatione seque consilio suo et oratione et exemplo ceteris omnibus utilem redderet. Antistitum autem arbitratu et voluntate minime sua disciplinarum studia excolere intermittebat utpote quae Dei ipsius obsequium esse censeret cum Eoque coniunctionis instrumentum.

Coenobium cum ingrediens participem Christi se cruciatuum fieri cupiisset suo est ea tempore exaudita. Crux enim illa, qua« in Iudaicum ingruerat populum ad internecionem nempe delira quadam perversaque mente designatum, ipsius erat aequabiliter crux quam religioso in secessu quoque die totum per consecratae vitae suae tempus cum caritatis suique oblationis habitu gestabat. Cum vero densiores iam tenebrarum obscuritates eius obvolvissent populum, expiationis se hostiam nihil dubitavit praebere, qua veram a Deo impetraret pacem. Scripsit enim inter alia die vicesimo sexto mensis Martii anno millesimo nongentesimo undequadragesimo : « Nihilum me esse novi ; at hoc Iesus poscit ad quod alios etiam multos aliquando vocabit ».

Secum igitur Germani Bataviam obtinentes, vexationum Iudaeorum initium in eam pariter intulerunt nationem, cuius vehementer Episcopi promulgatis cito pastoralibus litteris repugnaverunt. Nec aliter sunt illam iniuriam dominatores ulti quam fidei etiam catholicae Iudaeis ad necem deportandis.

Die proinde altero mensis Augusti anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo Venerabilis Dei Serva una cum sorore uterina Rosa, catholicam similiter profitente pie religionem, comprehensa est, sibique plane conscia maximi iam advenisse sacrificii tempus, calvariam aequo profecto animo conscendit voluntati caelestis Patris ad obsequendum funditus parata necnon suam ad vitam tradendam pro pacis extrema victoria conversioneque et non credentium et Ecclesiae insectatorum. Delata haud multo post in publicae custodiae campum prope oppidum Oáwiecim Cracoviensis provinciae cum sorore simul aliisque die nono Augusti anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo letifero interempta vapore periit.

In Iudaeos maxime ipsamque Christi Sponsam odii capitalis ea veluti piacularis effecta victima, viventem sui diu reliquit recordationem nec ambiguam sanctimoniae famam, quae cum adhuc in terris versanti obvenisset ei, post mortem mirum quantum increvit ut Venerabilis Frater Noster Archiepiscopus Coloniensis instituendo rite informativo processu ordinario inter annum millesimum nongentesimum sexagesimum secundum ac septuagesimum secundum canonizationis Causae initium feliciter fausteque fecerit.

Exactis consueto quidem more apud Congregationem de Causis Sanctorum investigationibus cunctis die vicesimo sexto Ianuarii mensis huius ipsius anni, Nostro coram in conspectu prodiit decretum quo heroum omnino in modum virtutes cardinales ipsas théologales ceterasque iisdem adiunctas exercuisse diceretur publice ac legitime Soror Teresia Benedicta a Cruce Ordinis Carmelitarum Discalceatorum suaque

etiam morte verum nuntiaretur martyrium ob Christi fidei odium pertulisse. Ac praeterea eodem die Beatificationis liturgicum ritum ediximus Kalendis Maiis salutationis scilicet pastoralis Nostrae tempore eventurum hoc anno Coloniae Agrippinae in Germania.

Hodie ideo mane sollemnia eiusdem Beatificationis libentes quidem amplissimo in stadio suburbii Coloniensis « Müngersdorf » appellati explenda suscepimus ante interminatam vere Cardinalium et Episcoporum Fratrum multitudinem sacerdotum sodaliumque ex religiosis familiis, at potissimum supremis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum magistratibus singularumque eius provinciarum legatis adstantibus et gratulantibus, cum paramenta sacra ex huius Servae Dei religiosis vestitibus confecta gerentes Sacrificium Eucharisticum pro innumerabilibus Christifidelibus omni de orbe confitentibus eius rei causa litavimus exaudientesque preces ad Nos instanter admotas hanc ipsam elata voce formulam ad Dei maiorem gloriam Ecclesiaeque aedificationem protulimus : « Nach Beratung mit der Heiligen Kongregation für die Selig- und Heiligsprechungsprozesse erfülle ich die Bitte meines Bruders Joseph Kardinal Höffner, des Erzbischofs von Köln, vieler anderer Brüder im Bischofsamt sowie zahlreicher Christgläubiger und gestatte kraft meiner Apostolischen Autorität, dass die Ehrwürdige Dienerin Gottes Teresia Benedicta a Cruce — Edith Stein — künftig Selige genannt wird und ihr Fest alljährlich am 9. August, ihrem Todestag, nach Massgabe des Gesetzes an den hierfür vorgesehenen Orten und in entsprechender Weise gefeiert werden kann. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Oratione dein Nostra placuit valde qualitatem eximiae huius mulieris efferre virtutesque vitae tam exterioris quam umbratilis proponere at animi potissimum excelsitatem extollere eius in agendo patiendoque pro Christo et Ecclesia necnon pro gente propria tot tantisque affecta iniuriis. Singula ideo et universa quae hisce Litteris Apostolicis pronuntiavimus consulto fierique iussimus et sivimus, perpetua ut ubique persistant et immutata volumus contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Coloniae Agrippinae in Germania, sub anulo Piscatoris, die i mensis Maii anno MCMLXXXVII Pontificatus Nostri ix.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco S Sigilli
In Secret. Status tab., n. 227487.

II

Venerabili Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Religiosi omnes fidei integritate, caritate erga Deum et proximum, amore crucis necnon spe futurae gloriae, Christi bonum nuntium in toto mundo diffundant, ut testimonium eorum ab omnibus conspiciatur et Pater noster qui in caelis est, glorificetur (cf. *Mt* 5, 16) » (CONC. OECUM. VAT. II, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 25).

Haec omnia egregia perfecit etiam Venerabilis Serva Dei Maria a Iesu Bono Pastore, in saeculo Francisca Siedliska, quae Sacram Familiam Nazarethanam sequens didicit voluntatem Dei fideliter, amanter et constanter facere et in mundo lucem Evangelii et caritatis ignem diffundere.

Orta est in castello loci Roszkova Wola apud Varsaviam, die 12 mensis Novembris anno 1842, ex opulentis et nobilibus parentibus Adolfo Siedliski et Caecilia Morawska, qui ut diligenti humanitatis et religionis formatione instrueretur consuluerunt.

A pueritia vehementer Domino se consecrare exoptavit, sed, patre nolente, opportunius fuit ei tempus exspectandum. Interea res adversae et dolores ei non defuerunt per valetudinis incommodae causam obque Polonicae rei publicae condiciones, quae eam adduxerunt ad migrandum de patria. Anno 1873, cum posset tandem priscum obtinere propositum, magistro spiritus monente vota privata nuncupavit paupertatis, oboedientiae et castitatis, statuitque novam condere religiosam familiam femininam, quae biennio post Romae nata est et postea nomen cepit Sorores Sacrae Familiae Nazarethanae. Institutum, cuius Antistita Generalis fuit usque ad mortem, ea prudenter et sapienter moderante celeriter crevit seseque in multas nationes extendit, de exsulibus Polonis, qui e patria migraverant, curam adhibiturum. Sollicitudo de Congregationis regimine eam non sevocavit a prospiciendo magna cum diligentia vitae suae spiritali. Cum Deum insatiabiliter esuriret, sine intermissione progressa est in Christi cognitione et imitatione, assidua in deprecatione, ardens in pietate erga Eucharistiam, Spiritum Sanctum et Virginem Mariam, sui neglegens et terrestrium bonorum, in asperitatibus fortis, humilis in omnes, audax in gloria Dei et animarum salute provehenda. Spiritu fidei mota Ecclesiam amavit eique alacriter servivit et maximum ostendit in Summum Pontificem amorem. Domorum institutionis immani labore confecta, duris peregrinatio-

nibus ac gravibus adversis casibus, pie Romae est vita defuncta die 21 mensis Novembris anno 1902, Filiis suis tamquam spiritali testamento relicta triplici invocatione, quae fuit : « Caritas, caritas, caritas ».

Manente eius fama sanctitatis, anno 1922 inita est canonizationis Causa. Processibus Ordinariis et Apostolicis actis, faventi cum exitu virtutes inspectae sunt Venerabilis Servae Dei et coram Nobis, die 29 mensis Aprilis anno 1980 decretum editum est ad eas pertinens ; quod consuetae explorationes secutae sunt medicorum et theologorum de coniecta mira sanatione ; quorum post dictas secundas sententias, coram Nobis praesentibus proditum est decretum super miro Kalendis Septembribus anno 1988.

Dein statuimus ut Beatificationis ritus die 23 mensis Aprilis insequentis anni celebraretur.

Hodie igitur, in foro ante Vaticanam Sancti Petri Basilicam sito, inter Missarum sollemnia hanc formulam ediximus : « Nos, vota Fratrum nostrorum Eliae Yanes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustana Hugonis Poletti, Vicarii Nostri in Urbe, Simonis Scatizzi, Episcopi Pistoriensis atque Aloisii Alberti Vachon, Archiepiscopi Quebecensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Martinus a Sancto Nicolao, Melchior a Sancto Augustino, *Maria a Iesu Bono Pastore,* Maria Margarita Caiani, et Maria Catharina a Sancto Augustino, Beatorum nomine in posterum apellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Martini a Sancto Nicolao et Melchioris a Sancto Augustino, die undecima Decembris; *Mariae a Iesu Bono Pastore,* die vicesima prima Novembris ; Mariae Margaritae Caiani, die octava Augusti ; Mariae Catharinae a Sancto Augustino, die octava Maii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem his Litteris decrevimus, ea et nunc et in posterum firma et rata esse volumus, contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Aprilis anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

SB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 258.067.

III

Venerabili Servae Dei Mariae Catharinae a S. Augustino Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quamvis cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbat, Christus Dominus semper e numero discipulorum vocat quos vult ipse, ut sint cum illo et ut mittat eos gentibus praedicare. Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit, vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat» *(Ad gentes,* 23). Ad famulam Dei quod attinet Mariam Catharinam a S. Augustino, communi eiusmodi vocatione eam a Christo Domino evocatam esse propterea pro certo habemus, quod, cum clarissime ipsa adhuc adulescens id intellexisset suum esse thesauros christianae fidei cum gentibus communicare, idcirco, fervida iam tunc caritate erga Deum et in homines impulsa, non dubitavit patriam relinquere Christiani Nominis testandi causa in Civitate Canadensi. Gallico in oppido ((Saint-Sauveur-le-Vicomte » die III mensis Maii nata, anno Domini MDCXXXII, ad sacrum Fontem delata est a parentibus Iacobo Simon de Longprey et Francisca Jourdan de Launay, qui nomen Catharinam imposuerunt ei; neque est dubium quin gratia Dei cum Baptismate ei tradita, quasi semen deiectum in terram fecundam, uberes exinde in Catharina effecerit fructus. Tenera enim aetate sibi statuerat placita Dei semper servare seseque missionariae illi quam diximus vocationi devovere ; quo spectans, non modo quodlibet peccatum vel minimum vitabat, sed etiam sanctimoniae viam magno sane animo, tum piis precibus Deum colendo, tum aegris pauperibusque deserviendo, percursare fideliter contendebat. Anno MDCXLII, die quidem VIII mensis Septembris, Catharina nomen simul et Sodalicio Rosarii Marialis et Consociationi « Hominibus servitute liberandis » dedit seque Beatae Mariae Virgini tradidit, quadam scriptura exarata suoque sanguine signata. Augustoduri in urbe, ubi anno MDCXLVI ut novitiam receperant Moniales Hospitalares a misericordia Ordinis S. Augustini, eiusmodi tirocinio optime impleto, sese Deiparae Virgini Mariae iterum dedidit; anno autem MDCXLVIII, post scilicet, quam se pollicita erat profecturam in Canadam illicque aetatem missionariae Christi acturam esse usque ad mortem, Namnetibus professionem religiosam nuncupavit die IV mensis

Maii. Patris dissensione tandem expugnata, necnon laborioso deinde itinere confecto, in quo ea peculiare experta est praesidium B.M.V., eodem anno Quebecum die xix Augusti attigit, quod unum in Canada tunc oppidum erat, dum cetera plerumque loca, ubi suum complures martyres sanguinem profuderunt, a nonnullis Indorum tribubus obtinebantur secum ipsis perpetuo pugnantibus. Studiosa igitur operae praestandae laborisque patiendi ad incolas illos adiuvandos, Maria Catharina a S. Augustino in novam vivendi agendique rationem sese modeste alacriterque insinuavit. Quo melius apostolatui et catechesi vacare posset, linguas utique didicit illius gentis, at potissimum hospitalari operi institit assidendi aegris, quorum valetudini atque saluti perquam sollicita studebat ac liberaliter. Ob conspicuas posthac sive naturae sive divinae gratiae dotes, quibus sane suppeditabatur, in variis constituta est auctoritatis muneribus, qualia v. g. erant officia dispensatricis generalis et monasterii et valetudinarii, necnon moderatricis ipsius valetudinarii atque magistrae novitiarum. Dum M. Catharina, ad suam utilitatem nihil referens, mandata sibi munia perite ac prudenter studioseque omnino absolvebat, ipse animus eius, qui vivissima fide illustrabatur veraque ardebat caritate, constanter erat cum Deo coniunctissimus, a quo fidelis famula beneficia accipiebat copiosa mysticisque motibus animi fruebatur solito maioribus, quae nemini alii, nisi assidentibus magistris spiritus atque Beato Francisco Montmorency Laval, qui primus fuit Episcopus Quebecensis, nota erant. Latenter etiam spiritus vexationes experta est haud paucas, quae tamen, quamvis vehementes interdum atque acerbae, nihil ei de siti sanctitatis detrahere valuerunt neque mentem eius ab officiis implendis avertere. Quin etiam, ut christianae virtutes semper exacte ab ea iucundeque ante omnium oculos exercitae, ita et plena obtemperatio sive sacris quae nuncupaverat votis, sive Regulae monasticae, in publicum prodibat. Ab amore sui et a terrestribus commodis omnino seiuncta, Patris vero Caelestis beneplacito Antistitumque voluntati accommodata, M. Catharina exemplo divini Magistri ad gloriam Dei sese contulit et ad hominum salutem. In Evangelio disseminando et in proximo misericordia prosequendo invictam a labore se praebuit, de aegrotis immo ac pauperibus adhuc sollicitiorem, apud Sorores iucundam, in perpessione aerumnarum fortem, in itinere ad perfecta prudentem, erga omnes modestam et iustam. Ut quid vero conferret ad augendam Ecclesiam, M. Catharina, suis viribus aut consiliis minime confidens, maxime curabat ut graves apostolatus et caritatis labores ea respergerentur

Dei gratia, quam ipsam et assiduis precibus Ei adhibitis et fervido cum in Eucharistiam tum in Beatam Virginem Mariam cultu et frequentibus piaculis suique ipsius castigationibus merere moliebatur. Fragiiis valetudo, quae nihilominus tamen alacrem Dei famulam ab amplo eodemque frugifero apostolatu absolvendo nequaquam prohibuerat, prorsus dereliquit eam, fere subito. Anno MDCLXVIII de hac vita pie decessit die VIII mensis Maii, brevem post morbum. Eademque, antequam ingrederetur beatam aeternitatem, desiderio sane incensa obviam Deo tandem se dandi, ter exclamavit : « In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum ». Quod vero caput est rerum, fama sanctitatis, quam sibi M. Catharina iam conciliaverat hisce degens in terris, maior profecto post mortem est facta, consequentibus etiam consideratis compluribus gratiis ac sanationibus, quae ei ascribebantur intercedenti. At obstantibus tamen difficultatibus, quae ceteroqui a venerabili Serva Dei alienae erant omnino, initium Causae canonizationis haud ante factum est, quam anno MCMXXIII. Apud Curiam enim archiepiscopalem Quebecensem annis MCMXXIII-MCMXXVI ordinario instruendo processui informativo necnon apud episcopalem Augustoduri Curiam annis MCMXXIV-MCMXXV processui rogatoriali data est opera. « Positio super introductione Causae et virtutibus », quae, moderante Congregationis pro Causis Sanctorum Officio Historico, expedita est, ad Consultores Históricos deinceps ipsosque ad Consultores Theologos necnon ad Patres Cardinales atque ad Episcopos cum relata esset, exitum habuit felicem. Anno autem MCMLXXXIV, Nobis adstantibus, Decretum die ix mensis Iunii editum est, quo agnovimus Sororem Mariam Catharinam a S. Augustino heroum in modum virtutes théologales et cardinales exercuisse reliquasque his haerentes. Canonico apud Curiam Quebecensem processu (annis MCMLXVII-MCMLXVIII) ad id proprie instructo, ut de sanatione cognosceretur, quae anno MCMLXII ipsa intercedente Serva Dei divinitus effecta censebatur ea in urbe, res apud Dicasterium eiusmodi negotiis praepositum a medicis speciali studio excultis cum excussa esset atque a Theologis necnon a Patribus Cardinalibus ac Episcopis, anno MCMLXXXVIII per Decretum « super miro » die xxviii mensis Novembris editum confirmavimus id verum esse miraculum a Deo patratum venerabili Maria Catharina a S. Augustino intercedente. Die igitur praestituto eius Beatificationi declarandae, hodie Nos venerabilibus Servis Dei *Mariae Catharinae a Sancto Augustino,* Martino a Sancto Nicolao, Melchiori a Sancto Augustino, Mariae a Iesu Bono Pastore, Mariae Margaritae Caiani Beatorum hono-

res publice ac sollemniter decernentes, hic in Basilica Petriana inter Sacra hanc elocuti sumus formulam : « Nos, vota Fratrum nostrorum Eliae Yanes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustani, Hugonis Poletti, Vicarii nostri in Urbe, Simonis Scatizzi, Episcopi Pistoriensis atque Aloisii Alberti Vachon, Archiepiscopi Quebecensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Martinus a Sancto Nicolao, Melchior a Sancto Augustino, Maria a Iesu Bono Pastore, Maria Margarita Caiani, et *Maria Catharina a Sancto Augustino,* Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Martini a Sancto Nicolao et Melchioris a Sancto Augustino, die undecima Decembris; Mariae a Iesu Bono Pastore, die vicesima prima Novembris ; Mariae Margaritae Caiani, die octava Augusti ; *Mariae Catharinae a Sancto Augustino,* die octava Maii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Sueta etiam oratione habita de vita ac virtutibus Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Aprilis, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

✠ AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 251.216.

IV

Venerabili Servo Dei Antonio Lucci Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat » *(Io* 15, 16). Haec Domini verba, quibus est Apostolos allocutus, nos scimus posse ad omnes Apostolorum successores referri, ad eorum adiutores in Ordine presbyterali et ad omnes qui se Christo sequendo per evangelica consilia tradiderunt. Cum autem reperimus aliquem electum a Deo in vita plene ad effectum adduxisse divinae

vocationis propositum indeque copiosos edidisse fructus, nosmetipsos sentimus gaudio spiritali repletos et Dominum laudamus, qui mirabilia operatur in electis suis. Huiusmodi gaudium in nobis oriri animadvertimus, cum eadem illa verba Domini ad Venerabilem Servum Dei Antonium Lucci traducimus, qui quidem electus est ut in Ecclesia esset testis consecratus perfectionis evangelicae, sacerdos et episcopus secundum cor Dei.

Servus Dei Antonius Lucci natus est Agnone in dioecesi Triventina, in regione Molisana, die n mensis Augusti anno MDCLXXXII a piis parentibus, qui eum christiane educaverunt et mature in studiorum viam induxerunt. Admissus ad Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, novitiatum perfecit Aeserniae, et, facta anno MDCIIC professione, curriculum iniit philosophicum et theologicum, quod explevit in Sacro Conventu Assisiensi, nisus eodem tempore spiritum induere seraphici sui Patris S. Francisci. Assisii est etiam ordinatus sacerdos die xix mensis Septembris anno MDCCV, et studia sacra perrexit, quae laurea corona in theologia confecit.

Ratione habita eius excellentis spiritalis et doctrinalis institutionis, Antistites ei munus delegaverunt disciplinas theologicas docendi, cui operam navavit fere xx annos, miro cum ardore et diligentia, in « Studiis Generalibus » sui Ordinis thesauros sapientiae suae communicans cum alumnis diversarum Provinciarum, qui solidam eius doctrinam magni existimabant eiusque mirabantur probatam vitam religiosam et sacerdotalem. Eminuit, uti theologiae eximius magister ab anno MDCCVIII ad annum MDCCXVIII in claro Collegio Sancti Laurentii Maioris Neapolitani, simul se ostendens indefatigatum verbi Dei praedicatorem. In suo exsequendo munere Ministri regularis Provinciae S. Angeli, ex Apulia septentrionali constantis et regione Molisina, Servus Dei summa cura providit de provehenda firma formatione spiritali et doctrinali, in Communitatibus franciscanis, Fratrum sodalium.

Nominatus anno MDCCXVIIII Rector studiorum insignis Collegii Romani S. Bonaventurae, decem annos hoc grave sustinuit officium, laudem et admirationem habens ob magnam suam et fidissimam scientiam theologicam et moralem obque suae vitae sanctitatem, et insuper se dedidit nonnullis conscribendis libris theologicis, quibus praecipua fidei dogmata explanaret et defenderet. Simul, generose serviens Ecclesiae, variis Curiae Romanae Dicasteriis consultor adfuit, dum Summus Pontifex Benedictus XIII anno MDCCXXVIIII eum ad sedem epi-

scopalem Bovinensem in Apulia promovit, « episcopum sanctum et doctum » eum proponens.

Et talem quidem se ostendit Antonius Lucci per xxiv episcopatus sui annos in illa dioecesi. Verus populi sui Pater et Pastor, eius christianam vitam excitavit, cum caritate, humilitate et evangelica fortitudine explicando munera ad ministerium sacrum pastorale pertinentia. Maxima cum sedulitate in spiritalem et doctrinalem formationem intendit cleri ; divini cultus decus provexit ; catecheticam institutionem auxit; fidelium vitam sacramentalem amplificavit, curasque suas adhibuit paternas etiam de iis, qui a fide vel ab exercitatione vitae christianae remoti erant, verae conversionis obtinens fructum.

Apostolice laborans aetate et in regione, ubi indigentia hereditas quodammodo erat maioris partis populi, episcopus Lucci vere pauperes anteposuit, quos omnes excipiebat, in eis Christi personam agnoscens, eosque adiuvans largitionibus cotidianis et occasionis, atque apostolica cum firmitudine eorum iura et legitima optata propugnans.

Tota eius vita spiritu abnegationis et animosae ascesis notata est, ardentissimo Dei gloriae studio et boni proximi, ferventissima pietate erga Christum Crucifixum et divinam Eucharistiam necnon filiali in SS. Virginem Immaculatam religione. Per lectionem, studium et meditationem assiduam Sacrarum Litterarum in fide positus atque infixus, omnia in Dei luce videbat et iudicabat. Spe fortis, in necessitatibus non cessabat, sed fortiter fidei postulationes defendebat atque Ecclesiae pauperumque iura. Fervidissima in Deum inque proximum caritas eum omnino implebat et hoc dicto exprimebatur, quod ei frequens erat : « Qui Deum amat, omnia possidet ».

Propter eximias suas virtutes Servus Dei colebatur a clero et fidelibus dioecesis, sodalibus Fratribus admirationem sui iniciebat, a Fratribus in Episcopatu aestimabatur. Terrenam vitam posuit die xxv mensis Iulii anno MDCCLII, post brevem morbum et acerbum, quem firma patientia et alta cum Deo coniunctione caritatis "perpessus est. Talem reliquit sanctitatis famam, ut sex solummodo transactis annis post mortem initi sint Processus Informativi apud Bovinensem Curiam. Causa introducta die v mensis Decembris anno MDCCLXIV, apud eandem Curiam Bovinensem instructus est Processus Apostolicus « super virtutibus », quem secutae sunt legitimae disceptationes in Congregationibus Antepraeparatoria, Praeparatoria et Generali, et Decretum, die XIII mensis Iunii editum, de heroicitate virtutum, anno MDCCCXXXXVII.

Recens, anno MCMLXXXVIII, post Consilii Medicorum faventem sententiam, actae sunt praescriptae inquisitiones in Congressu Peculiari Consultorum theologorum et in Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Eminentissimo Cardinali Iosepho Caprio, de coniecto miraculo, ad subitam et completam sanationem pertinente sacerdotis Cyrilli De Sanctis O. Carm., a morbo ita existimato : «fistole perianali multiple e complete con comunicazione rettale e stato tossico-infettivo grave », precibus Venerabilis Antonii Lucci tributam.

Nos deinde die xxvin mensis Novembris anno MCMLXXXVIII, ediximus eandem sanationem miraculo factam esse ; et post haec omnia est statuta dies ad sollemnem Beatificationem celebrandam.

Hodie igitur in Basilica Vaticana Sancti Petri, hanc sumus inter sacra formulam elocuti : « Nos, vota Fratrum nostrorum Iosephi Casale, Archiepiscopi Fodiani-Bovinensis et Hersilii Tonini, Archiepiscopi Ravennatensis-Cerviensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei ***Antonius Lucci*** **et Elisabeth Renzi Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali :** ***Antonius Lucci*** **die vigesima quinta Iulii, Elisabeth Renzi die decima quarta Augusti in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii ©t Spiritus Sancti ».**

Quibus studiose quidem prolatis vocibus plausuque exceptis nihil subinde dubitavimus aliud hoc sanctimoniae christianae ac religiosae imitandum sedulo exemplum pastorali Nostro sermone collustrare et universis non Franciscalibus modo sodalibus verum christifidelibus communiter omnibus commendare.

Quo enim plures modos formasque Christianae vitae multiplicibus in huius orbis condicionibus expletae praebuerit Mater Ecclesia hominibus, eo quidem expeditius scient sua quisque via rationeque Christi Evangelium vivendo deducere ad effectum. Haec vero per has Litteras quae statuimus, firma esse volumus et nunc et in posterum, rebus contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvni mensis Iunii anno Domini MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

•fi AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco * Sigilli
In Secret. Status tab., n. 2Jrf.610.

ALLOCUTIONES

I

Ad capitulares Tertii Ordinis Saecularis Sancti Francisci coram admissos.*

1. Carissimi fratelli e sorelle dell'Ordine Francescano Secolare d'Italia, siete convenuti a Roma per pregare sulla tomba dell'Apostolo Pietro, come amava fare san Francesco, e per celebrare il VII centenario della Bolla *Supra montem,* con la quale il mio predecessore Nicolò IV, il 18 agosto dell'anno 1289, istituì il Terz'Ordine, allora chiamato dei Fratelli e delle Sorelle della Penitenza.

Il mio saluto va a tutti voi ed a tutti gli appartenenti all'Ordine secolare delle Comunità italiane. Saluto anche la Presidente Nazionale, Signora Emanuela De Nunzio, l'Assistente Nazionale P. Giuseppe Marini, tutti i rappresentanti delle diverse famiglie francescane qui presenti.

So bene che i Francescani secolari in Italia sono numerosi e vantano una singolare tradizione di servizio ecclesiale. Di questo mi compiaccio vivamente.

2. L'Ordine Francescano Secolare, come è noto, rappresenta la più antica forma di organizzazione di laici che, sotto la guida della Chiesa, fraternamente uniti, ed ispirandosi al carisma di san Francesco, si impegnano a testimoniare con la vita il Vangelo, dedicandosi all'apostolato secondo le forme richieste nelle condizioni proprie dello stato laicale. Chiamati a vivere nel secolo ma spinti dallo Spirito Santo a raggiungere la perfezione della carità, sul modello di vita del Serafico Poverello di Assisi, voi operate nel mondo a guisa di fermento, ripieni di spirito cristiano, consapevoli di dover camminare generosamente nella via della santità.[1]

È proprio questo che san Francesco chiedeva nella sua esortazione ai Fratelli ed alle Sorelle della Penitenza, rivolgendosi a «tutti coloro che amano il Signore con tutto il cuore ... ed amano il prossimo come se stessi, ed odiano il proprio corpo con i suoi vizi e peccati, e ricevono il corpo e il sangue del Signore nostro Gesù Cristo, e fanno degni frutti di penitenza».[2]

* Die 11 m. Novembris a. 1989.

[1] Cf. *Apostolicam actuositatem,* 2.

[2] *Esortazione di S. Francesco ai Fratelli ed alle Sorelle della Penitenza,* Prologo;

3. Secondo la Bolla *Supra montem,* la vita francescana secolare ha esigenze ben precise. Essa è anzitutto fondata « sopra la roccia della fede cattolica », quella fede, cioè, che i Discepoli del Cristo, con ardore di carità verso il loro Maestro, hanno insegnato e che la Chiesa romana professa e custodisce. San Francesco ha raccomandato — e la Bolla lo ricorda — con la parola e con l'esempio il valore di questa norma prima e fondamentale per la santificazione di ogni cristiano. Perciò a tutti i fedeli continuatori della missione francescana è chiesta la « sincerità di questa stessa fede », tenuta sempre con fermezza, espressa nelle opere.[3]

Alla coerenza ed all'unità della fede corrisponde nella tradizione francescana secolare una rigorosa condotta di vita. Essa si fonda anzitutto sullo spirito della povertà, adattato, sì alle esigenze di coloro che rimangono nel secolo, ma non per questo meno rigoroso. La rinuncia a uno stile di vita costoso per l'abbigliamento, il cibo e lo svago costituiva alle origini dell'Ordine un segno necessario anche per i laici che volevano sinceramente testimoniare la povertà di Cristo. Ciò costituisce tuttora l'essenza della vita francescana.

Ma anche la povertà, perché sia veramente virtù, ha bisogno di sostenersi con una intensa preghiera. La Bolla *Supra montem* raccomanda perciò vivamente l'orazione, specialmente quella liturgica, la frequenza ai sacramenti della Riconciliazione e dell'Eucaristia, il digiuno e la penitenza praticati per amore di Dio ed in spirito di carità.

Inoltre lo spirito francescano non può disinteressarsi della pace. Di qui l'invito ad operare concretamente per essa, secondo le proprie possibilità e condizioni: «Ristabilire la pace tra i fratelli e le sorelle, o anche tra gli estranei caduti in discordia ».[4]

4. Anche oggi la regola fondamentale di tutti i figli di san Francesco nell'Ordine Secolare chiede di conformare il proprio modo di pensare e di agire a quello di Cristo, mediante un radicale mutamento interiore ed una vera conversione attuata giorno per giorno.[5] Ovviamente le condizioni del mondo contemporaneo esigono altri segni, altre maniere di realizzare una vita santa, nel quotidiano impegno di apo-

ed. K. Esser, *Die Opuscula des H. Franziskus von Assisi,* Nuova Ediz. critica, Grottaferrata, 1976.

[3] Cf. *Supra montem,* Prol.

[4] *Supra montem,* n. IX.

[5] Paolo VI, Breve ap. *Seraphicus Pater,* 7, 1963.

stolato. È chiaro, tuttavia, che rimangono identiche le regole fondamentali per vivere realmente secondo il Vangelo. La regola francescana insegna ancor oggi come si debba aprire il cuore a Cristo, come si possa camminare con lui e come si possa far conoscere ai fratelli che l'adesione alla Parola divina elargisce un dono che libera e santifica. Con un autentico stile di vita francescano, in una parola, si propone ad ogni uomo e donna un'effettiva crescita nel modo di agire cristiano, e perciò corrispondente alla stessa dignità umana.

5. Considerate allora quanto sia preziosa la regola di vita proposta dal vostro Ordine. L'uomo moderno, coinvolto nella civiltà dei consumi, ha bisogno di ritrovare un vero orientamento per il programma delle sue scelte quotidiane. Oggi c'è bisogno di annunciare che il primato dello spirito è essenziale per affermare in maniera autentica anche i valori umani. Voi dovete far comprendere che la povertà secondo il Vangelo è davvero liberazione e beatitudine; che l'amore a Cristo è fonte di gioia; che la carità verso il prossimo è in se stessa una valida ragione di vita. L'uomo moderno chiede alla Chiesa ed a tutti voi, discepoli di san Francesco, come vivere effettivamente le esigenze del Vangelo, « sine glossa », pur conservando la propria condizione di laici, impegnati nell'ordine temporale.

La vocazione universale alla santità, la missione affidata ai laici nella redenzione delle realtà terrene, il valore della preghiera, così chiaramente intuiti da san Francesco, siano dunque per tutti voi il programma da confermare e rinvigorire.

Vi aiuti in tale proposito la Benedizione Apostolica che, auspice il Serafico Padre san Francesco, imparto di cuore a tutti voi ed alle vostre Comunità.

Sono anche presenti i delegati delle Confraternite delle diocesi d'Italia, riuniti per un incontro di studio, sotto la Presidenza del Cardinale Vicario di Roma e Presidente della Conferenza Episcopale, Ugo Potetti.

Auspico che da tale assemblea, impegnata nel valutare le vie nuove della partecipazione attiva alla missione della Chiesa nel servizio della Carità, secondo il programma pastorale della Conferenza Episcopale Italiana, sorgano valide iniziative e spunti di aggiornata testimonianza.

Benedico tutti di cuore.

II

Ad quosdam medicos peritos habita, de morbo compendiariis litteris vulgo AIDS cognominato.*

Illustri Signori!

1. È, per me, particolarmente importante trovarmi oggi con voi, in occasione della Conferenza Internazionale che il Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari ha promosso in vista di un approfondimento interdisciplinare sui complessi problemi legati alla minacciosa diffusione dell'AIDS.

Nel rivolgervi il mio saluto desidero esprimervi il mio compiacimento per l'impegno che vi siete assunto di dibattere, a livello altamente qualificato, un argomento di così viva attualità. In particolare, mi compiaccio per il quadro antropologico più ampio entro il quale avete impostato la vostra analisi, esaminando l'intero problema alla luce degli interrogativi fondamentali dell'esistenza : « Vivere, perché? ».

Perciò mi auguro che le conclusioni di questa Conferenza Internazionale stimolino ulteriori riflessioni sull'argomento e promuovano da parte delle istanze competenti una decisa ed efficace programmazione operativa.

2. Molto più che per le numerose malattie infettive, che l'umanità ha sperimentato nel corso della sua storia, l'AIDS ha profonde ripercussioni di natura morale, sociale, economica, giuridica ed organizzativa non solo sulle singole famiglie e sui raggruppamenti locali, ma anche sulle Nazioni e sull'intera comunità dei popoli. Oggi, infatti, sebbene con intensità e caratteristiche diverse, la grande maggioranza dei Paesi del mondo è stata raggiunta dal virus dell'immunodeficienza acquisita e le periodiche rilevazioni delle Autorità sanitarie ne denunciano la diffusione crescente.

È doveroso riconoscere che, sin dagli inizi, l'AIDS ha provocato un serio impegno di ricerca ad opera di gruppi, guidati da eminenti scienziati, molti dei quali sono qui presenti : ad essi esprimo volentieri il più vivo apprezzamento.

Grazie al loro sforzo, i vari aspetti di questa complessa e diffusa malattia si vanno sempre più chiarendo. In meno di dieci anni è stato compiuto un importante cammino : gli studi di biologia molecolare

* Die 15 m. Novembris a. 1989.

hanno reso pressoché note le funzioni del virus, le interazioni virus-cellula e le conseguenti modificazioni funzionali. Sono stati, altresì, scoperti altri re tro vir us e vengono attivamente studiati i ruoli relativi, che tali agenti possono esercitare nelFAIDS, e anche in altre malattie.

3. Non è azzardato affermare che, ancora una volta, con lo studio di una temibile malattia, sono migliorate le conoscenze di tutto un settore, con significativi vantaggi terapeutici nel trattamento di altre patologie.

Inoltre, poiché oggi è cresciuta la consapevolezza che le cause biologiche, le condizioni ambientali e le componenti socio-culturali influiscono fortemente sullo sviluppo e sulla diffusione delle malattie infettive, è stato analizzato con particolare attenzione il modo in cui certe forme di incontro e di contatto tra le persone — all'interno di singole categorie o gruppi di popolazione — possono creare ed alimentare il rischio di diffusione dell'infezione da virus dell'immunodeficienza acquisita. Il riferimento, ormai a tutti noto, va ovviamente ai fenomeni della tossicodipendenza ed all'abuso della sessualità, che avviano un processo tendenzialmente espansivo della malattia. L'aspetto positivo di tale miglior conoscenza è che la popolazione nel suo insieme è direttamente sollecitata ad assumersi con piena consapevolezza le sue responsabilità.

4. Le statistiche attestano che la gioventù è maggiormente colpita dall'AIDS. La minaccia che incombe sulle giovani generazioni deve attirare l'attenzione e coinvolgere l'impegno di tutti : infatti, umanamente parlando, il futuro del mondo è fondato sui giovani, e l'esperienza insegna che il solo modo di prevedere il futuro è quello di prepararlo.

La minacciosa diffusione dell'AIDS lancia a tutti una duplice sfida, che anche la Chiesa vuole raccogliere per la parte che le compete : mi riferisco alla prevenzione della malattia ed alla assistenza di coloro che ne sono colpiti. Un'azione veramente efficace in questi due campi non potrà essere svolta, se non si cercherà di sostenere lo sforzo comune con l'apporto derivante da una visione costruttiva della dignità della persona umana e del suo trascendente destino.

Le particolari caratteristiche dell'insorgere e del diffondersi dell'AIDS, ed anche un certo modo di affrontare la lotta contro questa malattia, rivelano — come opportunamente ricorda il tema generale di questa Conferenza Internazionale — una preoccupante crisi di va-

lori. Non si è lontani dal vero se si afferma che, parallelamente al diffondersi dell'AIDS, è venuta manifestandosi una sorta di immunodeficienza sul piano dei valori esistenziali, che non può non riconoscersi come una vera patologia dello spirito.

5. Di conseguenza, occorre in primo luogo ribadire con forza che l'opera di prevenzione, per essere insieme degna della persona umana e veramente efficace, deve proporsi due obiettivi : informare adeguatamente ed educare alla maturità responsabile.

È necessario, innanzitutto che l'informazione, impartita nelle sedi idonee, sia corretta e completa, al di là di paure immotivate, ma anche di false speranze. La dignità personale dell'uomo esige, poi, che egli sia aiutato a crescere verso la maturità affettiva mediante una specifica opera educativa. Soltanto con una informazione ed una educazione che portino a far ritrovare, con chiarezza e con gioia, il valore spirituale dell'amore-che-si-dona come senso fondamentale dell'esistenza, è possibile che gli adolescenti e i giovani abbiano la forza necessaria per superare i comportamenti a rischio. L'educazione a vivere in modo sereno e serio la propria sessualità e la preparazione all'amore responsabile e fedele sono aspetti essenziali di questo cammino verso la piena maturità personale. Una prevenzione, invece, che movesse, con egoistica ispirazione, da considerazioni incompatibili con i valori prioritari della vita e dell'amore, finirebbe per essere, oltre che illecita, contraddittoria, aggirando solo il problema senza risolverlo alla radice.

Perciò la Chiesa, sicura interprete della Legge di Dio ed « esperta in umanità », ha a cuore non solo di pronunciare una serie di « no » a determinati comportamenti, ma soprattutto di proporre uno stile di vita pienamente significativo per la persona. Essa indica con vigore e con gioia un ideale positivo, nella cui prospettiva vanno comprese ed applicate le norme morali di condotta.

Alla luce di tale ideale, appare profondamente lesivo della dignità della persona, e perciò moralmente illecito, propugnare una prevenzione della malattia dell'AIDS basata sul ricorso a mezzi e rimedi, che violano il senso autenticamente umano della sessualità, e sono un palliativo per quei disagi profondi, dove è chiamata in causa la responsabilità degli individui e della società : e la retta ragione non può ammettere che la fragilità della condizione umana, anziché motivo di maggiore impegno, si traduca in pretesto per un cedimento che apra la via al degrado morale.

6. Iii secondo luogo, una prevenzione costruttivamente tesa a ricuperare, soprattutto presso le giovani generazioni, il senso pieno della vita e l'esaltante fascino della dedizione generosa, non potrà che favorire un maggior e più vasto impegno nell'assistenza ai malati di AIDS. Questi, pur nella singolarità della loro situazione patologica, hanno diritto, come ogni altro infermo, di ricevere dalla comunità l'assistenza idonea, la comprensione rispettosa e una piena solidarietà.

La Chiesa che, sull'esempio del suo divin Fondatore e Maestro, ha sempre considerato l'assistenza a chi soffre quale componente fondamentale della sua missione, sente di essere interpellata in prima persona, in questo nuovo campo della sofferenza umana, consapevole, com'essa è, che l'uomo che soffre è una ((via speciale » del suo magistero e ministero.

Di conseguenza, non poche Conferenze Episcopali, in diverse aree del mondo, hanno pubblicato documenti ed emanato concrete direttive per avviare, migliorare ed intensificare una pastorale di speranza nell'azione preventiva contro l'AIDS, e nell'assistenza a chi ne è colpito, istituendo talora appositi centri di cura specializzata.

In spirito di comunione con tutta la Chiesa e con fiduciosa e intensa partecipazione, anch'io colgo volentieri questa occasione per unire la mia voce a quella degli altri Pastori ed esortare ciascuno ad assumersi le proprie responsabilità.

7. Mi rivolgo innanzitutto, con accorata sollecitudine, ai malati di AIDS.

Fratelli in Cristo, che conoscete tutta l'asprezza della via della Croce, non sentitevi soli. Con voi è la Chiesa, sacramento di salvezza, per sostenervi nel vostro difficile cammino. Essa molto riceve dalla vostra sofferenza, affrontata nella fede ; a voi essa è vicina col conforto della solidarietà operosa dei suoi membri, affinché non smarriate mai la speranza. Non dimenticate l'invito di Gesù : « Venite a me voi tutti che siete affaticati e oppressi ed io vi ristorerò)).*

Con voi, carissimi, sono gli uomini della scienza, che si adoperano instancabilmente per contenere e debellare questa grave infermità; con voi sono quanti, nell'esercizio della professione sanitaria o per scelta volontaria, sostenuta dall'ideale della solidarietà umana, intendono seguirvi con ogni premura e mezzo.

' *Mt* 11, 28.

Voi potete offrire, a vostra volta, qualcosa di molto significativo alla comunità di cui siete parte. Lo sforzo che voi fate per dare un significato alla vostra sofferenza è per tutti un prezioso richiamo ai valori più alti della vita e un aiuto forse determinante per quanti siano tentati dalla disperazione. Non chiudetevi in voi stessi, ma cercate ed accettate il sostegno dei fratelli.

La preghiera della Chiesa si alza ogni giorno al Signore per voi, particolarmente per coloro che vivono la malattia nell'abbandono, nella solitudine; per gli orfani, per i più deboli, per i più poveri, che il Signore ci ha insegnato a considerare i primi nel suo regno.

8. Mi rivolgo, poi, alle famiglie. Nel nucleo familiare è la prima scuola di vita e di formazione dei figli alla responsabilità personale in tutti i suoi aspetti, compreso quello legato ai problemi della sessualità.

Genitori, voi potete svolgere la prima e più efficace azione preventiva offrendo ai vostri figli una retta informazione, e preparandoli a scegliere con responsabilità i giusti comportamenti nell'ambito sia individuale che sociale.

Quanto, poi, alle famiglie che vivono al loro interno il dramma dell'AIDS, desidero che sentano a sé rivolta la comprensione partecipe del Papa, ben consapevole della difficile missione a cui sono chiamate. Prego il Signore perché conceda loro la generosità necessaria per non abdicare ad un compito che, davanti a Dio ed alla società, hanno assunto a suo tempo come irrinunciabile. La perdita del calore familiare provoca nei malati di AIDS la diminuzione e persino l'estinzione di quella immunologia psicologica e spirituale, che a volte si rivela non meno importante di quella fisica per sostenere la capacità reattiva del soggetto. Soprattutto le famiglie nate nel segno del matrimonio cristiano hanno la missione di offrire una forte testimonianza di fede e di amore, non abbandonando il loro caro, ma bensì circondandolo di premurose cure e di affettuosa partecipazione.

9. Agli insegnanti ed agli educatori va l'invito a farsi promotori, in stretto collegamento con le famiglie, di una idonea e seria formazione degli adolescenti e dei giovani alla vita. Si curi, specialmente nelle scuole cattoliche, una programmazione organica dell'educazione sanitaria, nella quale, armonizzando gli elementi della prevenzione con i valori morali, si preparino i giovani ad un corretto stile di vita, principale garanzia per tutelare la propria salute e l'altrui.

A voi, educatori, è affidata la responsabilità di avviare le giovani generazioni ad una autentica cultura dell'amore, offrendo in voi stessi una guida e un esempio di fedeltà ai valori ideali che danno senso alla vita.

10. Ai giovani di ogni età e condizione dico : Fate in modo che la vostra sete di vita e di amore sia sete di una vita degna di essere vissuta e di un amore costruttivo. La necessaria prevenzione contro la minaccia dell'AIDS non si ispiri alla paura, bensì alla scelta consapevole di uno stile di vita sano, libero e responsabile. Rifuggite da comportamenti improntati alla dissipazione, all'apatia, all'egoismo. Siate invece protagonisti nella costruzione di un ordine sociale giusto, su cui si regga il mondo del vostro futuro.

Praticate con generosità e forza di immaginazione forme sempre nuove di solidarietà. Respingete ogni forma di emarginazione, siate vicini ai meno fortunati, a coloro che soffrono, coltivando la virtù dell'amicizia e della comprensione, rifiutando ogni violenza verso voi stessi e verso gli altri. La vostra forza sia la speranza e il vostro ideale l'affermazione universale dell'amore.

11. Ai governanti ed ai responsabili della cosa pubblica rivolgo l'appello pressante ad affrontare con ogni impegno i nuovi problemi posti dal diffondersi dell'AIDS. Le dimensioni già assunte, e che si presume assumerà questa malattia, come pure il suo stretto rapporto con alcuni comportamenti che incidono sulle relazioni interpersonali e sociali, esigono che gli Stati si facciano carico — con tempestività e coraggio, con chiarezza di idee e correttezza di iniziative — di tutte le loro responsabilità. In particolare, alle autorità sanitarie e sociali compete di predisporre ed attuare un piano globale di lotta contro l'AIDS e la tossicodipendenza; all'interno di questa programmazione dovrà essere riconosciuta, coordinata e sostenuta ogni giusta iniziativa che singoli individui, gruppi, associazioni ed enti sviluppino per la prevenzione, la cura e la riabilitazione.

Parimenti, la lotta contro l'AIDS postula la collaborazione tra i popoli : e poiché la domanda di salute e di vita accomuna tutti gli uomini, nessun calcolo politico od economico divida l'impegno degli Stati, insieme chiamati a rispondere alla sfida dell'AIDS.

12. Agli scienziati ed ai ricercatori, con il plauso per il loro encomiabile sforzo, va il mio invito a incrementare ed a coordinare il loro

lavoro, sorgente di speranza per i malati di AIDS e per l'intera umanità. Come è stato ricordato, « sarebbe illusorio rivendicare la neutralità morale della ricerca scientifica e delle sue applicazioni... Pertanto la scienza e la tecnica richiedono, per il loro stesso intrinseco significato, il rispetto incondizionato dei criteri fondamentali della moralità : debbono essere, cioè, al servizio della persona umana, dei suoi diritti inalienabili e del suo bene vero e integrale, secondo il progetto e la volontà di Dio)).[2]

L. œ S.

83 Traianus Crisan
Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

ALBAE POMPEIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Andreae Mariae Borello, Fratris professi Societatis a Sancto Paulo Apostolo (1916-1948).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Die 24 mensis Augusti anno 1914 Servus Dei sacerdos Iacobus Alberione Societatis a Sancto Paulo Apostolo initium fecit eo consilio, ut Evangelium nuntiaret et disseminaret itemque christianam doctrinam toto terrarum orbe communicationis socialis instrumentis.

Haec Congregatio ex sacerdotibus constat et Fratribus religiosis, qui « Discipuli Divini Magistri » vocantur, quorumque est ministerium sacerdotale evangelizationis adiuvare partem technicam praebendo ac divulgationem.

Sacerdos Alberione ita voluit « laicis » auctoritatem tribuere iisdemque uti, eos arcte cum ministerio sacerdotali praedicationis Evangelii consociando.

Hoc sollemniter agnovit sanxitque Concilium Vaticanum II : « Laici in Populo Dei congregati et in uno Corpore Christi sub uno capite constituti, quicumque sunt, vocantur, ut tamquam viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, conferant ... Praeter hunc apostolatum, qui ad omnes omnino christifideles spectat, laici insuper diversis modis ad cooperationem magis immediatam cum apostolatu Hierarchiae vocari possunt, ad modum illorum virorum ac mulierum, qui Paulum apostolum in Evangelio adiuvabant, multum in Domino laborantes » (Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 33).

Servus Dei Frater Andreas Maria Borello, unus fuit horum « laicorum consecratorum », qui in Societate a Sancto Paulo Apostolo, secundum Apostoli sollicitudinem viventes, sacerdotes sustinent in praedicationis ministerio tamquam « cooperatores Evangelii ».

Is in vico *Mango* lingua vernacula appellato, intra fines dioecesis Albae Pompeiensis, Cuneensis autem provinciae, die 8 mensis Martii natus est anno 1916, a Iosepho Stanislao Borello et Margarita Rivella, agricolis quidem humilibus, sed ferventibus christianis. Eiusdem mensis die 14 est baptizatus et Richardus vocatus.

Parentes, qui iam puellulam genuerant, Mariam, grato animo donum huius alterius filii acceperunt : at pater, qui ad bellum profectus erat quod saeviebat, mortuus est nec eum cognovit.

Cum mariti mortem ei nuntiata est, Margarita, quamquam maerore confecta, nonnisi sic precata est : « Fiat, Domine, voluntas tua », et plus laboravit, quam antea, ut familiam sustentaret. Licet, tamen, innumeros obiret labores, non omnia adimplere poterat; qua re novum iniit matrimonium cum viduo Ioanne Gibellino, viro ardenti fide et integerrimis moribus instructo.

Iam dolorem experto, parvulo Bichardo relinquenda loca pueritiae fuerunt, ut cum matre in pagum demigraret *Castagnole Lanze* (in provincia Astensi) communiter denominatum, in Valle Tanari situm, ubi vitricus opus rusticum faciebat tamquam partiarius colonus.

Anno 1926, decem annos natus, Confirmationis sacramentum accepit ab Episcopo Albae Pompeiensis, Francisco Re. Exinde alacrius studuit fidei suae testificandae, in qua colenda puer et adolescens primas partes egit tum in paroecia tum in Actionis Catholicae agminibus.

Anno Sancto a Redemptione peracta 1933, Richardus paucis diebus matrem amisit et vitricum. Rursus idcirco est orbus factus, tunc utroque parente. Cum eius soror Maria Augustam Taurinorum se contulisset ut cuidam familiae famularetur, invitationi concessit, ut secum opus obiret. Hic vero, iuvenis miratus pietatem, gravitatem et navitatem, praeter alia munia ei filios suos concredidit educandos.

Attente lecta vita Maiorini Vigolungo, parvi bonorum scriptorum typis impressorum apostoli, quam sacerdos dominus Alberione scripserat, die 8 mensis Iulii anno 1936 Richardus Societatem a Sancto Paulo Apostolo ingressus est uti Divini Magistri Frater Discipulus. Excipienti eum dixit : « Semper bonus esse nisus sum, sed veni ut sanctus fiam ». Quae verba, in paginula scripta in theca clausa, quam semper e collo suspensam gerebat, sigillum facta sunt promissi, quod coram Deo spoponderat ipseque sibi praeceperat.

In Congregatione admissus, officinae chartariae destinatus est, ut mixturam praepararet quae, opportune tractata, opus erat ad chartam efficiendam. Ilico intellexit eius servitii momentum, quod simul apo-

stolatus erat, seseque ei tradidit viribus non parcens : « Labor in quem incumbimus — aiebat — est gravior profecto, sed omnis massae gleba quam tollimus, est chartae folium, in quo Verbum Dei imprimitur ad animas delatum ».

Cum omnibus nota eius esset diligentia eiusque vocatio manifesta, die 19 mensis Martii, Sancti Ioseph festo, anno 1937, est ad vestitionem admissus : vestem religiosam accepit de manibus Beati Timothei Giaccardo, Domus Principis Antistitis. Deinde Romam missus, ut annum perageret novitiatus, quem die 16 mensis Aprilis anno 1937 inchoavit, studii assiduitate et exercitio pietatis eminuit atque apostolatus fervore. Professionem religiosam fecit in manibus Fundatoris, domini Iacobi Alberione, die 7 mensis Aprilis anno 1938, nomine capto Andrea Maria. Ad Domum Principem re versus, suum in officina chartaria laborem resumpsit.

Duodecim annis, quos egit in Societate a Sancto Paulo Apostolo, omnia exsecutus est apostolica servitia Discipuli Divini Magistri propria. Praeterquam in gravem officinae chartariae laborem, in impressionem incubuit, frequenter ac libenter horas quietis remittens, dummodo dioecesis commentarium hebdomadale « Gazzetta d'Alba » tempestive ad lectores perveniret. Operis divulgationis non minus diligens fuit ; namque plures communicavit venditationes subscriptionis commentariorum Paulinorum et bonorum scriptorum divulgationem paroecias petens.

Etiam pars « mittendae mercis » eius est auxilio usa, quod is tulit horas otii et somni dimittens, quippe cum vehementer optaret Verbum typis impressum vulgari.

Extremo vitae tempore, laetanter Antistiti oboediens, sutrinam fecit pro tota Domus Principis communitate, quae tunc plus 400 sodales numerabat.

Beatus Timotheus Giaccardo Fratri Borello hoc delegavit munus, Domus humillimo et rectissimo : qui spiritu oboedientiae consensit, pro certo habens calceos reficere idem valere ac apostolatum exercere Evangelizationis. Praeter paucas occasiones, in quibus suas simpliciter rusticanas sculponeas reconcinnaverat, artificii huius minime gnarus erat, sed tanta fides erat, ut novos faceret calceos, talique cum peritia, ut iis, qui eam exercebant artem, admirationem iniceret.

Fratres sodales bonitatem, humilitatem, humanam curam testantur, quibus Frater Andreas efficiebat ut extra suorum conciavium ostia calceamenta sarta invenirent et polita.

Iam dictum est Fratrem Borello, saltem per brevia temporis spatia, omnia exercuisse genera apostolatus Paulini propria — impressionem, confectionem, divulgationem — uti Divini Magistri perfectum Discipulum. Sed maximum momentum habent — suntque in lucem proferendae — plenitudo et perfectio quibus is ex illius apostolatus ((spiritu » vixit. Qui spiritus, secundum Fundatoris praecepta, alebatur potissimum ante Tabernaculum horis in Iesu Eucharistico adorando consumptis, sensu laboris redimentis, imitatione Sancti Ioseph. Eventus enim vitae Fratris Borello significantiores in diem festum inciderunt huius Sancti, « Caelestis Patris pro nostra redemptione fidelis cooperatoris », viri iusti et « fidelis », opificis taciturni, qui intime coniunctus cum Deo in Christo vixit, suamque impendit vitam usui servitioque directo Magistri, cuius apostoli et sancti discipuli fuerunt et testes. Ad Sanctum Ioseph, sicut et ad Apostolum Paulum, Frater Borello suam cotidie vitam conformavit ex iisque proposita hausit.

Actuosa caritate impulsus, conatus est aliter etiam ad bonum conferre Congregationis suae.

« Hoc unum multo me dolore afficit : quod multi in sua vocatione non manent », repetere solebat.

Dolens quod nonnulli Fratres sodales, iam sancta vota in vita religiosa Paulina professi, e Congregatione discederent, iterum atque iterum a suo spiritus magistro postulavit permissum se devovendi victimam Domino, ut iis omnibusque vocatis fidelitatem erga vocationem obtineret.

Permissu obtento, die 19 mensis Martii anno 1948 vitam suam Domino obtulit : quae oblatio libera fuit, conscia, serena et laeta : supremus actus amoris iuxta Iesu verba : « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » *[Io* 15, 13).

Tribus mensibus post est aestibus febribusque iactatus; quod significabat Deum eius accepisse oblationem. In valetudinarium oppidi *Sanfré* deductus, nihil profecit. Medici existimaverunt eum phthisi laborare pulmonea repentina, qua brevissime est mortuus. Aequo animo ultimum obiit munus, ut victima voluntaria esset pro Fratribus : illud implevit, suum cruciatum perpetiens, coronam Marialis Rosarii in manibus habens, in deprecatione defixus.

Virgo Maria ei vim obtinuit in supremo discrimine : sabbato, die 4 mensis Septembris anno 1948, « Discipuli boni et fidelis » anima « Magistri » sui in conspectum venit.

Mortis eius silentium et humilitas dignus exitus et iusta consummatio fuerunt vitae « pauperis », qui in occultatione vixerat semperque maluerat precari quam loqui, esse quam conspici.

Magnitudo extremae oblationis vitae fidelitatem perfecit, toto aevi spatio exercitam, erga vocationem, donatione notatam, deprecatione, labore, incommodis, cum gaudio acceptam et servatam ob Christi et Fratrum amorem.

Fama sanctitatis, qua Servus Dei vivus floruerat, procedente tempore crevit post mortem seseque ad exteras nationes extendit et gentes. Multa beneficia et gratiae enarrantur eius precibus obtenta.

Eminentissimi Cardinales et Episcopi, in quibus Venetiarum Patriarcha Albinus Luciani, postea Papa factus nomine capto Ioanne Paulo I, petitiones ad Summum Pontificem miserunt, ut canonizationis Causa introduceretur.

Processus canonicus Albae Pompeiensi iniit die 31 mensis Maii anno 1964 estque, item Albae Pompeiensi, conclusus die 23 mensis Iunii anno 1969.

Albae pariter actus est Processus Additicius a die 14 mensis Februarii ad diem 6 mensis Iulii anni 1984.

Post Decretum super scriptis die 18 mensis Ianuarii editum anno 1970, Congregatio pro Causis Sanctorum de auctoritate et vi Processuum die 27 mensis Martii anno 1987 Decretum prodidit.

Die 9 mensis Iunii anno 1989 faventi cum exitu Consultorum Theologorum actus est Congressus Peculiaris super virtutibus, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; die 6 Februarii anno 1990 Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti, audita relatione Ponentis Exc.mi D.ni Antonii Mauro, Archiepiscopi titularis Thagastensis, agnoverunt Servum Dei Andream Mariam Borello heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus*

theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Andreae Mariae Borello, Fratris professi Societatis a Sancto Paulo Apostolo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS **card.** FELICI, *Praefectus*

L. © S.

ÊB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

III

ANNECIEN. SEU NICEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Annae de Guigné, puellae (1911-1922).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Licet universum hominum genus infinita caritate Dominus noster Iesus Christus complecteretur, teneriore tamen animo pueros est prosecutus, qui in illa verba amoris plena erupit : « Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos ; talium enim est regnum Dei » *(Me* 10, 14). Quapropter et Christi Ecclesia, amatissima cunctae humanae familiae mater, Divinum ipsum Magistrum imitando, impense studet ut sedulae pueris adolescentibusque tribuantur curae praeceptaque tradantur opportuna, ut pii atque intemerati crescant sintque ubivis Christi bonus odor. Profecto, in Ecclesia Christi nullo non tempore, nostra quoque aetate dum iactantia, superbia, violentia morumque corruptio universum mundum mergere videntur, defuerunt ex puerorum iuvenumque agminibus qui, Spiritu Sancto moti peritaque manu

ducti mediisque adhibitis, quae ipsa Ecclesia suggerit, virtutum fulgore coruscarent ; neque immerito de iis verba divini eloquii in laudem iusti scripta usurpari possunt : « Consummatus in brevi, explevit tempora multa» ***(Sap*** **4, 13). Quorum in numerum recensenda est Anna quoque de Guigné.**

In pago vulgo dicto ***Annecy-le-Vieux,*** **haud procul ab Annecio urbe, in partibus Sabaudorum, die 25 mensis Aprilis anno 1911, maior inter liberos Iacobi de Guigné et Antoniettae de Charette de la Contrie, nata est Ioanna Maria Iosepha Anna de Guigné. Quae puella, prima aetate animum ostendit morosum, superbum, iracundum, invidum, minus obsequentem. Attamen, cum res se ita habebant, die 22 mensis Iulii a. 1915, Annae pater, in prima manipuli sui acie proelians, ab hoste interfectus est. Infausto illo eventu necnon summo matris suae dolore permota, puella, annum agens vix quartum, viam aggressa est verae et altae conversionis, omnes contendens ñervos ut « bona esset », ut mater ipsius cupiebat, fortitudinemque ab intima familiaritate Iesu ad hoc adeo hauriens, ut brevi mitis, oboediens, humilis fieret.**

A mense Novembri anni 1916, cum Anna christianae doctrinae studium incepit ut se pararet ad Sanctam Eucharistiam primum suscipiendam, ita progressa est in scientia, etiamque in via perfectionis, ut die 26 mensis Martii a. 1917, annum agens sextum, sita Christi accipere corpus sit.

Iam tum, hoc est usque ad mortem, per quinque videlicet annos, ad tantum perfectionis gradum, quamvis in rebus suae aetati accommodatis, ascendit ut sanctitas eius propinquis ac domesticis omnibus evaserit perspicua.

Cum ad semper maiorem cum Deo communionem sic intendebat, afflicta est morbo cerebrali (qui fuit, ut videtur, meningitis) ; dolores quos patiebatur atroces Deo offerebat intima cum laetitia, mirum praebens exemplum fortitudinis ac perpessionis, patientiae ac oboedientiae, spei et caritatis. Ingravescente morbo, Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae devote recepit petita ac denique extrema, ut dicebant, unctione munita est. Paucis postea diebus, animam die 14 Ianuarii a. 1922 Deo reddidit.

Sanctitatis fama, miro modo, si honestum Servae Dei cognatorum silentium et Causae beatificationis substántiarum egestatem perpendis, in universo orbe cito diffusa est et dudum viget.

Processus informativus igitur instructus est apud curiam episcopalem Anneciensem ab anno 1932 ad annum 1934. Qui processus ad

Sacram tunc Rituum Congregationem delatus, die 14 Ianuarii a. 1935 apertus est. Atvero, ob teneram Servae Dei aetatem, orta est statim dubitatio, num pueri puellaeque a septimo aetatis anno usque ad decimum quartum annum capaces essent heroicae virtutis exercendae. Quae quaestio iterum iterumque a theologis, psychologis, paedagogis explorata, enodationem tandem, in Congregatione Plenaria S. Congregationis pro Causis Sanctorum diebus 1 et 2 Aprilis a. 1981 habita, consecuta est. Ideo, moderante Rev.mo P. Yvone Beaudoin, O.M.I., relatore, adiutricem operam praebente cl.ma Renata De Tryon-Montalembert, apparata est *Positio super virtutibus* praefatae Servae Dei, quam Rev.dus P. Daniel Ois, O.P., huius causae Postulator, eidem Congregationi nuper exhibuit ut rite disceptationi subiceretur. Hinc die 10 Februarii a. 1989, actus est, secundo cum exitu, Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum, moderante Rev.mo P. Gaetano Stano, O.F.M. Conv., Promotore Fidei ad casum. Deinde, Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 16 Ianuarii a. 1990 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, agnoverunt Servam Dei Annam de Guigné heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die eisdem Cardinalibus Praefecto Congregationis atque Causae Ponente, meque Antistite iam a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Annae de Guigné, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

SB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

IV

CREMONEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Francisci Spinelli, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Sororum v. d. « Adoratrici dei Ss.mo Sacramento» (1853-1913).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis » *(Mt* 5, 11-12).

Ex hac beatitudine vixit etiam Servus Dei Franciscus Spinelli qui, multas perpessus aerumnas singulari cum serenitate ac fortitudine, magnam in Christi imitatione est perfectionem adeptus.

Servus Dei Mediolani est ortus die 14 mensis Aprilis anno 1853, secundo loco genitus a Bartholomaeo Spinelli et Aemilia Cagliaroli, estque insequenti die in basilica S. Ambrosii baptizatus.

Ludum litterarium frequentavit in Instituto ((Gallina » Cremonae, ubi Confirmationis sacramentum accepit. Illinc Bergomum devertit ad Ephebeum Sancti Alexandri, ut gymnasii et lycei studia exerceret, habitavitque apud avunculum Petrum Cagliaroli, S. Alexandri in Colonna parochum. Dominicas in pago *Vergo* degebat cum familia ibique sane, septemdecim fere annorum, miram a Virgine Maria Spinae confusionis sanationem obtinuit, qua compellebatur ut baculis innisus graderetur.

A puero peculiarem ostendit in Eucharistiam allegationem. Deprecationis amantissimus erat et saepe, aequales collectos ad precandum ducebat ante tabernaculum et Beatae Virginis imaginem. In vico *Vergo* matrem comitabatur pauperes visitantem et frequenter vicem eius praestabat.

Avúnculo sacerdote duce et magistro spiritus moderante annorum adulescentiae difficultatem superavit et morum innocentia, amore et assiduitate deprecationis, studii diligentia fuit exemplo.

Lycei studiis peractis et sincera visa eius sacerdotali vocatione, seminarium frequentavi! Bergomerise uti alumnus externus, quia valetudine minus commoda utebatur, ad avunculum parochum habitans.

Anno 1875 est sacerdos ordinatus et autumno eiusdem anni, Iubilaei tempore, sacrae peregrinationis càusa Romam petiit, ubi, in basilica **Sanctae Mariae Maioris, Dei consilium de se intellexit : ut nempe Adoratricum SS. Sacramenti Congregationem institueret.**

Primos annos ministerii sui sacerdotalis apud avunculum egit, tempus consumens operibus caritatis, institutione in Ephebeo S. Alexandri, in Seminario et scholis vespertinis et festis Beati Aloisii Palazzolo, interim propositum suum in animo servans, dum ad effectum adduceretur.

Occursus cum Beata Catharina Comensoli Sancti Gervasii ad Adduam anno 1882 inter praedicationem XL Horarum initium fuit Operis, quod Dominus volebat. Namque etiam Catharina Comensoli idem consilium custodiebat in corde. Statim ambo consenserunt et brevi, Episcopo domino Camillo Guindani probante et benedicente, die 15 mensis Decembris eodem anno Congregationis Sororum Adoratricum SS. Sacramenti initium fecerunt, cui duplex erat cogitatum : Eucharistiae adoratio perpetua, caritatis fontis, et derelictorum cura : puellarum videlicet parentibus orbarum vel in condicionibus periculosis versantibus, quibus nemo consulebat, et invalidarum. Velocissime Institutum floruit.

Episcopus et Curia Opus Servi Dei aspiciebant attente eumque exstabant ad suam industriam augendam, bona parte bonorum Mensae episcopalis ei tradita. Sed difficilia erant tempora, et, inter eos qui Episcopum circumstabant erant etiam qui Franciscum Spinelli benignis oculis non aspicerent et omnimodis ei impedimento esse conarentur.

Victima calamitosae aetatis atque difficilis dioecesis Bergomensis condicionis id temporis, discordia inter <(rigidos » et ((liberales » iactatae, sine controversia et fortiter Episcopo obsequens, patrimonii naufragium admisit, quod novellum et florens Institutum evertit et in finis periculum vocavit.

Doloribus et indignitatibus pressus acerbam illam viam crucis perpessus est tali pace talique serenitate, ut omnes admiratione afficeret; quam pacem et serenitatem hauriebat e sua ipsius gravi et proba conscientia exque studiosa conformatione ad Christum patientem, persuasum habens fore ut vita de morte resurgeret.

Ab Instituto amotus et a dioecesi, acceptus est ab Episcopo Bonomelli in dioecesi Cremonensi, ubi Opus suum perrexit cum Sororibus Domorum locorum *Rivolta d'Adda* et *Lenno* patrio sermone vocatorum.

Mater Comensoli, quae Bergomi manserat, seorsum vitam Congregationis continuavit, cui nomen inditum est « Sorores Sacramentinae ».

Servus Dei forti animo tulit res omnes adversas, quas infelix exitus, ablegatio ab Instituto, pravae interpretationes atque simultas afferebant. Animo non defecit, neminem accusavit, misericordiam non concitavit, sed, egressus ex dioecesi, cum omnia videbantur contra eum et eius Opus ad nihilum recidisse, iterum iniit et est pulcherrimos effectus assecutus.

Tota eius vita cruce notata est : persecutionibus, calumniis, difficultatibus numquam destitutus est, itemque non gravibus longisque corporis doloribus ex articulorum morbo proficiscentibus, quo est immobilis factus.

Quo insuperabiliores difficultates et dolores videbantur, eo laetius Cruci Christi adhaerescebat.

Post amorem in SS. Sacramentum, maxime in Servo Dei parebat caritas erga proximum, quam omnes agnoscebant et laudabant. « Caritas, nobis, eius habebat vultum », quidam iuvenis dixit, eius scholam secutus. Id manifesto ostendunt opera ab ipso condita. Caritas eius omnes complectebatur operas misericordiae : auxilium derelictis ferendum, pro quibus domum aperuit in oppido *Rivolta d'Adda,* ubi nunc quoque excipiuntur et curantur amore misericordi invalidi et senes, qui sibi non sufficiunt; puerorum et iuvenum institutionem et educationem in scholis et Oratoriis; aegrotorum curam etiam in eorum domibus.

Indole irritabilis erat, impotens. Quocirca patronum sibi elegit et exemplar S. Franciscum Salesium seseque tam bene excoluit, ut eum omnes ingenio mitem et dulcem existimarent.

Humilitas atque simplicitas vera et humana insignia eius necessitudinis fuere cum proximo et ad hanc rationem Sorores suas educavit. Solida pietate has praeditas esse voluit, praecipue erga SS. Sacramentum, alacritate atque humili simplicitate cum facilitate ad serviendum omnibus proximi necessitatibus.

Tempus vitae suae ad caritatem informavit, quam semel et in perpetuum Domino obtulit in oppido *Rivolta d'Adda* die 6 mensis Februarii anno 1913.

Eius testamentum virtutem sane ostendit Francisci Spinelli in iniuriis condonandis et in inimicis dirigendis, quos ipse Dei instrumenta putabat pro sua sanctificatione.

Vix 15 annis post mortem Cremonae initium cepit Processus Ordinarius Informativus, qui est ab anno 1928 ad annum 1935 productus. Eodem tempore instructi sunt et confecti etiam tres Processus Rogatoriales annis 1930-1931 Utini, Dertonae et Mediolani.

Introductionis Causae obtentum permissum secutus est Processus Apostolicus Cremonae annis 1953-1957. Simul etiam Utini celebratus est Apostolicus Processus. Horum Processuum auctoritatem agnovit S. Rituum Congregatio decreto die 22 mensis Iunii anno 1962 edito.

Die 14 mensis Aprilis anno 1989 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cui Rev.mus D.nus Antonius Petti, Fidei Promotor Generalis praefuit. Deinde, die 9 mensis Ianuarii anno 1990, habita est Cardinalium et Episcoporum Congregatio Ordinaria, Ponente Em.mo Domino Cardinali Iosepho Caprio. Uterque conventus dubium de virtutibus a Servo Dei heroum in modum exercitis sustulit affirmatione respondendo.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut Decretum super virtutibus heroicis Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Spinelli, sacerdotis, Fundatoris Sororum v. d. ((Adoratrici dei SS.mo Sacramento », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

>B Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

V

DERTOSEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Saturninae Jassá et Fontcuberta, Moderatricis generalis Societatis Sanctae Teresiae a Iesu (1851-1936).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Ignem veni mittere in terram ; et quid volo? Si iam accensus esset!» *(Lc* 12, 49).

Haec Evangelii verba ad effectum adduxit Serva Dei Saturnina Jassá et Fontcuberta, quae miro modo Dei amorem coniunxit, alta deprecatione fultum, et Iesu causae studium, quibus est impulsa ad plenam sui donationem pro animarum salute.

Serva Dei orta est in vico *Calaceite,* intra fines dioecesis Dertosensis, die 3 mensis Martii anno 1851, quattuor filiorum Ioannis Francisci Jassá Valls et Gratiae Mariae Fontcuberta García extrema nata, eodemque die parentes eam, admodum christiani, ad baptismum der tulerunt: a quibus ei probitas obvenit et animi fortitudo una cum indole humana et aperta. In vico *Calaceite* ludum litterarium frequentava suamque institutionem absolvit Scholarum Filiarum a Caritate Sanctae Annae Caesaraugustae aliquamdiu obeundo.

Paucis post annis in vico *Calaceite* constitutum est Sodalicium Teresianum, consociatio scilicet puellarum, quae in animo habebant se plene christianam vocationem tamquam apostólas colere in suo loco. Saturnina in consociationem aggregata est, in qua ardenter laboravit; iis enim iuvenilibus annis amor Domini causa erat cur se proximo dederet. Attrahendi vi, qua erat praedita, usa est ut paroeciae puellas ad Deum adduceret; longissimis in locis innotuit pluribus scriptis de spiritalitate in commentario Teresiano editis. Operibus pascebatur S. Teresiae Abulensis, quam iam tum suam habuit deprecationis et apostolici fervoris magistram. Anno 1874 in spiritus exercitationes incubuit moderante Beato Henrico de Osso. Serva Dei plus plusque

se in propositum firmavit vitam ingrediendi religiosam, sed ei pater obstitit. Hoc mortuo, ultimisque superatis difficultatibus, Saturnina die 4 mensis Maii anno 1877 in Societatem Sanctae Teresiae a Iesu introivit, vixdum a Beato Henrico de Osso institutam, hac mente perpulso, ut per mulieris educationem christianum faceret mundum. Peracto novitiatu, Serva Dei, diploma magistrale consecuta, una fuit ex primis puellis quae se Domino consecraverunt votis nuncupatis Calendis Ianuariis anno 1879 in sacello S. Pauli Tarraconensis.

Servae Dei spiritalem formationem peculiariter curavit Beatus Henricus de Osso, qui eam existimabat unam de columnis Operis sui, affirmando : ((Eiusmodi personae opus sunt nobis : magna intellegentia et alacre cor ». Paucis mensibus post professionem suam ad Dertosanum novitiatum est missa, ubi Antistitae munere iuncta est et magistrae novitiarum. Frequenter Institutor ab ea consilia petebat de gravibus Instituti negotiis, quandoquidem magnae maturitatis spiritalis erat et humanae.

In primo Capitulo Generali, anno 1882 acto, Serva Dei est Antistita Generalis electa. Imprimis quidem de spiritali filiarum suarum formatione cogitavit atque praeparatione ; quibus eius vita fidei atque caritatis, necnon constans deprecatio/ commodorum suorum contemptu), continuo erant stimulo.

Ministram se praebuit fideliter Beato Henrico de Osso **; magno enim ei auxilio fuit in acribus controversiis, quas Institutum subiit. Oboedienter mandatum exsequens ab eo acceptum, « Precationem et silentium », filias suas adiuvit ad difficultates suscipiendas uti Dei amoris indicium et ad tractandos magna cum caritate eos, qui aegritudines inferebant.**

Incrementum dedit, notatione dignum, apostolicum Societati S; Teresiae a Iesu septem annis quibus gubernavit : 15 aperuit scholas in Hispania, Algeria, Lusitania et Mexico. Plerasque e domibus ipsa rexit, quae in difficultatibus versabantur. Eius multa facultas in consiliis capiendis et praesertim fides ac fiducia Dei inexsuperabilibus obiectibus numquam impeditae sunt. Ad omnia parata erat, dummodo Iesu Christi cognitionem et amorem in mundo diffunderet.

Persuasum sibi habens necessarium esse sorores sodales praeparare ad educationis christianae apostolatum, efficacem operam Institutori navavit in exstruenda Domo Studiorum seu Collegio Primario in urbe Barcinone, in qua iuvenes Sorores suam formationem post novitiatum perficiebant.

Antistitae Generalis peracto munere, Pueblam Angelorum (in Mexico) missa est, ubi in alumnas educandas praecipue incubuit. Cum paulo post Societas rogata esset duas domos condendas in natione Mexicana, Serva Dei sese interposuit, Antistita manens scholae recens Chilapae conditae. Sinceram suam caritatem ostendit non in solas religiosas et alumnas, sed potissimum in « indios » illius regionis, quos tamquam vera mater amavit. Ob suae virtutis et vitae religiosae experientiam, sollicitata est ut in congregatione Mexicana haud dudum instituta consisteret: Congregatione scilicet Religiosarum a Cruce Sacri Cordis. Sanctae Sedis permissu duos egit annos cum illis, ut eas adiuvaret « in altius perscrutando charismate earundem Instituti inque virtutibus vitae religiosae pernoscendis ». Eo temporis spatio in exemplo edendo verae vitae religiosae eius doctrina posita erat. Maximum servitium religiosis illis praestitit per vitam suam singularis humilitatis et oboedientiae ; namque de Antistitae munere deiecta Sororum calceamentis reficiendis attributa est. Magno cum simplicitatis spiritu et gaudii hanc mutationem accepit. Biennio exacto Serva Dei ad Societatem S. Teresiae a Iesu rediit, in qua anno 1908 rursus est Antistita Generalis electa. Tunc initium habuit tempus impensioris eius vitae apostolicae industriae. Romam venit, ubi aditum obtinuit Papae Sancti Pii X et Instituti Constitutionum supremam approbationem. Hoc vitae eius spatium cum aetate congruit persecutionis religiosae in Hispania, in Lusitania et in Mexico. Anno 1909, per hebdomadam, quae appellata est <(hebdomas tragica » Barcinonensis, rerum novarum molitores multas incenderunt ecclesias et domus religiosas, ex quibus unam domorum Societatis S. Teresiae. Statim illuc Serva Dei se contulit, quamvis periculose id fieret, ut filias suas adiuvaret et adhortaretur. Praesentiens persecutionem religiosam in Mexico et in Lusitania effici posse, providit ut novos apostolatus campos aperiret in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis et in Brasilia. Eo temporis spatio plus condidit triginta domus, factas ad scholas et ad sedes pro scholasticis Studiorum Universitatum. Duos auspicata est novitiatus, pro America Septemtrionali proque America Australi. Numerosas excitavit vocationes ad vitam religiosam suaque apostolica actione personas implicavit, quae eam adibant spiritalibus et externis necessitatibus obstrictam Dei instrumentum fuit in conversione multorum, qui longe aberant ab Eo.

Propagationem simul curavit Instituti et spiritalem Sororum progressionem, tum communitatibus visendis, tum necessitudinem colendo

cum Domus Generalitiae Sororibus. Servae Dei epistulae formales Sorores dirigebant et incitabant; nunc quoque utiliter leguntur.

Quo amplius Christi cognitionem diffunderet et christianam educationem proveheret commentarium condidit « Iesus Magister » inscriptum, utque mulierem intus in familia ad proprium sui munus for,maret, instituit « Centra Oeconomiae Domesticae)), quae dicebantur, praeter Academias Teresianas quondam alumnarum, quae navitatem institutoriam scholarum prolatabant et perficiebant.

Anno 1920, annos nata 69, Antistitae Generalis munere exacto, Consilii Generalis est particeps facta. Tunc potuit plenius deprecationi et adorationi Sanctissimi Sacramenti se dedere. Eius vita constans fuit virtutum exemplum unique Domino vivere videbatur. Ante Tabernaculum longas agebat horas genibus nixa et frequenter bracchiis cum consertis, veluti a corpore abstracta. Laboribus humilioribus vacabat et gaudebat quod poterat cum Sororibus sodalibus de vita colloqui spiritali.

Ultimos vitae annos in novitiatu Iesu-Dertosensi transegit. Novitiae et quae ibi habitabant plenam eius oboedientiam mirabantur, humilitatem maximam, apostolicum amorem et studium. Sacerdotes quoque urbis eam adibant, ut eius audirent verba.

Serva Dei cupiebat et a Deo gratiam martyrii postulabat. Sanguinem quidem suum pro Christo effundere nequivit, sed extremis mensibus acerbum est passa cruciatum, qui morte cumulatus est summa in solitudine.

Bello civili Hispanico, anno 1936, saeviit persecutio religiosa. Mater hinc Saturnina, cum aliis novitiatus Religiosis, e domo sua expulsa est a seditiosis militibus; quam ob rem ei hospitium quaerendum fuit. Nolens familiam, quae eam tecto receperat, in discrimen adducere, cum alia Sorore ad oppidum *Ghodos* (situm in territorio municipali *Castellón de la Plana),* sed seditiosorum Consilium non sivit eam in oppido illo commorari. Dertosam relata est, ad novitiatum in valetudinarium mutatum. Ipsi Militiani virtutem Matris Saturninae mirati sunt, quae 85 annorum, licet periculosum esset propriam fidem profiteri temporibus persecutionis, nec deprecari destitit nec hymnos canere Virgini Mariae.

Paullo plus mensem egit in valetudinario, repudiata domicilii in locum tutiorem translatione ut sortem aliarum suarum Sororum communicaret. Affirmabat se multum pati, sed felicem esse. Femur fregit

et illum est perpessa dolorem non queritans. Deum exorabat sua ei offerens tormenta, suaque patientia medicis et aegrorum ministris sui iniciebat admirationem. Nocte diei 13 mensis Octobris a. 1936 suam Deo tradidit animam.

Eius morte cognita, Religiosae quae ad diversas urbis partes confugerant, periculum obeuntes, accucurrerunt, ultimum amoris et venerationis obsequium Matri Saturninae tributurae. Eius fama sanctitatis, quae magna fuerat ea viva, increbruit post mortem.

Quapropter Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi coepta est. Instructus est igitur episcopali potestate in curia ecclesiastica Dertosensi (annis 1966-1970) Processus super sanctitatis fama Servae Dei et super scriptis eidem tributis ; cui accessit et Processus rogatorialis apud curiam archidioeceseos Angelorum in Mexico (aa. 1968-1969). De utriusque canonicae inquisitionis forma et vi Decretum huius Congregationis exiit die 13 mensis Iulii a. 1984. Nihil obstare ex parte Servae Dei scriptorum iam constitit ex Decreto diei 6 Iulii a. 1973.

Servatis igitur omnibus de iure servandis, perventum est ad disceptationem super heroicis Servae Dei virtutibus, idque primum, die 23 mensis Maii anni 1989, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 9 Ianuarii anni huius, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum huic Dicasterio praepositorum, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo. Et in utraque congressione proposito dubio num Serva Dei virtutes coluisset christianas heroum in modum omnes, qui aderant, adfirmando responderunt.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, rataque habens, praecepit ut super heroicis Servae Dei virtutibus Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierno die ad Se cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Saturninae Jassá et Fontcuberta,***

Moderatricis Generalis Societatis S. Teresiae a Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

VI

PARISIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Fratris Exuperiani (in saec.: Hadriani Ioannis Felicis Mas), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (1829-1905).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((In vestri ministerii exercitio, boni Ecclesiae studio est vobis studium societatis coniungendum, cuius vestri alumni participes sunt. Ecclesiae bonum parabitis eos veros christianos reddendo ac fidei veritatibus sanctique Evangelii praeceptis obsequentes. Societatis apparastis bonum eos omnia docendo, quae a vestro requiruntur ministerio, semper necessitudinis cum rebus externis habita ratione » *(Medit.* 160-3).

In hoc ministerii exercendi itinere, ab eius Fundatore Sancto Ioanne Baptista de la Salle significato, totam egit vitam Servus Dei Frater Exuperianus.

Ex eius facultatibus tum naturalibus tum, his coniunctis, supernis, eius intellegitur labor assiduus, unde inceptis abundavit et vi efficiendi in suo Instituto atque pro alumnorum et quondam alumnorum bono. Ex hoc proposito est incitamentum profectum ad impensam spiritalem vitam crebris secessibus et exercitationibus spiritalibus medi-

tationibusque pariterque mensibus Ignatianis consequendam ; editio profecta est operum et scriptorum de religione eiusque sensu, inter quae est notatione dignum « Memoria novitiatus » quod inscribitur : omnia tamen consentanea sunt spiritalitatis Sancti Ioannis Baptistae de la Salle. Ferventissima eius apostolatus vita his prorsus votis fovebatur.

Frater Exuperianus, in saeculo Hadrianus Ioannes Felix Mas, natus est in oppido *Pujol,* intra fines dioecesis Montis Pessulani (in Gallia), die 7 mensis Iunii anno 1829, opulenta familia. De puero curam adhibuerunt avus et amita, dominula Eugenia Mas, quae in eadem habitabat domo.

Dies baptismatis ignotus est, quoniam indices paroeciales disperierunt, sed e testimoniis admissionis ad Primam Communionem et ad Confirmationem conicitur, illam die 4 mensis Iunii anno 1841 acceptam, hanc die 16 mensis Augusti eodem anno.

Loci in quo ortus est ludos litterarius frequentavit usque ad decem annorum aetatem ; deinde in ephebeum immissus est Fratrum Scholarum Christianarum Biterrensium, ubi in disciplinis eminuit et in pietate : quo re anno 1845, sedecim annos natus, ab aequalibus electus est Praefectus Congregationis Marianae internae. Dum Iesum Eucharisticum salutabat, ob XL Horarum adorationem expositum, ad vitam religiosam, et quidem ad vitam Instituti Fratrum Scholarum Christianarum se vocari animadvertit.

Familiarium dissensione superata, die 14 mensis Septembris anno 1847 est novitiatum Tolosanum ingressus et die 8 mensis Decembris vestem induit religiosam, nomine capto Exuperiano. Die 24 Septembris anno 1854 professionem fecit perpetuam.

Ad convictum Biterrensem tamquam praeceptor missus, usque ad annum 1859 ibi mansit, cum est ad Parisiensem Domum Principem arcessitus. Annis quattuor post nominatus est Magni Novitiatus Rector ; quod munus usque ad annum 1873 sustinuit.

Bello furente Gallico-Borussico (annis 1870-1871) iussus est instruere cum 75 Fratribus valetudinarium militibus sauciatis excipiendis, cui nomen erat « La Grande Ambulance de Longchamp ». Cum rerum novarum moli tores, bello ad finem adducto, summa imperii potiti sunt, mense Maio anno 1871 cum 24 Fratribus comprehensus est et in carcerem coniectus loci *Mazas* apud Lugdunum. Quindecim mensibus post missi sunt.

Quiete redintegrata, in Capitulo Generali anno 1873 acto, electus est Adiutor Antistitis Generalis; quod munus est ei usque ad mortem continuatum.

Ab anno 1897 ad annum 1904 partem habuit Consilii Superioris Institutionis Liberae, dum turbo saeviebat inclinationis ad morum saecularium corruptelam, et servare conatus est quod Scholae Catholicae in Gallia servari poterat, post collegiorum religiosorum oppressiones, quas Potestates annis 1878-1880 et dein anno 1903 decreverant. In duas incurrit curruum colusiones mense Octobri anno 1903 et eodem mense insequentis anni 1904. Mense Ianuario anno 1905 faciei paralysi est correptus. Die 31 Ianuarii anno 1905 mortuus est, sanctus habitus, septuaginta quinque annorum et mensium septem.

Saeculi XIX altera parte vir amplissimus fuit in suo Instituto et in Galliae catholica institutoria regione, praesertim per recursum ad prístinos fontes Ioannis Baptistae de la Salle. Eius alacritas non circumscripta mansit in Domo religiosa neque in schola. Miras clarorum hominum est assecutus conversiones condiditque Opus a Sancto Iosepho Benedicto Labre, eo consilio, ut optimos alumnos ad catholicam praepararet militiam : inde ortae sunt multae sacerdotales et religiosae vocationes. Sodalitatem instituit pro iis, qui muneribus fungebantur in commercio inque negotiis quaestus causa exercitis, ex qua erat postea oritura « Societas Gallica Operariorum Christianorum » (((Confédération Française des Travailleurs Chrétiens »): ita sollicitudini obsequebatur Summi Pontificis Leonis XIII de operariorum provincia, significatae anno 1891 in Litteris Encyclicis *Rerum Novarum.* Illi Sodalitati favit forti cum spiritu supernaturali atque vivo cum sensu sociali christiano. Vehementem explicavit apostolatum in suo munere Administratoris scholasticarum provinciarum, quae ei concreditae sunt in Consilio Superiore Institutionis Liberae, cuius particeps erat.

Vir idcirco singularis videtur fuisse in suo Instituto propter spiritalem renovationem, quam constanter est persecutus in formanda altiusque comprehendenda sodalium Fratrum vita interiore per exemplum, rectionem spirituum, scripta, Secessibus, motibus sedulae vitae christianae, quos tum in campo stricte religioso, tum in sociali excitavit.

Ampla haec religiosa et socialis industria potissimum ardenti nitebatur pietate in Eucharistiam, in Iesu Passionem et Mortem, filiique religione erga Sanctissimam Virginem. Nec est silentio praetermittenda eius pietas in Sanctum Ioseph suumque Fundatorem, quem est

fideliter imita tus in spiritualitate et in applicatione apostolica. Horas consumebat in adoratione ante Tabernaculum et omni diei momento se acriter coram Deo esse sen tiebat.

Ab amore Dei, impense explicato, amor manabat proximi: amor origine et causis divinus, universalis. Si quos praeter ceteros dilexit, hi pauperes, egentiores, maerentes fuere; intendebatque praecipue bonum spiritale et aeternam salutem. Hinc etiam eius incommodorum studium, assiduus labor, tranquillitas in discriminibus et in morbis ostensa, itemque multa pax et constans, quam in difficultatibus praestitit et temporibus arduis.

Fratribus Scholarum Christianarum exemplo fuit eximio, eos adiuvando ut Sanctum Fundatorem fidenter aspicerent, ad futura tamen contendentes, gnari scholam catholicam non se ipsam spectare, sed tempus posterum. Religiosorum, institutioni deditorum, animos confirmavit, ut suam apostolicam pergerent actionem praeter scholam quoque, comprobavitque liberam eruditionem toto homini formando prodesse.

Instanti tunc tempore virtutes magnopere explicavit, solida nisus vita spiritali, exitum autem suae institutoriae actionis in reliquum proiciens tum pro Fratribus, tum pro iuvenibus, omnino Sancti Ioannis Baptistae de la Salle congruens.

Vix 17 annis post mortem Processus Ordinarius Parisiensis actus est a die 24 mensis Martii anni 1922 ad diem 28 mensis Februarii anni 1924. Causa introducta per Decretum Sacrae id temporis Rituum Congregationis die 18 mensis Iulii editum anno 1934, Processus Apostolicus est celebratus a die 12 mensis Octobris anni 1935 ad diem 19 mensis Aprilis anni 1937. Longum deinde supervenit intervallum, e difficultatibus exortum alterius omnium gentium belli et temporis post idem bellum, ob rationes ad Causam non pertinentes. Die 6 mensis Aprilis anno 1979 proditum est de Processuum vi et auctoritate Decretum.

Die 14 mensis Februarii anno 1989 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui « Promotor ad casum» praeerat Rev.mus D.nus Vincentius Carbone, faventem tulit sententiam de virtutibus Servi Dei heroum in modum cultis. Congregatio vero Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum celebrata est die 20 mensis Februarii anno 1990, Ponente seu Relatore Em.mo ac Rev.mo D.no Eduardo Cardinali Gagnon. De his rebus omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum certior factus est Summus Pontifex Ioannes Paulus II, qui

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super virtutibus Famuli Dei heroum more exercitis appararetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierno die ad se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, Servi Dei Fratris Exuperiani (in saeculo Hadriani Ioannis Mas) in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83. Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

VII

TAURINEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Fratris Theodoreti (in saec.: Ioannis Garberoglio), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (1871-1954).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum m Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II in Declaratione de educatione christiana ita munus exprimit eorum, qui ad iuvenes christiane educandos vocati sunt: « Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorundem Officio implendo iuvantes et communitatis humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt; quae vocatio peculiares mentis et cordis dotes,

diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat» *(Gravissimum educationis,* 5).

Servus Dei Theodoretus (in saeculo Ioannes Garberoglio) vita et opera, in humilitate inque occultatione, necessarias mentis et cordis facultates ad effectum adduxit, magnam praeparationem et praesertim continuum nisum semper novis Ecclesiae atque mundi condicionibus respondendi evangelizatione et humana progressione per scholam praecipue catholicam, idque ad familiae sanctificationem et derelictorum ac pauperum recuperationem.

Frater Theodoretus intellexit solummodo fortem religionis sensum posse tuto huic actioni cavere : quem sensum in alta invenit et ardenti pietate erga Iesum Crucifixum et a morte ad vitam revocatum, in Eucharistia atque in tenero Virginis Immaculatae cultu.

3. Pour favoriser la paix, chacun reconnaît l'importance de la coopération économique ; c'est l'aspect le plus apparent du soutien efficace qu'attendent les nations en voie de développement. J'ai déjà évoqué cette question à Ouagadougou il y a quelques jours. Devant vous, j'aimerais saluer les efforts positifs accomplis, tels ceux qui ont abouti à la nouvelle Convention de Lomé signée récemment, telles les dispositions prises pour alléger le fardeau de la dette des pays les plus démunis, ou bien de nombreux accords avec les organismes financiers internationaux et de pays à pays.

Le long chemin qui reste à parcourir pour parvenir à de meilleurs équilibres vous est connu ; beaucoup d'entre vous travaillent à faire avancer une coopération bénéfique. Je désire simplement insister, une fois encore, sur les conséquences humaines des accords économiques, sur la nécessité de la concertation, sur le respect des responsabilités exercées par les dirigeants et les travailleurs des zones moins favorisées, ainsi que sur l'attention que l'on doit aux valeurs traditionnelles et à la civilisation des partenaires.

La solidarité internationale doit encore intensifier la coopération en faveur des pays défavorisés. L'opinion mondiale comprend mieux à présent l'urgence de la protection de l'environnement. Est-elle prête à fournir l'effort nécessaire? Est-elle prête aussi à prendre tout autant au sérieux les besoins des peuples pauvres pour leur santé, pour la formation des jeunes, pour l'information et la communication, pour le développement des infrastructures et des services, pour faire avancer la recherche scientifique dans les domaines spécifiques de ce continent, pour permettre aux institutions scientifiques et techniques africaines d'avoir libre accès aux connaissances et aux savoir-faire acquis ailleurs?

Pour illustrer mon propos d'un exemple concret, on me permettra d'évoquer la convention signée l'an dernier par le Cameroun et le Saint-Siège en vue de la constitution d'un centre universitaire, l'Institut catholique de Yaounde. Il s'agit là d'une coopération culturelle à laquelle participent aussi d'autres pays africains.

Comme je l'ai écrit dans un document solennel, « la solidarité nous aide à voir l'"autre" — personne, peuple, nation — [...] comme notre "semblable", une "aide" (cf. *Gn* 2, 18. 20), que l'on doit faire participer, à parité avec nous, au banquet de la vie auquel tous les hommes sont également invités par Dieu ».[1]

4. Lorsque l'on considère la coopération internationale pour la paix et particulièrement pour le développement, ce sont fréquemment les relations entre le Nord et le Sud qui sont présentées. J'aimerais cependant souligner le grand bénéfice que les nations africaines peuvent retirer d'une collaboration plus intense entre elles, du Sud avec le Sud.

La diversité des ressources et des situations — ne serait-ce qu'entre pays ((enclavés » et pays ouverts sur la mer — devrait inciter les Etats à mieux organiser leurs échanges et leur complémentarité. La géographie même le suggère, dans les grands bassins fluviaux, pour la production d'énergie, pour les moyens de transport. Et lorsqu'il s'agit de la circulation des personnes, des investissements nécessaires à la formation et à la recherche, de la complémentarité des productions agricoles et industrielles, l'entente entre les hommes ne peut plus se heuter à des frontières auxquelles d'ailleurs leurs ancêtres ne s'arrêtaient guère.

Il faut souhaiter que les Organisations africaines, continentales ou régionales, deviennent sans cesse plus actives, afin d'être de véritables

[1] Encycl. *Sollicitudo rei socialis,* 39.

instruments de promotion de la paix et du développement au profit de tous leurs membres. La mise en œuvre de projets communs concrets les aidera, d'ailleurs, à élaborer des positions communes dans les débats parfois difficiles qu'entraîne la conjoncture internationale.

Pour sa part, l'Eglise en Afrique a pris l'habitude de la concertation régionale et continentale. Comme vous le savez, tous les catholiques sont actuellement invités à une réflexion approfondie sur tous les aspects de la mission ecclésiale, afin de préparer l'Assemblée spéciale du Synode des évêques pour l'Afrique qui sera une large consultation à l'échelle de toute cette partie du monde.

5. Mesdames, Messieurs, je voudrais achever ce rapide tour d'horizon en formulant des vœux fervents pour tous les Africains.

Je souhaite que la paix progresse, que chaque être humain ait la chance de s'épanouir, de se former, de fonder une famille et d'élever ses enfants, d'exercer un travail utile, de garder les plus belles de ses traditions et la générosité que nous reconnaissons dans son héritage.

Et je souhaite qu'ainsi la liberté progresse, car la pauvreté matérielle, intellectuelle et spirituelle empêche le plein exercice de la liberté des personnes, des familles et des communautés.

Que l'action des dirigeants et la collaboration internationale aident les Africains à recevoir le meilleur de ce qui peut leur être apporté sans que jamais personne ne soit méprisé, corrompu ou blessé au fond de son être !

J'exprime toute mon estime à la nation dont nous sommes les hôtes, et à celles que vous représentez.

Je demande à Dieu de donner à tous les peuples d'Afrique la force de l'espérance.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

quo editio altera Pontificalis Romani de ritu ordinationis episcopi, presbyterorum et diaconorum promulgatur et typica declaratur.

Ritus Ordinationum, quibus Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia constituuntur, iuxta normas Concilii Vaticani II (cf.'*SC,* 76) recogniti, anno 1968 in prima editione typica promulgati sunt sub titulo *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi.*

Nunc vero, attenta experientia, quae e liturgica oritur instauratione, opportunum visum est alteram parare editionem typicam, quae relatione habita ad priorem sequentia praebet elementa peculiaria :

1. Haec editio ditata est *Praenotandis,* sicut ceteri libri liturgici, ut exponatur doctrina de sacramento et structura celebrationis clarius eluceat.

2. Dispositio libri immutata^est, ita ut initium sumendo ab Episcopo, qui plenitudinem sacri Ordinis habet, melius intellegatur quomodo presbyteri eius sint cooperatores et diaconi ad eius ministerium ordinentur.

3. In Prece Ordinationis sive presbyterorum sive diaconorum, verbis quae ad naturam rei pertinent et ideo ad valorem actus exiguntur iisdem manentibus, nonnullae mutatae sunt locutiones, quaedam sententiae adiunctae e Novo Testamento haustae, ita ut ipsa Prex electis et christifidelibus ditiorem presbyteratus et diaconatus praebeat notionem, in quantum a Christo sacerdote profluunt.

4. Ordinandi presbyteri modo magis explicito interrogantur de ministerio reconciliationis exercendo et de Eucharistia celebranda.

5. Ritus de sacro caelibatu amplectendo, a Sacra Congregatione pro Cultu Divino apparatus, ad normam Litterarum Apostolicarum *Ad pascendum,* quae a Paulo PP. VI fel. rec. anno 1972 datae sunt, nunc inseritur in Ordinationem diaconorum. De speciali autem mandato Summi Pontificis Ioannis Pauli II, disciplina mutata est ita ut etiam electi, qui in Instituto religioso vota perpetua emiserunt, posthac teneantur in ipsa Ordinatione diaconorum, derogato praescripto canonis 1037 Codicis Iuris Canonici, sacrum caelibatum amplecti tamquam peculiare propositum Ordinationi de iure coniunctum.

6. Item sodales Institutorum vitae consecratae in Ordinatione ad diaconatum et presbyteratum posthac interrogandi erunt etiam de reverentia et oboedientia erga Episcopum dioecesanum ad unitatem fovendam omnium clericorum in unaquaque Ecclesia.

7. Ad modum Appendicis additur Ritus pro admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, paucis tantummodo mutatis.

Editionem alteram Pontificalis Romani *De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum* Summus Pontifex Ioannes Paulus II auctoritate sua approbavit et Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum nunc promulgat et typicam esse declarat.

Conferentiis Episcoporum curae erit textus, ritus et normas, quae in hac editione inveniuntur, in praxim et in editiones linguis vernaculis apparandas inducere.

Iidem ritus ac textus, lingua latina exarati, statim ac prodierint erunt adhibendi; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Conferentiis Episcoporum approbatae ab Apostolica Sede sint recognitae, a die quem ipsae Conferentiae statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 Iunii 1989, in Sollemnitate Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum.

EDUARDUS card. MARTÍNEZ, *Praefectus*

£ß Ludovicus Kada
archiep. tit. Thibicen., *a Secretis*

In Congr. de Cultu divino et Disciplina Sacramentorum tab., n. CD 145/89.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

RHEGINEN.-BO VEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Caietani Catanoso, presbyteri et parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Veronicarum a Sancto Vultu (1879-1963).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Deus, illustra faciem tuam, et salvi erimus» *(Ps 80,* 4). Quotquot caelitus donum acceperunt Christi vultum per fidem contemplandi, qui est imago Dei invisibilis (cf. *Col* 1, 15), ad amorem Dei cognoscendum efferuntur et, divina adiuvante gratia, novae fieri possunt creaturae, Evangelii testes intrepidi ac in terra regni Dei molitores.

Servus quoque Dei Caietanus Catanoso, sacerdos corde puro et ardenti, in Domini vultus studiosa contemplatione vixit et, miserandis eum passionis eventibus deturpatum videns, acerbo est affectus dolore atque, contentis viribus nisus est ad divinam ei restituendam pulchritudinem, ad mundi expianda peccata et ad humani generis Christi sanguine redempti et vulneribus sanati, gloria filiorum Dei faciem illuminandam.

Fidelis hic Ecclesiae minister in pago *Chorio* Sancti Laurentii, intra fines archidioecesis Rheginensis posito, die 14 mensis Februarii anno 1879 ab Antonio Catanoso et Antonilla Tripodi ortus est. Eodem die, per baptismatis sacramentum est ad Christum sacerdotem conformatus, regem et prophetam, et novi foederis populi factus est particeps. Anno 1882 Confirmationis accepit sacramentum. Gratiae semen cecidit profecto in terram fertilem, quandoquidem, ipsius pueri voluntate et parentum cura obsecundatum, mature fructus copiosos edere incepit.

Decem annos natus, vocatione ad sacerdotium percepta, domum reliquit et Rheginense est ingressus archiepiscopale seminarium. Formationis ac praescriptorum studiorum tempore exacto, sacerdos est ordinatus a Cardinali Ianuario Portanova, die 20 mensis Septembris anno 1902: qua tempestate publice propositum significavit se esse valde Christi dignum ministrum usque ad mortem et propinquos amicosque rogavit, ut pro eo deprecarentur, ut Cor Iesu eum ad sanctitatem adduceret. Quod ut assequeretur, tunc promisit se nullum commissurum esse mortale peccatum et ne veniale quidem voluntarium coramque Deo omni vitae suae tempore mansurum.

His susceptis consiliis statim suum iniit ecclesiale servitium, laetans se pro Dei gloria proque animarum salute laborare; Biennio in eodem seminario, ubi fuerat alumnus, praefectus fuit disciplinae. Deinde, anno 1904 rector seu parochus nominatus est loci *Pentidattilo* in regione quae vulgato nomine *Aspromonte* dicitur, in quo paupertas dominabatur, litterarum ignorantia, religionis inscientia, et vulgus neglectum, interdum violentiae calamitatem patiebatur. Dei Servus, minime in inspectionibus pastoralibus et socialibus moratus, ilico totum se dedidit pastoris muneri explendo, omnibus omnia factus, ne quis extra esset maternam Ecclesiae sollicitudinem et Redemptionis bonorum expers. Cum simplicitate et serenitate privationes, incommoda, gaudia et dolores cum populo suo communicavit, cuius sedulus fuit pater et fulgidum vitae exemplar. Non ei tempora defuerunt difficultatis et vexationis, sed ex Eucharistia, quam ardenter adorabat, vim hausit ut in loco suo maneret, ut eiusmodi difficultatibus obsistere et apostolatui pergeret se donare, nihil sibi parcens. Hac edoctus experientia, repetebat : « Oportet pro sacerdotibus precari, qui soli sunt nec comprehenduntur » ; et residuam vitam suam in eos iucunda impendit caritate.

Iam tum populus inaestimabile in eo donum illud perspexit Spiritus Sancti, quod est paternitatis charisma et sponte coepit illum « patrem » appellare ; quo nomine non destitit vocari, quodque melius quam quodlibet aliud eius sacerdotis et pastoris indolem patefaciebat.

Cum plus quam se animas amaret, diligens fuit in verbo Dei nuntiando inque christiana doctrina explananda; pius in sacris celebrandis mysteriis, assiduus in Confessionum peccatorum ministerio ; erga familias indigentes überaus ; de aegrotis sollicitus. Pro iuvenibus, qui publicas scholas frequentare non poterant, scholam vespertinam aperuit, in qua ipse magister fuit. Non ei satis erat Communitati suae

quam optime servire, sed libenter viciniores parochos adiuvabat in praedicatione et in Paenitentiae sacramento subministrando. Dum autem alios in Dei viis ducebat, ipse, sanctitatem sitiens, in Christi imitatione et in apostolatus fervore proficiebat.

Hoc plane tempore anima eius amore quodammodo seu pietate incensa est in Vultum Domini patientem, cuius cultum alacriter propagavit in populo, nisusque est etiam sacerdotes ac laicos apostolatu luendorum peccatorum implicare, praesertim blasphemiarum et dierum festorum violatorum. « Sanctus Vultus — aiebat — mea est vita : Is mea vis est » ; et insuper : « Iesu multae opus sunt Veronicae ob blasphemiarum et sacrilegorum peccata, multique Cyrenaei ob crucem in dies graviorem pauperiorum, qui sine solacio sunt et sine auxilio ».

Acri cum perspicientia hanc coniunxit pietatem cum Eucharistiae cultu. Ad hoc quod pertinet, scripsit : « Pietas erga Sanctum Vultum a sacro Veronicae velo proficiscitur, in quo Dominus noster Faciei suae divinae sanguine suo lineamenta impressit. Praestantissimae reliquiae sunt, quas Ecclesia servat nosque adoramus. Sed si verum Iesu vultum, non solam imaginem, adorare volumus, hunc invenimus vultum in divina Eucharistia, in qua, una cum Iesu Christi Corpore et Sanguine, sub hostiae albo velamine Domini nostri Vultus obtegitur ». Quoniam autem Christus omni adest homini patienti, voluntatem confirmavit suam omni ope allaborandi, ut dolentes consolaretur et Creatoris atque Redemptoris imaginem redintegrant in eorum cordibus et vultibus, qui iis destituti essent peccati causa.

Anno 1918 factus est « Sancti Vultus Missionarius» nomine dato Sodalitati Turonensi; insequenti porro anno in pago *Pentidattilo* Vultus Sancti Piam Unionem instituit; et postea commentarium condidit pietati eidem diffundendae.

Item, persuasum habens Bruttiorum populi renovationem spiritalem et moralem re obtineri non posse sine sacerdotum actione pastorali, Opus Clericorum Pauperum constituit, cuius erat iuvenibus inopibus necessaria praebere ad sacerdotium assequendum. «Omnibus nostris utamur viribus — scripsit — ut Ecclesiae multos sanctosque demus sacerdotes, pauperibus vocatis auxiliando. Praesertim in agris nostris pulcherrima flores sunt, qui misericordem manum exspectant eos carptos in aureolam Domini transposi turam. Non Igitur vocationes desunt, uti nonnulli dictitant, quibus corda sunt a liberalitate abhorrentia ». Et subiciebat : « Libentissime vellem totum sanguinem meum in lacrimas mutari, si possem hoc impendio tot pauperum vocationes pro-

ferre, quae in futurum Ecclesiae minuerent fletum, animarum matris, totque animarum fletum ministerii sacerdotalis consolatione ».

Ab anno 1921 ad annum 1940 in Rheginensi urbe parochus fuit ecclesiae S. Mariae a Purificatione (quae etiam « della Candelora » vulgo appellatur), ubi a fratre sacerdote Paschalino adiutus impensiorem ac ampliorem explicavit navitatem. Ex eius muneribus potissima fuerunt evangelizatio, catechesis traditio, missiones ad populum, Eucharistiae cultus, Confessionum ministerium, cura pauperum et lacessitorum a scelestis ac nefariis consociationibus, opus vocationum sacerdotalium, admissio eorum, qui eum adibant. Numquam voluit ardori suo apostolico modum statuere, idque bene animadverterunt eius Superiores, qui ei alia etiam munia delegaverunt, saepe graviora, qualia fuerunt ministeria magistri spiritus seminarii archiepiscopalis (annis 1922-1949), cappellani Valetudinariorum Consociatorum (annis 1922-1933), confessarii Institutorum Religiosorum urbis et carceris (annis 1921-1950), canonici paenitentialis ecclesiae cathedralis (annis 1940-1963), rectoris Piae Unionis a Sancto Vultu, Rhegium a *Pentidattilo* pago translatae anno 1950 per decretum Demetrii Moscato, Archiepiscopi Salernitani et Rheginensis atque Bovensis Administratoris Apostolici.

Annis in regione Ecclesiae *Aspromonte* actis Dei Servus condicionem cognoverat socialem et religiosam difficilem et acerbam. « Etiam anno 1920 praeterito — scripsit — remota visens dioecesis loca in Bruttiorum montibus et in omnibus fere archidioecesis paroeciis praedicans, animi sensu contrationem tot parvulos videns innocentes corruptelae obnoxios, tot pueros sine moderatione et directione in vita, nimias ecclesias pauperes et nudas totque Tabernacula decore carentia, sacerdotes patientes et curationis expertes».

Tunc consilium animo concipere coepit Congregationem religiosam virginum instituendi, quae pietatem divulgaret erga Sanctum Vultum Iesu et sacerdotibus egentioribus solacium ferret atque paroeciis ab urbe longinquioribus et neglectis auxilium. Anno igitur 1934, a Beato Aloisio Orione quoque impulsus cuius iamdiu amicus erat, quamvis inopia et difficultates omne genus obstitissent, Sororum Veronicarum Institutum a Sancto Vultu condidit, quod anno 1958 canonice approbatum est ab Archiepiscopo Ioanne Ferro et deinde a Sancta Sede. Ipse affirmavit Sorores a se institutas esse debere « personarum genus quod suos alioqui sciret, quod Dominum amaret in simplicitate, quod non exquireret utrum in loco, quo se contulisset, domus esset vel hortus necne

Personae, quae irent nihil exigentes, quae se dederent, quae Ecclesiam adiuvarent». Addebatque : «Nonne ego asinus Domini sum? Opto igitur Sorores a me constitutas ultimas esse, seorsum relictas, non existimatas. Missionariae a Sancto Vultu eae esse debent, quae pauperibus opitulentur, quae Evangelium pueros doceant, quae morientibus praesto sint, quae sacerdotibus auxilientur senibus et aegris, quae deprecentur nec solum relinquant Iesum captivum amoris in ecclesiis derelictis, ubi Dominus ab omnibus deseritur ». Frequenter eas monebat : « Locus vester is est, quem alii renuerunt, inter pauperiores et humiliores ». Secundum has normas, cum prudentia et amabilitate, suum rexit Institutum, illud fovens, ut non paucas superaret difficultates seseque extenderet ad archidioecesis Rheginensis varias paroecias atque ad alias.

Ut eam roboraret et augeret pietatem, quae eius spiritus et apostolatus praesidium erat, templum exstruere cogitavit, Sancto Vultui dicandum; sed mors quae ei supervenit non sivit eum perfectum videre illud. Providentia tamen multo plus ei concessit, ut nempe se templum spiritale Domino faceret (cf. *2 Cor* 6, 16), vere vivum templum, pro tota Rheginensi civitate signum. Qui portas huius templi intrabat, semper patentes, Dei sentiebat praesentiam et inde animo confirmatus et in propositis stabilitus exibat. Servus enim Dei, a Crucifixo edoctus et Eucharistia enutritus, indicium factus erat misericordis caelestis Patris amoris, iis praecipue, qui ab eo peccatorum veniam petebant et spiritus moderationem. Eum cum fiducia adibant Ecclesiae Rheginensis Pastores, sacerdotes, virgines Deo sacratae, seminarii alumni, laici, quos semper cum benignitate et humanitate excipiebat. Sapientia ductus, quae a Spiritu venit, arundinem quassatam non confringebat et lucernulam fumigantem non exstinguebat (cf. *Mt* 12, 20), sed omnes hortabatur, ut vita sua Deum laudarent et bono vincerent malum.

Divini Magistri praeceptis obsecutus, officium animadvertit debere se salem esse terrae et lucem mundi (cf. *Mt* 5, 13-14) ; quamobrem uti verus evangelii missionarius, non solum se sanctificavit, sed verbo, scriptis et operibus splendidum testimonium dedit fidelitatis erga Christum et pacifice sensimque animas concitavit, quae vere et humiliter incumberent in Bruttiorum condiciones religiosas meliores comparandas. Nec societatis maiorum neglegens fuit, quae necessario peccatum consequuntur. Hinc, caritatis vi et humilitatis, conatus est pauperibus dignitatem reddere suam et funditus e societate omnia tollere,

quae divino obstant consilio. ((Regnum Dei — aiebat — amoris est regnum ; at quomodo potest regnum amoris aedificari, ubi nec iustitia, nec institutio, nec decorus vitae modus provideri possunt? ». Pro certo habens sola denuntiationis et consensionis verba non suppeditare ad excruciatorum profligandas quaestiones ad vitam pertinentes (cf. *loc* 2, 15-16), dilectis pauperibus servivit «in opere et veritate» *{1 Io* 3, 18). Quare, exemplo capto de bono Samaritano, cuius evangelium mentionem facit (cf. *Lc* 10, 30-37), fratrum egenorum misertus est et sedulo ac gratuito eorum curavit plagas, verbum Dei in societate inque Ecclesia sui temporis exemplo praedicans, praeceptis et optatis suorum ecclesiasticorum Antistitum penitus obtemperans.

Tanta pastoralis industria, dum populo bene faciebat, praestans ei fuit propriae sanctificationis via. Ita id ad effectum adduxit, quod Concilium Vaticanum II erat praecepturum : Presbyteri, « nedum apostolicis curis, periculis et aerumnis impediantur, per ea potius ad altiorem sanctitatem ascendant, ex abundantia contemplationis actionem suam nutriendo et fovendo, in oblectamentum totius Ecclesiae Dei » (Const. dog. *Lumen Gentium,* 41).

Summa cum diligentia excoluit interiorem suae vitae gratiam, miro modo temperata cum animarum cura, cum amore meditationis, contemplationis aeternarum veritatum, deprecationis diuturnae. Cum Deo ambulavit, cuius perfecte voluntatem fecit et gratiis generose respondit. Continenter ad perfectionis montem processit, praeceptum Domini ante oculos habens : « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est» *{Mt* 5, 48). Verus homo Dei, numquam se ipsum quaesivit, nec suis fisus est facultatibus, quae quidem eximiae erant; numquam est secundis eventibus allectus nec difficultatibus et aegritudinibus fractus. Honores et bona terrena nihil fecit. Vim vero suam ex fide pura hausit, ex caritate ardenti, e laeta spe, ex impigra oboedientia, ex evangelica paupertate, ex plena divinae Providentiae fiducia, ex serena crucis acceptione. Missa cotidie pie celebrata et crebra altaris Sacramenti adoratio, vis eius sacerdotii fuerunt et eius apostolatus munimen. Testimonium summi momenti quod Eucharistia habuit in eius vita, opella est quae inscribitur « *Ora eucaristica sacerdotale* », quam typis edidit anno 1915.

Libenter aspera exercitavit, continentiam et paenitentiam, tamquam rationes quibus in Christi imitatione cresceret et efficaciores redderet pastorales labores. Patienter morbos perpessus est et caecitatem, qua extremo vitae tempore est affectus. Non solum quodlibet attente vi-

tavit peccati genus, sed indefatigatus fuit apostolatus et expiationis suasor, ipseque, anno 1929, Cordi Iesu se devovit, cupiens in carne sua adimplere ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24). Erga Virginem Mariam pietatem coluit simplicem et fervidam, quam inter Sorores a se conditas diffudit et populum. « Matrem — dicebat — amemus ; Matrem precemur, Matrem consolemur : numquam in cordibus nostris peccatum devertatur, ne veniale quidem voluntarium. Mariam Virginem deprecemur, ut nobis ad Iesum amandum subveniat ». A puero didicerat cotidie Rosarium recitare idque usque ad mortem facere perrexit. Rosarii coronam in manibus semper habebat, vinculi signum amoris, quo Dei Matri coniungebatur.

Etiam in senectute, quantum in eo fuit, sacerdotalia munera et pastorales curas numquam omisit, dum magna cum animi tranquillitate se ad ultimum cum Deo occursum praeparabam Extrema in aegrotatione gaudio exsiliebat exclamans : « Quam pulcher Dominus ! Quam pulcher est ! ». Pabulo Sacramentorum refectus, piissime, uti vixerat, obiit dio 4 mensis Aprilis anno 1963, in Domo principe Congregationis, quam ipse condiderat in Rheginensi urbe.

Clerus et populus, qui communi sententia eum sanctum habebant, copiose ad sollemne eius funus convenerunt, cui Archiepiscopus Ioannes Ferro praesedit, qui, cum eum bene cognovisset, affirmavit Servum Dei fuisse ((piissimum sacerdotem, qui longa vita sua docuerat quomodo Deus esset amandus eique serviendum ».

Sanctitatis fama, quam sibi vivus comparaverat, post mortem crevit et corroborata est; quocirca Exc.mus Archiepiscopus Aurelius Sorrentino, Sanctae Sedis obtenta venia, Causam iniit canonizationis per Processus Cognitionalis celebrationem, annis 1981-1987 apud Rheginensem Curiam instructi. Cuius Processus auctoritatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum Decreto diei 3 mensis Martii, anno 1989. Eodem anno actus est prospero cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cui Fidei Promotor praefuit Dominus Antonius Petti. Die 19 mensis Decembris, anno 1989 Patres Cardinales et Episcopi, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, existimarunt Servum Dei Caietanum Catanoso heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens ra-

taque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum eonscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caietani Catanoso, Sacerdotis dioecesani et Parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Veronicarum a Sancto Vultu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. a S.

SS Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

II

SANCTAE ROSAE DE OSOS

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Mariani a Iesu Euse Hoyos, presbyteri et parochi (1845-1926).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Sacerdotes signum visibile sunt vitalitatis Ecclesiae ; viri fortes sunt et humiles qui, in cordibus clausa divinae vocationis resonantia cotidie altius perpensa, unum expetunt propositum, unum consilium : Christi scilicet regnum in animis diffundere » *(Insegnamenti di Paolo VI,* V [1967] 793).

Verus Dei vir, studiosissimus bonum Pastorem imitandi et animis serviendi, fuit etiam sacerdos Marianus a Iesu Euse Hoyos, qui, cum populi singularem caritatem pastoralem aleret, magno cum ardore et efficacia ministerio paroeciali se dedidit et egregie sanctificandi, docendi et gubernandi munus explevit.

Servus Dei, piorum coniugum Petri Iosephi Euse Bustamante et Rosaliae de Hoyos Echeverri natu maximus, in Columbiae oppido *Yarumal,* intra fines dioecesis Antioquiensis ortus est die 14 Octobris anno 1845 ; insequenti die est baptizatus et biennio post Confirmationem accepit. Eius educationi ipsa consuluit familia, quae noluit eum scholas publicas frequentare, principiis imbutas religioni christianae infestis. Cum optationem patefecit ad sacerdotium accedendi, eum custodia continuit avunculus Firminus Hoyos, vici *Girardota* parochus et, deinde, Sancti Petri. Bene cognitum habens finem consequendum, cum fervore et perseverantia, suam colere incepit formationem, tum ad spiritum tum ad doctrinam pertinentem. Simplicem vitam agens et integram, tempus in deprecatione insumebat, in studio atque in aeditui labore. Tandem anno 1869 Medellense seminarium ingredi potuit, ubi se ad sacerdotium diligenter praeparavit, quod pridie Idus Iulias accepit anno 1872. Uti vicarius cooperator in locis Sancto Petro, *Yarumal* et *Angostura* sacrum explicavit ministerium. Anno 1878 est parochus nominatus pagi *Sabanalarga* et anno 1882 pagi *Angostura,* ubi usque ad extremos dies vitae suae mansit, Evangelio serviens et bonum Christi odorem in universa illa regione effundens. Nec temporum nequitia, nec difficultates, quas Columbianae Potestates actioni obiciebant Ecclesiae, impediverunt quominus Dei Servus multum et fructuosum exerceret apostolatum, qui illis in gentibus altum et utile vestigium reliquit. Omnino in gentis suae vitam insertus, eius gaudia et aegrimonias communicavit omnibusque pater fuit diligens, magister credibilis, Christi fulgidus testis, fidelitatis erga vocationem suam sacerdotalem exemplar. Pauperes tutatus est, quos « nobiles Christi » vocabat ; omnia quae habebat, libenter largiebatur ut alienas levaret aegritudines et indigentias. Confestim àccurrebat ut aegrotis adesset omnibus horis, nullam molestiam capiens, et quovis. Cum lenitudine pueros curabat et iuvenes, eorumque fovebat formationem, quod ad mores, ad religionem, ad scientiam spectabat. Peculiari prosequebatur amore agrícolas, memor se quoque sicut eos fuisse usque ad aetatem sedecim annorum ; quorum quaestionibus spiritalibus, socialibus, et oeconomicis prospiciebat. Conscientias formabat praedicatione simplici sed efficacissima, christianam doctrinam omnes populi classes docendo, bonos libros bonaque scripta divulgando. Fautor fuit impen-

sae vitae christianae in paroecia, divinae legis observantiam provehendo, Missarum dierum festorum et sacramentorum participationem; Rosarii recitationem in familiis ; consociationes catholicas ; devotionem in S. Cor Iesu et apostolatum pro vocationibus impetrandis. Ad opera etiam materialia se contulit, qualia fuit exstructio ecclesiae paroecialis, turris campanariae, sacellorum Dominae Nostrae de Monte Carmelo et Sancti Francisci ; valetudinarii, domus paroecialis ; coemeterii ; quae omnia ad augendam civium vitam christianam contulerunt et ad efficiendum ut iidem maternam Ecclesiae sedulitatem experirentur. Brevi, dici potest Dei Servum, sui neglegentem, suos dilexisse «non verbo nec lingua, sed in opere et veritate » *(1 Io* 3, 18), et in dies vitam vixisse pro Dei regni auctu et populi sui aeterna salute, cui copiose distribuit et diversimode redemptionis bona. Hoc pastorale servitium efficacius factum est propria Servi Dei sanctitate ; namque « ipsa sanctitas presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert » (CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis,* 12). Scimus eum non solum accurate et laetanter omnibus fungi suis sacerdotibus et parochi muneribus, sed diligentissimum esse in rebus exsequendis, quas docebat, et in exemplo praebendo perfecti obsequii erga Dei voluntatem et Evangelii atque Ecclesiae Magisterii praecepta.

Eius ministerium eiusque ad perfectionem christianam iter semper fide firma et clara illuminata sunt, quam Sacrarum Litterarum studio et meditatione atque divinorum mysteriorum contemplatione alebat, necnon pia Missae celebratione aliorumque sacrorum liturgicorum, assidua deprecatione, fervida in Eucharistiam pietate inque Virginem Mariam, Angelos et Sanctos. Cum Deum ex toto corde exque totis viribus amaret, arte ei coniunctus vixit et pro eius unius gloria laboravit. Divinae Providentiae fisus auxilio, aequo animo non pauca subiit incommoda et in difficultatibus, in falsis de se iudiciis, in iurium Ecclesiae violationibus, miram ostendit fortitudinem atque prudentiam. A mundi rebus alienatus, praemium optabat aeternum et opes necessariasquibus illud obtineret non solus, sed cum populo suo. Omni tempore iustitiam in Deum et in proximum rectissime observavit, humilitatem, paupertatem, oboedientiam, castitatem. Hinc magna et solida fama sanctitatis est fruitus, quam et laici et clerus et auctoritates profitebantur.

Cum iam octoginta esset annorum, eius forte corpus coepit extenuari ; aliae supervenerunt molestiae, quas mirabili cum patientia est perpessus.

Die decimo secundo mensis Iulii, anno 1926, sacramentis recreatus, pie est in Domino sopitus, postquam dixit : « Diu iam vixi et ardore flagro me cum Iesu meo coniungendi ».

Mortis eius notitia celeriter ad paroeciam permanavit et ad viciniam multique in sollemne eius funus venerunt, magnam ostendentes existimationem Servi Dei ac venerationem, cuius fama sanctitatis crescere perrexit insequentibus annis. Sanctae Sedis obtento permissu, Episcopus Sanctae Rosae de Osos, cuius territorii interim pars facta erat *Angostura,* eius Canonizationis Causae initium fecit per celebrationem Processus Cognitionalis (annis 1982-1983), cuius auctoritas ex iure a Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum est probata die 21 mensis Decembris anno 1984.

Apparata « Positione super virtutibus », die 9 mensis Maii anno 1989, praesidente Fidei Promotore, Rev.mo D.no Antonio Petti, felici cum exitu actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die 29 mensis Decembris eiusdem anni, Causae Ponente Exc.mo D.no Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, professi sunt Servum Dei Marianum a Iesu Euse Hoyos heroum in modum virtutes exercuisse théologales, cardinales et adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Mariani a Iesu Euse Hoyos, sacerdotis saecularis et Parochi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

III

TAURINEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Philippi Rinaldi, Sacerdotis professi et Rectoris maioris Societatis S. Francisci Salesii (1856-1931).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Philippus Rinaldi, ortus die 28 mensis Maii anni 1856 in loco v. d. *Lu Monferrato* intra fines dioeceseos Casalensis, Societatem Salesianam ingressus, sacra vota in manibus ipsius conditoris eiusdem Societatis emisit. Sacerdotio auctus, varia munia ei sunt commissa, donec anno 1922 Rector Maior Societatis est electus, quam prudenter moderatus est eamque domorum et sodalium numero auxit. Ab omnibus veluti viva Sancti Ioannis Bosco imago habitus est. Taurini, die 5 mensis Decembris a. 1931, vita est functus, sanctitudinis fama clarus. Eum autem heroum modo christianas virtutes exercuisse Ioannes Paulus Papa II die 3 mense Ianuario a. 1987 declaravit.

Porro, ut ad sollemnem eiusdem Venerabilis Philippi Rinaldi beatificationem legitime procederetur, Causae actores miram quandam, quae ferebatur, sanationem, eodem deprecatore divinitus patratam, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt.

Quae quidem asserta mira sanatio obtigit Sorori Carolae De Noni, triginta quinque annorum, ex Congregatione Missionariarum a Passione D. N. Iesu Christi ; erat aegrorum ministra, curatrix iuventutis femininae in paroecia Villae Novae-Montis Regalis.

Miri autem eventus haec est narratio : Praefata religiosa, die 20 mensis Aprilis anno 1945 — ultimis scilicet diebus novissimi belli pancosmii—, dum inter Villam Novam et Montem Regalem hamaxosticho vehitur, hic metallicis glandibus, e machinali manuballista ignivoma emissis, vehementer est verberata, unde factum est ut illa in umero et brachio, sed non mortifere, vulneraretur. Una ex huiusmodi glandibus genas eius pertransivit, dentium seriem evertens ac mentum elidens. Adiumentum est statim praebitum in valetudinario clinico « Bosio », ubi a die 20 ad diem 26 Aprilis decubuit ; cui curationes generales sunt adhibitae, quia obitus eius iam iam imminere putabatur,

status eius, in domum religiosam Villae Novae-Montis Regalis reversae, nequaquam in melius mutabatur, ad irritum redactis curis, quae ei medicus loci impendit, qui asseverat omnia oris munera fuisse prorsus impedita ita ut illa non posset verba enuntiare, mandere, deglutire ; lingua vero pendula erat et immobilis, labium inferius cadens, quia compage inferiore non f ulciebantur.

In eiusmodi rerum condicione, dum Soror in discrimine agoniam praecedente versatur, die 27 Aprilis — die postuma e valetudinario clinico est dimissa — pectori aegrotae reliquiae Venerabilis Philippi Rinaldi sunt applicatae, ex quo temporis momento sanatio celeriter evenit, cunctis oris muneribus gradatim instauratis.

Super mira hac sanatione duplex est adornatus processus apud curiam episcopalem Montis Regalis in Pedemonte : alter ordinarius (annis 1948-1949), alter cognitionalis (anno 1980) ; de utriusque autem iuridica auctoritate Decretum huius Congregationis exiit die 18 Iulii anni 1986. Instante Rev.mo Domino Aloisio Fiora, Postulatore Generali Societatis Salesianae, iuridicarum harum inquisitionum acta subiecta sunt iudicio Consultae Medicae, quae copiosius acriusque quam ut fieri assolet, de eadem sanatione disceptavit, scilicet semel (die 13 Ianuarii a. 1988), iterum (die 9 Novembris a. 1988) et tertio (die 7 Iunii a. 1989), asseverando eandem sanationem legibus hodiernae scientiae medicae explicari non posse.

Hinc gressus est factus ad theologicam disceptationem in suetis Congregationis huius coetibus, et quidem primum, die 13 Octobris a. 1989, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 19 Decembris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, eidem Congregationi praepositorum, ponente Em.mo Cardinali Alfonso Maria Stickler, in Palatio Apostolico Vaticano coadunata. Et utrimque, proposito dubio num de miraculo constaret, responsum affirmativum est prolatum.

De omnibus autem hisce rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, rataque habens, mandavit ut super mira eadem sanatione Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierno die accitis Cardinalibus infrascripto atque Causae ponente, meque Antistite iam a secretis subscriptum, ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo, Venerabili Philippo Rinaldi*

intercedente, a Deo patrato, videlicet de rapidissima et duratura sanatione Sororis Carolae De Noni a « ferita d'arma da fuoco con passaggio di pallottola trasfossa nella regione labio-geniena destra, con fuoriuscita della stessa nella regione sottomentoniera sinistra, con lesione da scoppio della mandibola e trauma delle parti molli peri e sottomandibolari, in soggetto pluritraumatizzato con ferita d'arma da fuoco all'emitorace sinistro senza lesione degli organi interni ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. a. s.

SB Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

CATACENSIS-SQUILLACENSIS LOCRENSIS-HIERACENSIS ET ALIARUM

DECRETUM

De finium mutatione

Ad uberius praesentis aetatis Christifidelium spirituali bono consulendum atque sacrorum Antistitum pastoralem actionem efficaciorem reddendam, iuxta normas a Decreto Concilii Oecumenici Vaticani II *Christus Dominus* n. 23 exaratas, Conferentia Episcoporum Calabra ab Apostolica Sede postulavit ut nonnullarum dioecesium in Calabriae dicione fines opportune recognoscerentur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia PP. II, praehabitis favorabilibus votis locorum Ordinariorum quorum interest necnon Exc.mi P. D. Aloisii Poggi, Archiepiscopi titularis Forontonianensis et in Italia Apostolici Nuntii, petitam immutationem animarum saluti profuturam censuit.

Quapropter, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae pote-

statis, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur lingua vernacula decernit:

— Vengono annesse alla diocesi di Locri-Gerace, distaccandole dall'arcidiocesi di Catanzaro-Squillace, le parrocchie di seguito elencate:

San Giovanni Battista Decollato, sita in : 89040 Bivongi (Reggio Calabria) ;

S. Maria Assunta in Cielo, sita in: 89040 Camini (Reggio Calabria) ;

S. Maria del Buon Consiglio, sita in : 89041 Campoli - frazione del comune di Caulonia (Reggio Calabria) ;

Santa Famiglia, sita in : 89041 Foca - frazione del comune di Caulonia (Reggio Calabria) ;

S. Maria Aiuto dei Cristiani, sita in : 89040 Ursini - frazione del comune di Caulonia (Reggio Calabria) ;

Esaltazione della S. Croce, sita in : 89040 Monasterace (Reggio Calabria) ;

S. Giuseppe Lavoratore, sita in : 89040 Monasterace Marina - frazione del comune di Monasterace (Reggio Calabria) ;

S. Maria Assunta in Cielo, sita in : 89040 Pazzano (Reggio Calabria) ;

S. Basilio Magno, sita in : 89040 Placanica (Reggio Calabria) ;

S. Maria Assunta, sita in : 89040 Riace (Reggio Calabria) ;

Maris Stella, sita in : 89040 Riace Marina - frazione del comune di Riace (Reggio Calabria) ;

Annunciazione, sita in : 89040 Stignano (Reggio Calabria) ;

Maria Madre della Chiesa, sita in : 89040 Stignano Marina - frazione del comune di Stignano (Reggio Calabria) ;

S. Biagio Martire, sita in : 89049 Stilo (Reggio Calabria) ;

S. Giorgio Martire, sita in : 89049 Stilo (Reggio Calabria) ;

— vengono annesse all'arcidiocesi di Catanzaro-Squillace, distaccandole dalla diocesi di Locri-Gerace, le parrocchie di seguito elencate :

S. Maria del Carmine, sita in : 88020 Fabrizia (Catanzaro) ;

S Maria delle Grazie, sita in : 88020 Fabrizia (Catanzaro) ;

— alla medesima arcidiocesi di Catanzaro-Squillale vengono annesse le parrocchie:

San Michele Arcangelo, sita in : 88050 Cuturella - frazione del comune di Cropani, Via Palmiro Togliatti (Catanzaro), che viene distaccata dall'arcidiocesi di Crotone-Santa Severina;

Spirito Santo, sita in: 88040 Castagna - frazione del comune di Carlopoli (Catanzaro), che viene distaccata dalla diocesi di Lamezia Terme;

S. Carlo Borromeo, sita in : 87050 Panettieri, Piazza S. Carlo (Cosenza), che viene distaccata dall'arcidiocesi di Cosenza-Bisignano.

— Infine, il territorio della frazione Montesoro del comune di Filadelfia, attualmente di pertinenza dell'ente parrocchia « S. Giovanni Battista e S. Nicola di Bari, sito in 88020 Acconia, frazione del comune di Curinga », della diocesi di Lamezia Terme, viene annesso all'ente parrocchia « S. Barbara, sito in 88023 Filadelfia », della diocesi di Mileto-Nicotera-Tropea.

Ipse Summus Pontifex statuit quoque ut, una cum territorio paroeciarum, ecclesiae, oratoria, domus et coemeteria paroecialia, piae fundationes et quaecumque alia ecclesiastica bona et iura quomodocumque ad paroecias praefatas spectantia adnectantur.

Mandat insuper ut documenta et acta territoria dismembrata, clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia, a Curia a qua ad Curiam dioecesis cui territoria aggreganda sunt tradantur.

Ad clerum vero quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium legitime detinent ; ceteri autem clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio habent domicilium. Uniuscuiusque tamen dioecesium Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere.

Ad haec perficienda Summus Pontifex deputat memoratum Exc.mum P. D. Aloisium Poggi, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 18 mensis Novembris anno 1989.

68 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. £8 S.

68 Ioannes Baptista Re
arch. tit. Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episc, tab., n. 147/82.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

2 Iunii 1990. — Cathedrali Ecclesiae Litoris Palmensis, Exc.mum P. D. Iosephum Keith Symons, hactenus Episcopum Pensacolensem-Tallaseiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Eriensi, Exc.mum P. D. Donaldum W. Trautman, hactenus Episcopum tit. Sassuritanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mesarfeltensi, R. D. Michaelem A. Saltarelli, e clero archidioecesis Novarcensis, Vicarium episcopalem pro Clericis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Theodori Edgarii McCarrick, Archiepiscopi Novarcensis.

die 9 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Foroflaminiensi R. D. Angelum Mascheroni, Provicarium generalem in archidioecesi Mediolanensi, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Caroli Mariae Card. Martini, Archiepiscopi Mediolanensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Usulensi R. D. Ioannem Giudici, Vicarium episcopalem in archidioecesi Mediolanensi, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Caroli Mariae Card. Martini, Archiepiscopi Mediolanensis.

die 18 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Latacungensi Exc.mum P. D. Radulfum López Mayorga, hactenus Episcopum dioecesis Guarandensis.

die 22 Iunii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Michaelis Kuehn, Episcopi Carnutensis, R. D. Iacobum Perrier, presbyterum archidioecesis Parisiensis.

die 23 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Nolanae R. D. Humbertum Tramma, e clero archidioecesis Neapolitanae presbyterum ;

— Cathedrali Ecclesiae Marsorum R. D. Armandum Dini, Vicarium episcopalem archidioecesis Neapolitanae.

ACTA CONSILIORUM

PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Responsio ad propositum dubium

Patres Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis proposito in plenario coetu diei 8 maii 1990 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra :

D. Utrum in electionibus, ad normam can. 119, I° peragendis, adhuc requiratur in tertio scrutinio maioritas absoluta suffragiorum eorum qui sunt praesentes, an, excepto casu paritatis, maioritas relativa sufficiat.

R. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia die 28 iunii 1990 infrascripto impertita, de supradicta decisione certior factus, eam publicari iussit.

ROSALIUS I. card. CASTILLO LARA, *Praeses*
Iulianus Herranz Casado, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Martedì, **3** Luglio **1990,** S. E. il Signor **RICARDO ARIAS CALDERÓN**, Vice Presidente della Repubblica di Panama.

Sabato, **7** Luglio **1990,** S. E. il Signor **KRZYSZTOF SKUBISZEWSKI**, Ministro degli Affari Esteri della Repubblica di Polonia.

Da Venerdì 25 a Domenica 27 Maggio 1990, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Malta.

Domenica, 17 giugno 1990, il Santo Padre si è recato ad Orvieto, in Italia, in occasione della festa del Corpus Domini.

Giovedì, 21 giugno 1990, il Santo Padre ha presieduto nel Palazzo Apostolico Vaticano, una riunione degli E.mi Signori Cardinali, Capi dei Dicasteri della Santa Sede.

Lunedì, 2 luglio 1990, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Benevento, in Italia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 giugno 1990. Mons. Francesco Chiaurri, ***Protonotarii) Apostolico « de numero participantium ».***

25 » » S. E. mons. Francesco De Nittis, Arcivescovo tit. di Tunes, ***Nunzio Apostolico in Uruguay.***

28 » » S. E. mons. Luciano Storero, Arcivescovo tit. di Tigimma, ***Pro-Nunzio Apostolico in Grecia.***

30 » » S. E. mons. Giovanni Coppa, Arcivescovo tit. di Serta, ***Nunzio Apostolico nella Repubblica Federativa Ceca e Slovacca.***

3 luglio » Mons. Giuseppe Leanza, Arcivescovo tit. eletto di Lilibeo, ***Nunzio Apostolico in Haiti.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

Esta reflexâo é bem atual. O Concilio Vaticano II, ao apresentar as varias imagens da Igreja, entre outras muito significativas, privilegiou esta de Povo de Deus. Deixa entender, assim, que a considera mais feliz, para exprimir o aspecto de corpo social, que, embora inserido na historia dos homens, transcende todos os tempos e todos os povos.[7]

4. Esse titulo de Povo de Deus, como os Senhores sabem, comporta todas as ressonáncias das intervençôes divinas para salvar o mundo; e apon ta sempre para a definitiva realizaçao das mesmas em Jesus Cristo, nosso Senhor, no qual « todas as promessas de Deus se tornaram "sim" ».[8]

[3] Cf. *Mt* 7, 15; *Jo* 10, 12.

[4] *Jo* IO, 16.

[5] *2 Cor* 6, 16; cf. *Hebr* 8, 10; *Lev* 26, 18.

[6] Cf. *Insegnamenti,* VIII, 1, p. 1711.

[7] Cf. *Lumen gentium,* 9.

[8] Cf. *2 Cor* 1, 20.

A Igreja, pertanto, amados Irmäos, sendo a continuaçâo de Israel, Povo de Deus da antiga Aliança, é também a sua transformaçâo radical. Gom efeito, utrapassando todos os limites de ordern étnica, geográfica ou cultural, a Igreja se torna a casa aberta para todos indistintamente, urna vez que, nela, todos passam de « nâo-povo » a Povo de Deus.[9]

A razäo primaria dessa transformaçâo radical está no fato de a Igreja ter sido fundada pelo Filho de Deus, feito hörnern, morto e ressuscitado. Ele torna presente o proprio misterio da Santissima Trindade. Ë neste adora vel misterio que eia tem a sua única e triplice fonte. Ë dele que eia recebe a conotaçâo única de Povo congregado na unidade do Pai, do Filho e do Espirito Santo.[10]

Ë, de fato, em virtude do sacramento do Batismo, conferido precisamente no nome do Pai, do Filho e do Espirito Santo, que os homens väo sendo incorporados no Povo de Deus. E assim, « o Senhor Jesus, "a quem o Pai santificou e enviou ao mundo",[11] torna participante todo o seu Corpo místico da unçâo do Espirito, com que Ele mesmo foi ungido ».[12] E é este o Reino, a que Jesus Cristo deu inicio sobre a terra, dotando-o de todos os meios necessarios à sua definitiva realizaçâo. Para fazê-lo crescer, sao convidados todos os que acolhem o Senhor Jesus : para que se tornem seus colaboradores, na fidelidade à graça, vocaçâo, estado de vida e f unçâo que lhes sâo proprios.[13]

5. Em apoio dessa fidelidade a serviço do Povo de Deus, o Espirito Santo distribui suas graças e seus dons, em ordern ao cumprimento da respectiva missäo de leigos, religiosos ou ministros sagrados, a firn de que todos, e cada quai pela parte que lhe cabe, contribuam para a edificaçâo do mesmo e único corpo.

Dentro dessa disposiçâo orgànica e com essa finalidade [14] tem o primeiro lugar a graça conferida aos Apostolos e aos Bispos, seus sucessores, unidos ao sucessor de Pedro. Ë essa graça que tutela as variedades, e providencia a que estas promovam a unidade na caridade,

[9] Cf. *1 Pdr* 2, 10.

[10] Cf. S. Jerónimo, *In Ps. U ad Neoph. : CCL* 78, p. 542 s. ; S. Cipriano, *De orat. dom. 23: PL* 4, 553.

[11] *Jo* 10, 36.

[12] Decr. *Presbyterorum ordinis,* 2; cf. *Rom* 6, 4.

[13] Cf. *1 Cor* 3, 8 ss.

[14] Cf. *Ef* 4, 7 ss.

de maneira que todos os membros do Povo de Deus possam, livre e ordenadamente, chegar à salvaçâo.

Esta graça e dom hierárquico, apostólico-episcopal, amados Irmäos, implica urna auténtica diversidade dentro do Povo de Deus. Eia nos foi conferida pela Ordenaçao sacramental, que perpetua na Igreja aquele ato criativo, com que Jesus Cristo ((fez » os Doze, e do qual deriva para os seus sucessores a funçâo específica de serem presença e testemunho do mesmo Cristo entre os fiéis.[15] Esta diferença essencial, como sabemos, näo comporta um distanciamento entre os Bispos e os demais membros do Povo de Deus; sua funçâo concretiza-se, precisamente, no ministerio de santificar, de ensinar e de governar o mesmo Povo de Deus ; um ministerio que só os sucessores dos Apostolos recebem de Jesus Cristo, e que eles devem exercer só em seu nome.

6. Muito diferente de qualquer outro povo, quanto às normas constitucionais que o regem, este Povo de Deus nâo é depositàrio da autoridade inerente à sucessäo apostolica; como se o ministerio episcopal constituisse urna especie de delegaçâo popular, ou ficasse vinculado a tal Povo, em termos de duraçâo ou de modalidades de exercício. Sendo de origem sacramental, essa autoridade é exclusivamente de origem divina, e como tal permanece ; nâo precisa, portanto, de ser ratificada por mais ninguém.

Isto näo quer dizer que o Bispo haja de converter sua unicidade sacramental em isolamento pastoral. Pelo contrario, tem a obrigaçâo de aceitar e, mesmo de procurar a colaboraçao de todos, tanto das pessoas individualmente, como dos organismos diocesanos e superdiocesanos, a firn de aperfeiçoar e dar maior eficacia ao seu serviço de guia e tornar mais fácil a aceitaçao do mesmo. Mas, tornar-se-ia indevida toda a colaboraçao que se con vertesse em pressäo. Entäo o Povo de Deus seria colocado ao nivel de um povo no sentido laico. Correr-se-ia o risco de subordinar, de certa maneira, o ministerio episcopal a opçôes, mesmo de fé e de vida crista, feitas à medida do hörnern. Teríamos, nesse caso, urna inversäo de termos e de valores : em vez do povo de Deus, o Deus do povo.

7. Se é bom que a Igreja, seguindo o exemplo do seu Mestre, que era « manso e humilde de coraçâo », esteja bem firme também elá na humildade, e que possua o sentido crítico a respeito de tudo aquilo

[15] Cf. Const. *Lumen gentium,* 18. 19. 21.

que constitui o seu carácter e a sua atividade humana, é obvio igualmente que também a crítica deve ter os seus justos limites. Como Pastores da mesma Igreja, levando por diante o que o meu predecessor Paulo VI chamou o « diálogo da salvaçao »,[16] incumbe-nos estar vigilantes, quanto àquele espirito crítico, em que não se exprime já urna atitude de serviço ; mas antes, a vontade de orientar a opinião de outrem segundo a propria opinião, algumas vezes divulgada de maneira assaz imprudente.[17]

O ministerio episcopal, portanto, nao se pode desligar da sua relaçao original e irreversível com Jesus Cristo. Há um direito iniludível de quantos fazem parte do Povo de Deus : o direito de poderem escutar, nos seus Pastores, o proprio Cristo e o Pai que O enviou; e de receber, da parte deles, não urna palavra dos homens, mas a Palavra de Deus.[18]

Os fiéis e todos em geral querem ouvir de nos « palavras de vida eterna », a iluminacäo da fé quanto ao sentido da vida temporal, e as razöes da esperança dos bens futuros, para levarem por diante a missão que Deus lhes confiou no mundo.[19] As bem-aventuranças, todas elas, apontam para o justo juízo, que não pertence aos homens nem ao tempo presente, mas só a Jesus Cristo, quando vier na sua gloria[20] para a consumaçao do seu Reino e para sentenciar que os justos irão para a vida eterna.

8. Meus amados Irmãos no episcopado: esta reflexão, sobre a Igreja como Povo de Deus, é-me sugerida e exigida pela responsabilidade que me incumbe, quai sucessor de Pedro : ser, no meio desse mesmo Povo, o principio e o fundamento visíveis da unidade. Tanto da unidade dos Bispos, corno da unidade da multidão dos fiéis. E na mesma linha de responsabilidade, também aos Senhores, como Bispos, cabe serem principio e fundamento visíveis da unidade nas Igrejas particulares que lhes estão confiadas.[21]

Exorto-os, pois, queridos Irmãos, a conservarem a integridade daquela paz, que foi comunicada por Cristo ressuscitado aos Apostolos,

[16] Cf. *1 Tim 2,* 4.

[17] Cf. Enc. *Redemptor hominis,* 4.

[18] Cf. *Lc* 10, 16; *1 Tes* 2, 13.

[19] Cf. Const. *Lumen gentium,* 48.

[20] Cf. *Mt* 25, 21 ss.

[21] Cf. Const. *Lumen gentium,* 23.

e que dissipa todo o temor.[22] E desejo-lhes e peço a Deus que os atos de seu ministerio pastoral, como os dos mesmos Apostolos, sejam inspirados pela consciência de que säo atos do Senhor, por o serem também do Espirito Santo.[23]

Encorajo-os a prosseguirem com zelo, inteligencia e entusiasmo, naquele serviço que já reálizam, dando mostras de sabedoria e amor, ñas suas Igrejas particulares. Oontinuem a harmonizar as exigencias das suas Diocèses com as da Conferencia Nacional dos Bispos, para que haja sintonia ñas programaçôes pastorais.

E näo se cansem de estar próximos, de amar e de escutar o povo, sendo para todos os fiéis diocesanos pais e amigos sapientes. Sejam-no, em particular, para os Sacerdotes e aspirantes ao Sacerdocio, para os consagrados, Religiosos e Religiosas, e para os leigos comprometidos no apostolado, enfim, para todos os que têm urna participaçâo peculiar e reconhecida na missäo da Igreja.

Para concluir, recomendó à Mäe de Deus, sede da sabedoria — Nossa Senhora Aparecida, como a invoca o querido povo brasileiro — o seu ministerio episcopal. Ao seu cuidado materno entrego a sua solicitude de Pastores, no estado do Paraná ; e, por sua intercessäo, invoco abundantes favores celestes para todo o Povo de Deus que ai peregrina, com urna ampia Bênçâo Apostólica.

NUNTII TELEGRAPHICI

I

Beatissimo Domino Patriarchae Antiocheno Maronitarum missus.*

La présente Semaine Sainte nous invite à méditer le Mystère pascal et à faire spécialement mémoire, dans la prière et dans la solidarité, de ceux qui souffrent.

Ma pensée se tourne spontanément vers la population du Liban, vers ses diverses communautés, toutes éprouvées depuis quinze ans par d'énormes souffrances causées par la guerre. Bien souvent les armes ont été utilisées pour surmonter des conflits que seuls, comme le montrent les faits, le dialogue et la négociation sont en mesure de résoudre.

[22] Cf. *Jo* 20, 19-22.
[23] Cf. *At* 15, 28.

Je me sens profondément solidaire avec la douleur de Votre Béatitude, celle des autres Patriarches et des Evêques du Liban, vous qui avez vu récemment encore les fils de vos Eglises s'opposer en des combats fratricides et qui avez assisté, impuissants, au désespoir de ceux qui, pour fuir la violence destructrice, ont abandonné leurs maisons, leur région et même le pays.

Tant de souffrances ne peuvent être inutiles : elles doivent constituer un grave avertissement pour tous et contribuer ainsi à une prompte résurrection du pays. Le drame du Liban doit cesser.

Puissent les catholiques libanais, en particulier, voir avant tout dans ces jours saints une invitation à être unis entre eux et autour de leurs pasteurs, que l'Esprit Saint a constitués pour gouverner la sainte Eglise de Dieu!

Je suis convaincu qu'une volonté loyale de dialogue, la sincérité des esprits et la solidarité peuvent encore faire triompher le véritable attachement à une patrie organisée en toutes ses institutions et faire retrouver les traditions les plus authentiques. Le Liban doit revivre.

En cette Semaine Sainte et en la fête de Pâques, ces vœux et ces exhortations se font prière intense. Que Dieu tout-puissant aide la population libanaise si éprouvée ! Qu'il- inspire les responsables des divers groupes opposés et, avec eux, tous ceux qui peuvent contribuer à redonner aux Libanais un pays uni et pacifié !

Avec ma paternelle Bénédiction apostolique.

Du Vatican, le 12 avril 1990.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Paschalis nuntius Summi Pontificis ad Lituaniae Praesules.*

Appropinquantibus iam paschalibus celebrationibus intus in animo cupio testificari tibi, Venerabilis Frater, omnibusque simul Lituaniae Episcopis plenam vobiscum coniunctionem meam in Domino resuscitato a quo lucis, gratiae, salutis dona vobis postulo.

Hoc tempore sollicitudinis ac spei proximus ego adsum Ecclesiae Lituaniae quae per saecula et aetates integram servavit fidem sui Bap-

* Die 14 m. Aprilis a. 1990.

tismi, ac particeps facta omnium populi sui eventuum, evasit provida custos et firmamentum illorum religiosorum, moralium, culturalium bonorum, quibus christiana radix ipsaque Nationis propria indoles constat.

Amantissima haec mea cura nobilem vestrum populum pariter amplexatur cuius optatis et desideriis magis affinis egomet sum quam alias umquam, praesertim his Paschatis diebus.

Dilectae Nationis vestrae sortem futuram precans ego committo Deo Omnipotenti cuius providentia vitam singulorum hominum populorumque gubernat. Pro vobis etiam deprecentur Deum Beatissima Virgo Maria honorata et invocata ad Portam Aurorae Vilnensem suavissimo nomine Matris Misericordiae necnon patronus vester sanctus Casimirus.

Apostolicam meam vobis Benedictionem impertiens.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

TLAXCALEN.

DECRETUM

Canonizationis Servorum Dei Christophori, Antonii et Ioannis, adolescentium Tlaxcalensium, in odium fidei aa. 1527-1529 interfectorum.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et de causa martyrii, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Multi non episcopi neque clerici, iuvenes et virgines, seniores cum iunioribus, multi coniugati et coniugatae, multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in eius martyrio posuerunt, et honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt » (S. AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium Tractatus,* 51, 13).

In magnam eorum multitudinem, qui Christo sanguinis profusione suam testati sunt fidelitatem, Servos quoque Dei Christophorum, Antonium et Ioannem ascribere possumus, qui quamvis tenera essent aetate, matura cum fortitudine et intrepido animo mortem obierunt, dum unius veri Dei fidem divulgabant. Eorum immolatio, initio peracta evangelizationis Mexici, seu Novae Hispaniae, ut tunc appellabatur, ipsorum patriae, missionariorum illarum terrarum labores fecundos reddidit semenque fuit, quod copiosos edidit pro Dei regno fructus in tota Continenti recentius detecta.

Pueri hi tres, in paganismo nati et educati, in Patrum Franciscanorum schola Evangelium cognitum acceperunt et brevi tam multos in amore Dei progressus fecerunt ut, periculorum neglegentes, nisi sint auctui Ecclesiae operam navare gentisque suae conversioni, etiam tum magna parte idolorum cultus studiosae et vivendi rationis a moribus christianis alienae. Huiusmodi apostolicus ardor, secundum methodos observatus, quas ipsi missionarii explicabant, nedum probaretur, implacabile in pueros odium excitavit et cruentam persecutionem, qua celeriter sunt ad martyrium ducti.

Primus Christophorus se ad Christum conformandi effusione sanguinis privilegium habuit. Is probabiliter anno 1514 aut 1515 natus est, in vico *Atlihuetzia,* a *Tlaxcala* non longe. Decem annorum frequentare coepit missionariorum scholam et, post aliquantum religiosae institutionis tempus, baptismum accepit. Convenienter cum officiis e sacramento manantibus atque cum praeceptis quibus erat imbutus, Servus Dei alacerrime contendebat contra idolatriam et vitia familiarium, patris praesertim. Cupiditate impulsus ad animarum salutem conferendi eorum, quos amabat, a sedulitate non destitit, ne ob minas quidem ; quin immo, ut eorum adversus gratiam vincerei renisus, maius aliquid facere statuit : hoc est, idola quae domi erant sibi delenda esse putavit, quod continua essent ad malum incitatio. Tum pater, a servis instigatus et ab una multarum uxorum, constituit ut filium interficeret. Ita rursus factum est quod Ioannes Apostolus de Domino dicit : « Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt » *(Io* 1, 5). Quocirca pater in familia circulum festivum apparavit, ad quem filios venire iussit, de schola Patrum Franciscanorum Tlaxcalensium revocatos. Christophorum seorsum ductum inhumane coepit querneo fusti affligere ad omnes corporis partes ; non eo contentus, quod graviter illum sauciavisset, in rogum eundem imposuit. Puer, quamquam sanguinolentus et multis confectus doloribus, Dei invocabat auxilium et Sanctae Virgini preces adhibebat. Post nocturnum spatium, quo acerbissime doluerat, patrem arcessivit eique verbis insusurratis veniae, de hac vita decessit. Corpus eius est in domus saepto sepultum, ne infandi sceleris nuntius vulgaretur ; at fama martyrii quoquoversum permanavit. Anno millesimo quingentésimo vicesimo septimo haec evenerunt.

Antonius et Ioannes orti sunt in pago *Tizatlán* apud *Tlawcalam,* annis ferme .1516-1517. Prior ad familiam principum pertinebat, alter humili loco natus, famuli Antonii munere fungebatur.

Erant ambo in schola Patrum Franciscanorum Tlaxcalensium, cum Fratrem Bernardinum de Minaya, O. P., cognoverunt, pueros quaeritantem qui se ad missionem Oaxacensem comitarentur. Duo illi pueri, ad laborandum et ad patiendum pro Domino proque animarum salute prompti, sponte difficili ministerio se obtulerunt. Monentibus gravia se pericula adituros, morte non excepta, responderunt se ad omnia esse paratos, vel ad vitam pro fide devovendam, et maximam Apostolorum Petri, Pauli atque Bartholomaei fortitudinem commemoraverunt, qui suam erga Dominum fidelitatem morte cruenta testificati sunt. In itinere omnia destruxerunt idola, in quae incucurrerunt. Cum ad urbem *Cuauhtinchdn* pervenissent, ilico Antonius domum quandam ingressus est idola diruenda quaesiturus, Ioanne extra ianuam stante.

Interim indigenae intervenerunt, qui Ioannem mortifere ceciderunt. Antonius, minime metu perterritus ante socii sui corpus examinatum, commonuit eos Ioannem insontem esse seque unum idola destruxisse. Sed illi, odio in christianam religionem incensi, eum quoque statim necaverunt. Haec anno millesimo quingentésimo undetrigesimo facta sunt. Iam tum, sicut Christophorus, veri Christi martyres habiti sunt.

Eiusmodi trium puerorum martyrii fama numquam cessavit et ad nostram usque aetatem pervenit. Eorum tamen canonizationis Causa nonnisi novissime incipi potuit.

Iis primum, quae ad id opus erant, anno 1977 peractis, Episcopus Tlaxcalensis, Exc.mus Dominus Aloisius Munive Escobar, die 7 mensis Ianuarii anno 1982 Sanctae Sedis obtento permissu, eodem anno Processum Cognitionalem instruxit, cuius auctoritas et vis decreto Congregationis pro Causis Sanctorum die 8 mensis Novembris anno 1985 agnita est. *Positio super martyrio* inspecta est, secundo cum exitu, a Consultoribus Historicis, die 21 mensis Iunii anno 1988 ; deinde a Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, in sessione diei 24 mensis Novembris anno 1989, cui praeerat Fidei Promotor « ad casum)> P. Christophorus Bove, O.F.M. Conv., Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 6 mensis Februarii anno 1990 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo, pueros Christophorum, Antonium et Ioannem veros martyres esse putandos professi sunt, utpote in odium fidei occisos.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut Decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Christophori, Antonii et Ioannis, adolescentium Tlaxcalensium, in odium Fidei interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici ÍUTÍS fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. *m* S.

£& Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

II

VERONEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Petri Leonardi, Sacerdotis et Fundatoris Congregationis Filiarum a Iesu (1769-1844).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Omnium virtutum caritas est mater, regina, anima, cor et divitiae; quae quidem postulat ut quis semper sit paratus ad se pro fratribus devovendum, quem ad modum Iesus suam pro nobis dedit vitam. Haec caritatis evangelicae duorum praeceptorum exsecutio vitae et operae Servi Dei Petri Leonardi fundamentum fuit, qui tempore vixit historiae urbis Veronae et universae Italiae per turbatissimo.

Gallorum cum Austriacis bellorum series scaena est in qua egregia eminet natura piissimi huius sacerdotis, ingeniosi, seduli et alacris in Dei servitio et animarum, qui continuo aetatem egit Deo coniunctus, fide fortis indomita, laeta spe, liberali caritate, quae ab inimicis etiam agnoscebatur.

Die 17 mensis Iulii anno 1769 Veronae ortus est a Francisco Leonardi et Ursula Fusari coniugibus credentibus et piis. Est religiosa bona educatione et sanis moribus imbutus; quod profecto auctui favit seminis sacerdotalis vocationis.

Primam scholam in seminario frequentavi! annis 1785-1788, postea pater eum ad mercaturam informavit; sed iuveni haec experientia non satisfecit, qui obtinuit ut studia ecclesiastica recoleret anno 1788, et est sacerdos ordinatus Nonis Aprilis anno 1794, et ilico totum apostolatui se dedidit, signa temporum clare intellegens in populi necessitatibus.

Primo se contulit ad assidendum aegrotis in valetudinario iacentibus. Eos uti sacerdos adiens cognovit aegros non minus graviter animorum morbis quam corporum laborare, et interdum valetudinarium esse posse corpori « probaticam piscinam», sed multo plus animae esse debere.

Hinc initium fecit anno 1796 Sacrae Fraternitatis Presbyterorum et Laicorum Hospitalariorum, quae sane signum fuit eius ardentis studii, eius magnanimae caritatis, ad omne incommodum et iacturam paratae, ad quamlibet promptae miseriam, participis doloris urbis ab exercitibus externis dilaceratae.

Quam caritatem in eos infudit, qui consenserunt cum eo operam sociare, in sacerdotes nempe, quales Carolum Steeb, Caesarem Bresciani, Gasparem Bertoni, in alumnos seminarii, in homines alti dignitatis gradus, in nobiles matronas, qualem Magdalenam de Canossa.

Ex ministerii exercitio multam percepit religionis ignorantiam, vel saltem incertam levitatem in populo diffusam ; quamobrem omnibus viribus se tradidit erroribus impugandis et evangelizando per praedicationem et catechesim omni classi tradendam, tum in urbe sua, tum intra dioecesis fines, tum extra : Venetiis, Mediolani, Brixiae, Mantuae, Mutinae, Regii Lepidi, Carpi et alibi.

Conversionis fructus nonnumquam famosi fuerunt et Napoleonis imperii aetate multis ei indignitatibus steterunt, calumniis, vexationibus et duorum annorum custodia. Sed pacem non amisit, quin ipse dixit sibi magno solacio fuisse sortem cum dilecto Pontifice Pio VII, Napoleonis captivo, communicare.

Ut novorum bellorum vulneribus sanandis operam daret et renovationem praepararet novarum subolum, anno 1799 cogere coepit pueros parentibus orbatos, dissipatas et desidiosos in domum «Ritiro dei Raminghelli» appellatam, eo consilio, ut non solum eos christiane educaret, verum etiam ut — quod magnum in societate momentum habet — artem doceret, qua quisque necessaria ad decore vivendum sibi pararet. Ita multos societati probos cives recuperavit et Ecclesiae sacerdotes religiososque eximios suppeditavit. Cum deinceps mutatae condiciones suaserunt ut, quos ipse curaverat, in publica immitteret Instituta, Dei Servus exemplum praebuit non communis abstinentiae et humilitatis huius Operis regimini renuntiando ac suos pueros paulatim ad publicum transferendo orphanotrophium, Hospitio adiunctum, cuius magister spiritus est nominatus.

Anno 1804 sacerdos Iosephus Venturi Servum Dei est Lutetiam Parisiorum comitatus, ubi scholas audivit abbatis Sicard et artem didicit surdos mutosque docendi. Ambo in patriam re ver si scholam aperire statuerunt pro imbecillitate auditus affectis. Haec apostolatus forma, quae Veronae iniit anno 1806, artificiis novis utebatur et curare volebat tot infelicium puerorum humanam provectionem.

Deinde est continuata et perfecta a sacerdote Antonio Provolo, Servo Dei adhortante et quam maxime exsultante.

Magis magisque persuasum sibi habens qui de iuventute curam adhibet reformationis totius mundi participem esse, anno 1809 suum apostolicum traduxit ardorem in puellas pauperes, quarum magna pars derelicta erat et gravibus quoad mores commissa periculis. Pro aliis scholas aperuit Caritatis, seu gratuitas, utque earum stabilitatem tutam praestaret, anno 1812 Congregationem Filiarum a Iesu instituit, quae ei supervixit eiusque pergit spiritum colere.

Has suas congregatas voluit solida instruere spiritali formatione, ut bene possent egregium suum exsequi educandi munus.

Scholae Caritatis efficax fuerunt ratio pro recuperandis et christiane formandis multis puellis, et celeriter in Civitatibus Atestinis diffusae sunt. Modus vivendi, quem Filiae a Iesu secutae sunt, volvente tempore prophetica apparuit novatio.

Dum ad aedificandum Dei regnum in aetatis suae societate incumbebat, magna cum diligentia magnoque cum fervore iter perfectionis confidebat, nitens in se Christi effingere lineamenta.

Eius vitae exemplar et forma his verbis breviter potest astringi : « Amare, pati, operari ».

Caritas nervus fuit eius sacerdotii et apostolatus. Maxima rerum ei Divinus Amor fuit, summus thesaurus absconditus, qui timidam animam et misellam facit laetam atque tranquillam.

Natura ad pietatem proclivis, a puero vitam contemplativam exoptavit et sine intermissione Deo vixit coniunctus, conatus coram eo manere, etiam in actionibus apostolicis sollicitioribus. Filiis suis dicebat : « Operamini, sed oculis in Deo defixis. Omnia propter Deum eiusque amorem », et eas his verbis hortabatur : « Iesus unus sit vestrarum cogitationum finis, vestrorum vis affectuum, vestrorum actuum regula ». Fons et cibus amoris Eucharistia est, de qua Servus Dei ardentibus loquitur vocibus in opusculo, quod '« Il povero fatto ricco » inscriptum est, in carcere composito et anno 1835 edito. Divini Amoris Mater est Maria, a qua flammam efflagitabat, incendium : « Totus amore ardeam, amore vero, non ficto, actuoso, non segni. Cibum meum in amore inveniam, potum meum, meam delegationem, meum firmamentum et solacium, mea omnia. Utinam amore moriar!».

Servus Dei tenerrimam coluit pietatem erga Domini Passionem et sociari doloribus Redemptoris voluit, ut eius vivam in se imaginem exprimeret et cum Sancto Paulo dicere posset: «Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus» *(Gal* 2, 20).

Per totum vitae cursum gradus et male validae corporis consti-

tutionis onus portavit, quae crebrarum causa fuit infirmitatum, quas amore semper superavit.

Forti cum propensione ad se donandum difficilia aggressus est itinera, praedicationem, aegrorum curam in nosocomio, vulneratorum in bellis, adeo ut, sententia Sanctae Magdalenae de Canossa, videretur tot labores sustinere non posse.

Eius vehemens ardor, sancta eius industria, improbationes excitaverunt adversus eum, accusationes, persecutiones auctoritatis civilis, et vel duarum captivitatum ei causa fuerunt. Sed Servus Dei non animo defecit, quin est occasiones nactus ut inimicos diligeret et in carcere inclusos evangelizaret.

Filias spiritales monebat : « Ne cupieritis, filiae, vos deprecor, multa scire; sed ante omnia magnum cupite librum Crucifixi, eius vitam, hancque explicate ».

Navitas Servi Dei Petri Leonardi numquam est a deprecatione et contemplatione disiuncta.

Actio apostolica erat ei quaedam animae necessitas Divino Amore perfusae, intima impulsio ab huius ((thesauri absconditi » possessione inseparabilis.

Ferventis appetitionis claritudo, qua fieri volebat omnibus omnia fieri, ut ad Christum quam plurimos adduceret, etiam ea abstinentia significata est, quam omnes in eo admirabantur ; ea facilitate, qua opera a se instituta et amata cessit sivitque ab aliis continuari. Experientia doctus scripsit : «Anima vere amans et recta procedente tempore e conspectu suo se ipsam amittit, honorem suum, utilitatem suam, quodammodo flagranti appetitu consumpta Deo suo placendi ».

Servus Dei donum profecto fuit Ecclesiae Veronensi concessum atque societati eius temporis, et iure initium habitus est catholicae Veronensis renovationis, princeps eius sanctorum multitudinis, qui illam urbem superiore saeculo illustraverunt quorumque aliqui iam ad altarium gloriam ab Ecclesia sunt evecti.

Servus Dei exstinctus est Veronae, in suo Instituto, in via S. Cosmi sito, die 9 mensis Aprilis anno 1844, Filiis suis circumsistentibus, quibus nutibus — voce torpente — ad extremum usque ferventissime de caritate, de pace, de amore Dei locutus est. Piae mortis nuntius raptim diffusus est statimque vocum chorus ortus est, «vero sacerdoti »,« homini Dei», «pauperum aegrorumque benefactori» benedicentem.

Sanctitatis fama, quam sibi vivus comparaverat, numquam desiit, quin potius usque ad hoc tempus aucta esse dici potest, in Italia et in

exteris nationibus in missionibus, quas Filiae a Iesu post Concilium Vaticanum II constituerunt.

Canonizationis causa, ob rationes ad personam et memoriam Servi Dei minime pertinentes, recens solummodo potuit inchoari per celebrationem Processus Informativi, apud episcopalem Curiam Veronensem, annis 1950-1953. Die 19 mensis Decembris anno 1960 Sacra id temporis Eituum Congregatio decretum edidit super scriptis. *Positio,* Officio Historico-Hagiographico Congregationis pro Causis Sanctorum moderante concinnata, a Consultoribus Historicis secundo cum exitu perspecta est die 6 mensis Iunii anno 1986. Die 24 mensis Octobris anno 1989, eodem cum exitu Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris cui Fidei Promotor Generalis praeerat, Rev.mus D.nus Antonius Petti, actus est. Patres Cardinales denique et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die 20 mensis Februarii habita anno 1990, Causae Ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi, professi sunt Servum Dei Petrum Leonardi virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite iam a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Leonardi, sacerdotis, Fundatoris Congregationis Filiarum a Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Martii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. £8 S.

8B Traianus Crisan
archiep. tit. Drivastensis

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp.JEI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 19 Iunii 1990. — Titulari episcopali Ecclesiae Ausuagensi R. D. Coemgenum Rafferty, Vicarium generalem et curionem in archidioecesi Sancti Andreae et Edimburgensis, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi eiusdem archidioecesis.

die 10 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Yakimensi, R. P. Franciscum Eugenium George, sodalem Congregationis Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae.

die 13 Iulii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Leoncii Alberti Van Peteghem, Episcopi Gandavensis, R. D. Arturum Luysterman, Vicarium generalem Ordinariatus Militaris Belgii.

die 25 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Massanae-Plumbinensi R. D. Angelum Comastri, e clero dioecesis Pitilianensis-Soanensis-Urbetelliensis, parochum paroeciae Sancti Stefani in oppido vulgo Porto Santo Stefano.

— Cathedrali Ecclesiae Blesensi Exc.mum P. D. Ioannem Cuminal, hactenus Episcopum Sancti Fiori.

die 26 Iulii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Eugenii Ernoult, Archiepiscopi Senonensis, R. D. Gerardum Defois, presbyterum dioecesis Andegavensis atque instituti Catholici Lugdunensis rectorem.

die 28 iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Rheginensi-Bovensi Exc.mum P. D. Victorium Mondello, hactenus Episcopum Calatayeronensem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Sabato 30 Giugno 1990, S. A. Em.ma **FRA ANDREW BERTIE,** Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Lunedì, 9 Luglio 1990, la Signora Dr. **SABINE BERGMANN-POHL**, Presidente della Camera del Popolo della Repubblica Democratica Tedesca.

Lunedì, 30 Luglio 1990, S. E. il Signor **FRANCISCO REZEK,** Ministro degli Affari Esteri del Brasile.

Martedì, 10 Luglio 1990, alla presenza del Santo Padre, si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

11 agosto 1990. S. E. mons. Oriano Quilici, Arcivescovo tit. di Tabla, *Nunzio Apostolico in Venezuela.*

13 » » S. E. mons. Giorgio Zur, Arcivescovo titolare di Sesta, *Pro-Nunzio Apostolico in India e Pro-Nunzio Apostolico in Nepal.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

14 gennaio 1990. I sacerdoti Belembo Nzazi Buetubela; Jacques Briend; Albert Fuchs; mons. Armando Jorge Levoratti; Antoine Mouhanna; Hubert Ritt; Lech Stachowiak ed i padri Brendan Byrne, S.I.; Jesu Raja, S.I.; Adrian Schenker, O.P., *Membri della Pontificia Commissione Biblica.*

» » » I sacerdoti Domingo Muñoz León; Gianfranco Ravasi; Lothar Ruppert; Giuseppe Segalla ed i padri Marcel Dumais, O.M.I.; Joseph Fitzmyer, S.I.; Jan Lambrecht, S.I.; José Loza Vera, O.P.; Albert Vanhoye, S.I.; Jean-Luc Vesco O.P., *Membri della Pontificia Commissione Biblica in « aliud quinquennium ».*

4 marzo 1990. S. E. mons. Antonio do Carmo Cheuiche, Vescovo tit. di Sutùnurca; i Signori e le Signore Augustin Basave Fernandez del Valle ; Etienne Bisimwa ; Jordi Bonet; Henrietta De Villa; Josefina Errazuriz; Judy Figland; Terese Green; David Hitchcock; Patricia Jones; Betty Kuriakose; Olive Luena; Alejandro Madero; Walter Matthews; Jacques Puhl; Felix Baabe; Robert Sikjas; Jorge Talavera; Marie-Thérèse Van Heteren-Hogenhuis, *Membri del Pontificio Consiglio per i Laici.*

» » » I Signori Marcello Bedeschi; Thomas Hong-Soon Han; Stefano Wilkanowicz, *Membri del Pontificio Consiglio per i Laici « in aliud quinquennium ».*

16 » » S. E. mons. Francesco Cölasuonno, Arciv. tit. di Tronto, Nunzio Apostolico, *Rappresentante della Santa Sede in Unione Sovietica.*

1 luglio » S. E. mons. Alan Basii de Lastic, Vescovo di Lucknow; i Signori e le Signore Patricia Aondo-Akaa ; Gerald Arbola; Mario Gonzalez; James Miolin ; José Miguel Oriol ; Henri Radert ; Maria da Ooncecäo Vieira, *Membri del Pontificio Consiglio per i Laici.*

» » » Mons. Joseph Benáéek, *Capo dell'Ufficio Scuole nella Congregazione per l'Educazione Cattolica (dei Seminari e degli Istituti di Studi).*

3 » » P. Lawrence O. Brennan, C.M., *Consultore del Pontificio Consiglio per il Dialogo con i non Credenti.*

4 » » Padre Albert Vanhoye, S.I., *Segretario della Pontificia Commissione Biblica e Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

NECROLOGIO

30 luglio 1990. Mons. Arnaldo Clemente Canale, Vescovo tit. di Cabarsussi.

3 agosto 1990. Mons. Joseph Byeong Hwa Chang, Vescovo emerito di Masan *(Corea).*

7 agosto » Mons. Paulinus Jeerakath, Vescovo di Jagdalpur dei Siro-Malabaresi *(India).*

9 » » Mons. Liúdas Povilonis, Arcivescovo tit. di Arcavica.

10 » » Mons. Paul Ten Gan-lin, Vescovo di Kiating (Leshan), *(Cina).*

19 » » Mons. Claudius Bayet, Vescovo emerito di Ubon Ratchathani *(Tailandia).*

19 » » Mons. Joseph Cheng Tien-Shian, Arciv. Vesc. di Kaohsiung *(Taiwan).*

An. et vol. LXXXII 2 Octobris 1990 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beata Clelia Barbieri, quae religiosam condidit Familiam Sororum Minimarum B. V. M. Perdolentis, Sancta esse decernitur et definitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt

Ab hoc ipso, quod primum nunc Nobis occurrit, iudicio exordiendum videtur, ut de Beata Clelia Barbieri, quae in numero Sanctorum iam est habenda, hic summatim loquamur. In tractu archidioecesis Bononiensis vulgo ((Budrie » appellato, qui lege Civitatis ad municipium pertinet S. Ioannis in « Persiceto)) Bononiensi, anno MDCCCXLVII e certis coniugibus Iosepho Barbieri et Hyacintha Nannetti die xin mensis Februarii nata est Clelia, quae iam prima aetate tanto in Deum amore a matre est instituta, ut desiderio ad perfecta perveniendi puellula flagraverit. Anno MDCCCLV, saeviente cholerae pestilentiae patre orbata est puella octo annos nata, qua ipsa de causa patruus medicus pro sua benevolentia effecit, ut in laxiorem domum Clelia migraret prope paroeciale templum, una cum matre et sororcula Ernestilla. Mox artis suendi necnon nendae texendaeque cannabis, quod ruris opus Persiceta.ni erat, perita facta est quidem, sed in vitae sanctitate progressus usque maiores interea faciebat. Quamvis mos tunc esset, ne quis nisi ad pubertatem primum Eucharistiam sumeret, Cleliae ta-

' *Rom* 8, 28.

men anno MDCCCLVIII, aetatis suae undecimo, cum christianam doctrinam plane didicisset una cum necessariis rebus spiritalibus, facultas iure merito facta est, ut Sanctissimum Sacramentum die xvn mensis Iunii pie reciperet. Qui sane dies, tamquam primum mysticarum rerum experimentum, maximum deinde in vita eius momentum habuit; citiusque, inspirantibus Christo Domino Crucifixo eiusque Matre Perdolente, duplicem etiam fore perspexit vitae suae rationem, seu contemplativam et activam. Qua erat in Deum pietate res divinas meditabatur maximoque cum fervore Eucharistiam in templo adorabat; domi autem cum puellis, quae necessario utique operi intendebant, sororis maioris natu partes implebat et festinata qua ipsa erat cum maturitate occasionem adhibebat eiusmodi laboris, ut prima cum illis necessitudinis vincula iungeret iunctaque foveret. Cui agendi rationi aliquid etiam coniugabatur, quod illis in adiunctis rerumque condicionibus proprie ad solam Cleliam re vera pertinebat, seu mos laetanter amanter precanter operandi, animo ad Deum intento, quasi sermo cum ipso institueretur. Sui corporis neglegens fereque ignara, in Dei amore, cui totam se dederat, assidua procedebat : hac enim sola afficiebatur laetitia, se ab amantissimo Deo possideri, quem unum cogitabat; pariterque festinans ad miseriores in primis et egentiores accedere consueverat, quibus ipsis debitam testaretur caritatem Christi, fideque ardens censebat sibi cum filiis Domini sui communicandum esse eorumque difficultates participandas. Quem ad modum Bononiae « Opifices doctrinae christianae » bellum in socordiam religiosam, quae viros potissimum ceperat, inferebant, ita Clelia, illius Sodalicii particeps facta, in vico ((Budrie » non solum catechesim curavit renovandam, sed nonnullas etiam socias iisdem ac ipsa sensibus praeditas adduxit. Quae vero probata adiutrix Magistrae initio fuit, paulo post necopinatis se praebuit facultatibus ornatam, ob quas in eius discipulos cooptari ipsi seniores cupere coeperunt. Uxoriis deinde amplis condicionibus depulsis haud paucis, puellae Cleliam comitantes ad eiusque arbitrium redeuntes cogitare coeperunt de pusillo adulescentularum grege, quae sese vitae contemplativae et apostolicae devovere vellent; quod ab Eucharistia profluens ministerium eo ipso Cibo cotidiano consummari et institutione agricolarum operariorumque loci cumulari postea debebat. Illud tamen consilium, obstantibus publicis annorum MDCCCLXVI-MDCCCLXVII vicissitudinibus, quae ipsae Italiam in unum redactam subsecutae sunt, in mente agitatum ad effectum adduci non potuit, nisi anno MDCCCLXVIII, primo ipso die mensis Maii, quo una cum puellis

sibi coniunctis Clelia in aedem quae « Magistri domus » vocabatur se recepit, quem in locum antea opifices doctrinae christianae se congregare consueverant. Illic Clelia Barbieri principium posuit modestae humilisque familiae religiosae, quam deinde domum <(Sororum B. V. Mariae Perdolentis » antistites vocare non dubitaverunt, tum ob Cleliae pietatem in Minimum eremitam Sanctum Franciscum de Paula, qui orientis coenobii patronus iam habebatur providusque tutor, tum quod incolae illius loci maximo cultu B. M. V. Perdolentem prosequebantur illumque B. M. V. titulum ceteris potiorem Clelia habebat. Eoque in recessu, ubi inter omnes Clelia eminebat, sodales Deum cupidissime appetentes vitali fruebantur fide ac desiderium quoque missionale omnino fecundum ingeniique plenum aiebant, nullis adiuvantibus structuris aut apparatibus. Primusque interea fermentatus est manipulus sodalium, quem cito tum pauperes aegrique, tum pueri pariter ac puellae catechesi communibusque litteris instituendi circumsteterunt. Clelia autem, cum et ductrix et fidei magistra gradatim populo apparuisset, propterea, quamvis vix duos et viginti annos nata, ((mater » appellari coepta est. At, bienni spatio vix a condita sodalitate exacto, subdola tabes, qua laborabat, vertente anno MDCCCLXX **erupit crudelis dieque mensis Iulii xm, cum laetanter Clelia obviam virginum Sponso processisset, ad eum pervenit relicto orbe terrarum.**

Post mortem percrebrescente eius fama sanctitatis ac Processibus Ordinariis super eadem instructis ad Causae beatificationis introductionem, Decreto die xv mensis Martii foras anno MCMXXXIX **dato, deventum est. Constructus est deinde Processus Apostolicus super virtutibus in specie, quo rite cognito, Decretum die xxn mensis Februarii anno** MCMLV **editum est, confirmans Cleliam Barbieri heroum in modum christianas excoluisse virtutes. Cumque postea de duobus miraculis ad eam pertinentibus Processus Apostolicus felicem exitum habuisset, Paulus VI Decessor Noster bo. me., anno** MCMLXVIII **eidem famulae Dei Beatorum honores publice decrevit die xxvn mensis Octobris. Eaque vel amplius post beatificationem coli coepta est.**

Denique in Curia Archiepiscopali Bononiensi anno MCMLXXXV **de quadam mira curatione inquisitio facta est, cuius Acta a Peritis ac Theologis iure statutis recognita sunt. Die vero xi mensis Februarii anno** MCMLXXXIX **Decreto sancitum est rem divinitus patratam esse, intercedente Beata Clelia Barbieri.**

In idem consentientibus et Patribus Cardinalibus et Episcopis eo ipso anno in Consistorium die xm mensis Martii congregatis, Ipsi


praestatuimus ut Canonizationis ritus paulo post, seu die ix mensis Aprilis, celebraretur. Hodie igitur hic in Basilica Petriana hanc formulam inter Sacra elocuti sumus : « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Cleliam Barbieri Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eam in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Sueta etiam oratione habita de vita ac virtutibus Sanctae, quam modo publice diximus, eam venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus, hoc imprimis postulantes, ut a Deo, supernorum omnium donorum Largitore, populo christiano vim impetraret virtutes constanter imitandi, quas ipsa coluit, quandoquidem vehementius in dies illecebrae eum impellunt huius nostrae aetatis, ut de recta deflectat via.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die nono mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***



In Secret. Status tab., n. 257.877.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

QUIBDUANAE

Vicariatus Apostolicus Quibduanus ad statum dioecesis evehitur nomine Quibduana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Plus triginta septem vitae florentis suae superioribus annis probissime usa est ecclesialis communitas Quibduana, ex quo scilicet tempore transierat legitime ipsa in sui iuris Vicariatum Apostolicum, ut ducentibus nimirum pastoribus optimis sedulis presbyteris ac religiosis apostolatus studiosis confirmaretur undique variis in suis partibus et institutis, in pastoralis operae rationibus, in ipsa crescentis usque fidelium multitudinis gubernatione sicque ad pleniorem paulatim aedificantur fidei actionisque Catholicae maturitatem. Quapropter non sine certissima quidem causa placebat Venerabili Fratri Georgio Ivano Castaño Rubio, Episcopo titulo Edistianensi ibidemque a Nobis septem abhinc annos Vicario ipsi Apostolico constituto, idonea capere consilia ac res comparare deindeque ab hac postulare Sede Apostolica ut, quo efiicientius eadem dicio suo cum Catholico grege in permagnum iam numerum aucta regeretur, ad iuridicialem gradum tolleretur dioecesanae ecclesiae. Quod porro propositum, quia Fratribus in Episcopatu Nostris etiam Conferentiae Episcopalis Columbianae est plane probatum, Nostra hodie voluntate censemus auctoritateque apostolica ad effectum deduci haec singillatim statuentes quae sequuntur. Suppleto quatenus opus forsitan sit eorum consensu quorum interest aut sua qui interesse arbitrantur commemoratimi Vicariatum Apostolicum Quibduanum ad condicionem provehimus Dioecesis eiusdem prorsus nominis eorundemque finium, quibus antehac continebatur, cuius sedem collocamus episcopalem in urbe vulgo nuncupata Quibdó, ubi aedem Sancti Francisci Assisiensis sacram ipsum destinamus cathedrale templum additis iuribus congruis talium aedium propriis. Ordinarium autem novae huius dioecesis eundem persistere volumus pastorem, Venerabilem Georgium Ivanum Castaño Rubio, adhuc Episcopum titulo Edistianensem quem omnibus illius titularis Ecclesiae offi-

ciis nimirum vinculisque exsolvimus. Ei praeterea honores et insignia privilegia et munia iniungimus quibus reliqui Praesules locorum Ordinarii per orbem ornantur et onerantur. Dioecesis haec Quibduana erit suffraganea Metropolitanae Ecclesiae Sanctae Fidei de Antioquia et dictus modo Episcopus suberit metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore memoratae Sedis Metropolitanae. Esto deinde Pastori novae circumscriptionis dioecesanae Collegium Consultorum ad normam iuris atque sustentatio ipsa conveniens e bonis temporalibus ad eundem Vicariatum Apostolicum pertinentibus eque Curiae eolumentis fidelium stipibus a regimine civili suppeditatis opibus. Iam vigens inibi feliciter seminarium dioecesanum gubernabitur praescriptis iuris praesertimque normis ac regulis a Congregatione pro Institutione Catholica editis. Prout moris insuper est quidam iuvenes sacerdotium adfectantes Romam mittentur ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum ubi superioribus erudiantur disciplinis ecclesiasticis. Peracta canonica dioecesis erectione clerus prius Vicariatui adscriptus iam existimabitur ad dioecesim hanc novam pariter pertinere. De ceteris vero singulis rationibus gubernii : regimine ipso, bonorum administratione, electione dioecesani administratoris sede vacante, Christifidelium iuribus et officiis sacri canones perquam diligenter adservabuntur. Haec denique singula Nostra decreta volumus ut Apostolicae Sedis Legatus apud Columbianam nationem, Venerabilis Frater Paulus Romeo, Archiepiscopus titulo Vulturnensis, aut pro eo negotiorum curator in effectum adducenda curet, concessis facultatibus universis ideo necessariis, etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, officio simul adiuncto germanum exemplum sic impletae erectionis ad Congregationem pro Episcopis perferendi. Quanta demum cum fiducia rerumque salutarium deinceps hinc oriturarum exspectatione haec hodie inivimus pastoralia consilia de Ecclesia Quibduana, tanta similiter cum firmitate auctoritateque praecipimus cuncta ut haec Nostra iussa suam habeant virtutem iuridicialem et effectum tam nunc quam in posterum quibusvis causis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

£& AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae Negotiis

f& BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***
Raphael Varca, ***Proton. Apost. s.n.***

In Secret. Status tab., n. 261.196.

II

ISTMINANA TADUANA

Ad statum dignitatemque dioecesis evehitur Vicariatus Apostolicus Istminaënsis, quae posthac Istminana-Taduana appellabitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

accesserunt saeva partae persecutione religiosa, quae totum eius apostolicum opus vastavit. A seditiosis petitus, compulsus est ad se Mexicopoli occultandum. Postremi tres anni vitae eius duriter vexati sunt. Corpore et animo fatigatus, omnia e manibus Domini suscepit, maxima plenaque conscientia semper dicens : « Fiat voluntas tua, Domine ». Sesquimensi antequam moreretur, a sacerdote comitatus suo administro, ostium puisa vit familiae Servae Dei Mariae a Conceptione Cabrera vid. Armida, suae spiritalis filiae, « pacem quaerens et de Deo cupidus loquendi». Gangraena apparuit; longas tamen deprecationis horas non omisit et exemplo esse perrexit pietatis, patientiae et toleratae asperitatis. Die 30 mensis Ianuarii pie sancteque ultima accepit sacramenta ab Episcopo Leonensi. Paterne suos allocutus sacerdotes, qui eum circumsistebant, hortatusque ut Spiritum Sanctum, Sanctissimam Virginem Guadalupensem et Summum Pontificem amarent Operibusque Crucis studerent, Calendis Februariis anno 1917 mortuus est, ut sanctus habitus. In iis, qui ei assidebant, erant Servi Dei P. Felix a Iesu Rougier et Maria a Conceptione Cabrera vid. Armida.

Servus Dei vitam vixit praeter consuetudinem, virtutes christianas modo exercens non usitato. Ante omnia altius fidem exercuit, qua semper cum Deo coniunctus erat et eius gloriae diligentissimus : quod quidem multis ostendit operibus.

Religiose Missam celebrabat et diuturnis vacabat deprecationibus. Pietas erga Iesum, Virginem Mariam et Romanum Pontificem praeclarum fuit signum eiusmodi fidei, quae curatione etiam de Operibus Crucis manifestata est.

Peculiariter in Dei Servo spes fulsit ; summum namque divinae Voluntatis obsequium nota praecipua et propria fuit eius religionis sensus. Deo confisus omnes superavit difficultates quas subiit in suis operibus exsequendis, fortiterque omnes tulit persecutionis adversa, repetens : « Fiat voluntas Dei ».

Caritas erga Deum in eius corde inque eius operibus principatum obtinuit. Pietas in Iesum Eucharisticum, peregrinationes ad Loca Sancta Palaestinae, ad oppidum *Paray-le-Monial,* ad urbem Romam, caritatem indicant Dei, qua inflammabatur ; item nuncupata vota : votum perpetuum propagandi religionem in Spiritum Sanctum et in Sanctissimam Virginem Mariam Guadalupensem; vota perpetua castitatis, paupertatis et oboedientiae ; votum faciendi quod perfectius ei videretur ; votum cotidie Rosarium Marianum recitandi ; eius denique vitae oblatio Deo facta pro Sancta Ecclesia.

Etiam in caritate proximi Servus Dei singulariter eminuit. Quattuor enim insignia doctoris erat consecutus apud Romanas Studiorum Universitates, sed prae ceteris sacerdotem se esse sensit, et Episcopus. Pater atque animarum Pastor omnia fecit misericordiae opera, ad spiritum et ad corpus pertinentia, pro clero, Seminarii alumnis, iuvenibus, pauperibus, indigenis et aegrotis. Omnibus est viis usus, ut vitae christianae faveret : idque summa cum simplicitate et benevolentia.

Prudentia eius ab omnibus est agnita et laudata. Semper Spiritum Sanctum invocabat; priusquam aliquid ageret, id animo volutabam Quae prudentia refulsit in rationibus Studiorum Universitatis Angelopolitanae, in magistris seligendis et in aliquot accipiendis religiosis Institutis, quae ipse arcessiverat ut educationi prospiceret iuvenum utriusque sexus. Haec virtus eminuit etiam in impenso et assiduo labore, quem sumpsit ut Opera Crucis institueret.

Continenter ad christianae iustitiae diligens exercitium contendit, quoad Deum et quoad proximum et quoad se ipsum, rectissime vivendo tum vitae ordinariis temporibus tum insolitis.

Excellens fortitudinis exercitium clare apparet ex miro modo, quo ambas dioeceses sibi concreditas composuit, exque modo, quo, eorum omnium quae tot laboris et incommodorum annis fecerat, eversionem tulit.

Cum humiliter viveret, sine magnificentia, minime ambitiosus, sed secundum spiritum Beatitudinum, Servus Dei maxima cum fidelitate vota religiosa ab anno 1909 observavit.

Hae omnes virtutes Servum Dei, etiam viventem, Episcopum sanctum effecerunt plurium eius filiorum sententiis. Fama sanctitatis valenter floruit; sed eius legitimum progressum impediverunt alterum omnium gentium bellum et continua rerum mutatio ac persecutio religiosa in Mexico. Processuum investigationes effecerunt ut ea revivisceret, confirmaretur et increbresceret.

Processus Informativus, inchoatus die 4 mensis Iunii anno 1965 in Curia Angelorum, conclusus est die 12 mensis Iulii anno 1973.

Postquam omnia iuxta Iuris praescriptiones confecta sunt, quaestio de Servi Dei virtutibus heroum in modum exercitis ad exitum adducta est in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, cui moderatus est Rev.mus D.nus Antonius Petti, Fidei Promotor Generalis, die 20 mensis Octobris anno 1989, et in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, die 13 mensis Martii anno 1990, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Pironio.

Ubi utraque investigatio prospere cessit, Summus Pontifex est ab infrascripto Cardinali Praefecto certior factus; et Sua Sanctitas, votis exceptis Congregationis, iussit Decretum de virtutibus heroum modo exercitis rite parari.

His peractis rebus, hodie ad se convocavit Cardinales, infrascriptum Praefectum et Causae Ponentem meque Antistitem a Secretis, ceterosque qui sunt ex more convocandi et coram eis Beatissimus Pater pronuntiavit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Raymundi Ibarra y González, Archiepiscopi Angelorum (Puebla), in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum inseri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

DUBLINEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Catharinae McAuley, Fundatricis Congregationis Sororum a Misericordia (1778-1841).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sic quidem in Christo per Christumque singulariter etiam Deus elucet sua in misericordia ... Neque de ea solum loquitur similitudinibusque eam explanat et parabolis, verum ante omnia ipse illam in se corporat ac sua veluti persona induit. Quippe : is ipse quodammodo

misericordia est. Quicumque igitur in eo perspicit illam invenitque in ipso, Deus peculiari ratione "visibilis" ei redditur ut Pater "dives in misericordia" » (IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Dives in misericordia,* 2).

Orationis vita exemplumque Servae Dei Catharinae McAuley ratioque eius apostolici servitii in misericordia exprimuntur hac Regula Instituti ab ipsa conditi : « Misericordia, quae est via principalis indicata a Iesu Christo illis qui Eum sequi voluerint, per totam Ecclesiae historiam excitavit fideles modo particulari, ut pauperes, infirmos ac monentes instruerent confirmarentque, agnoscendo in illis personam nostri Magistri Divini, qui ait : "Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" » *(Regula,* art. 8).

Congregationi quam Dei Famula anno 1831 condidit propositum erat, ut misericordiam variis multisque modis exerceret erga pauperes, domo carentes, indefensos, rudes indoctosque. Sic genuit multiplicem apostolatum qui nostra quoque aetate Sorores compellit quocumque Christo indiget mundus, ad « pauperes in primis, qui saepe ad illud accipiendum sunt animo propensiores » (cf. *Evangelii nuntiandi,* 6. 17. 44. 46).

Iam a tenera aetate Catharina McAuley sibi sumpsit tamquam exemplar « Christum humiliatum, derelictum, morientem : Ecce Christus meus. Ipsum habeam, Ipsum teneam, praeter Ipsum nihil ». Propter Christum construxit in fide et amore suam Domum misericordiae cuius moenia, ut ait S. Augustinus, spe confecta sunt. « Semper divina providentia maxime sustentatae sumus et sic progredimur » : sunt haec ipsius Servae Dei verba, die 24 mensis Septembris anno 1841 prolata, quae brevi exprimunt firmam erga Deum fiduciam.

Serva Dei nata est Dublini die 29 mensis Septembris anno 1778, cum Hibernia etiam tum sub onere legum poenalium contra religionem catholicam gemebat. Pater eius erat catholicus pius et quidem locuples, mater autem, quamvis indolis dulcis, sine magna fide. A patre imbibit pietatem, ardentem et fortem fidem, necnon de pauperibus curam. Anno 1783, mortuo patre, Catharina res adversas et persecutionem experiri coepit, quia exinde prosecuta est eius institutio in ambitu acatholico, in quo a fide recesserunt mater, frater sororque eius. Sic per quadraginta circiter annos, ab anno 1783 usque ad annum 1822, Catharina privata est sustentatione vitae familiaris catholicae, excepto brevi tempore, anno 1793, quando apud avunculum aliquantulum habitavit.

Coacta ut libros acatholicos legeret, consilia petivit a presbyteris et confessariis. Coepit catholice aperte vivere instituitque apostolatum misericordiae formationis, visitationis infirmorum necnon mulierum iuvenum tutelae, nonobstante improbatione tutorum Gulielmi et Catharinae Callaghan, qui « emblemata papalia » in domo sua prohibuerunt.

Iis annis abscondita vixit Serva Dei, quae sibi crucem Christi discernebat in ipsis tympanis portae et sic suum Christum humiliatum, derelictum et morientem adorabat. Tandem aliquando eius exemplo conversi sunt ad religionem catholicam et Gulielmus et Catharina Callaghan, atque anno 1822 Catharina McAuley facta est heres bonorum omnium Gulielmi Callaghan, nempe 25.000 nummorum Anglicorum.

In pignus accepit Catharina hereditatem et, approbante benedicenteque archiepiscopo Dublinensi Daniele Murray, domum construxit in *Via Baggot* ut ibi pueri pauperes instituerentur, orphani domum haberent, necnon mulieres iuvenes praepararentur ad operam suam locandam. Aedes in *Via Baggot* inaugurata est die 24 mensis Septembris anno 1827 sub titulo <(Domus Misericordiae », et anno 1828 coepit serva Dei Domum Misericordiae habitare. Iam operi misericordiae adiunxerat visitationem domuum necnon nosocomiorum, curam senum, institutionem adultorum ceteraque varia servitia socialia, semper quidem in spiritu evangelii nuntiandi.

Quotidie ipsa cum sororibus Missae celebrationi intererat, devoteque precabatur Sacratissimum Cor Iesu ; erga Passionem Eucharistiamque et erga Beatam Virginem Mariam magnae fuit pietatis. Lectioni Sacrae Scripturae ac Patrum Ecclesiae deditae erant. Vita communi et aequalitate vestitus gradatim et sensim sine sensu appropinquabant Catharina sororesque ad vitae religiosae modum.

Die 23 mensis Maii anno 1829 Pius Papa VIII novo Instituto Rescriptum Indulgentiarum necnon Beneplacitum Sanctae Sedis concessit. Mense Iunio eiusdem anni Serva Dei certior facta est, sed falso, de intentione Archiepiscopi tradendi Institutum nuper incoeptum alii Congregationi, relinquendi ipsi Catharinae officia merae benefactricis. Humiliter sese submisit et similiter egit quando Archiepiscopus decrevit Institutum egere statu canonico. Quo sese gerendi modo ostendit Famula Dei observantiam et reverentiam doctrinae disciplinaeque Ecclesiae. Et quidem usque ad hunc interventum Archiepiscopi numquam exoptaverat, immo ne mente quidem conceperat se institutum vitae religiosae condere.

Anno 1830 Catharina cum duabus comitibus austerum novitiatum peregit. Iam 54 annorum, die 12 mensis Decembris anno 183Í, vota religiosa nuncupavit. Formulae votorum sibi propriae, ab Archiepiscopo approbatae, adiunxit quartum votum, nempe serviendi pauperibus et infirmis, necnon instituendi illiteratos.

Decem annis transactis, apertis iam quattuordecim domibus, conscioque capto alias quattuor constituendi, Serva Dei pie in Domino obiit die 11 mensis Novembris anno 1841. Sepulta est in novo *Viae Baggot* coemeterio.

Decretum, quod vocatur *Laudis,* concessum est ab Apostolica Sede duobus capitulis *Regulae,* Catharinae rogatu, die 24 mensis Martii anni 1835. Decretum tandem supremae approbationis a Gregorio Papa XVI promulgatum est die 5 Iulii anno 1841.

In *Regula* voluit Catharina sociare contemplationem amori apostolico, et sic magnopere contulit processui Congregationum vitae religiosae apostolicae. Talis visio theocentrica iterum exprimitur eius epistola diei 20 mensis Decembris anni 1840 : « Habemus solidum solatium in nostris per mundum parvis itineribus : nostra corda possunt in eodem loco permanere, id est, Deo coniuncta, propter quem unice aut progredimur aut remanemus ». Consilia dedit ut « etiam in media civitate, industriae plene dedita, religiosa debet sese ab omni re creata retrahere et soli Deo in solitudine vivere » *(Retreat Instructions,* p. 46).

Omnibus vitae diebus Serva Dei fortiter fidem suam testificata est, quam constanter defendit, magni aestimavit et eadem fides totam Servae Dei personam pervasit, involvens mentem et animum.

Adiuncta vitae fidem corroboraverunt Servae Dei atque contulerunt ad firmandam eius spem constantem, filiale obsequium erga voluntatem Dei, necnon assensionem divinae providentiae in omnibus vicissitudinibus vitae necnon operis. Vita Servae Dei fulta erat fiducia Dei inflexibili.

Oratio *Suscipe* nuncupata exhibet eius spem heroicam : « Quando nos ipsas plene manibus Dei tradimus, Ipse dulciter res ordinat, etiam hac in vita, ad bonum nostrum ».

Sorores quae consuetudinem cum Famula Dei habuerunt affirmant caritatem fuisse virtutem quam ea maxime dilexit et exercuit. Appetivit perfectam caritatem : « Sit caritas insigne nostri honoris, ut dicatur non esse inter nos nisi cor unum et animam unam in Deo, Eius gloriam nostramque sanctificationem semper quaerentes ».

Amorem Dei in caritate erga omnes ostendit, et quidem praeser-

tim erga pauperes, quorum necessitates pro viribus allevabat. Maluit se sororesque privari quam pauperum necessitudines neglegi.

. In virtutibus quoque cardinalibus ac consiliis evangelicis Serva Dei heroice sese exercitavit sicut in virtutibus theologalibus. De ea dictum est « numquam in Hibernia inde a temporibus S. Brigidae vixisse benefactricem tanti zeli, tam prudentem, tam boni exitus quam Catharinam ». Perspicuitas eius in necessitatibus pauperum intellegendis et quibus subsidiis posset eis maxime subvenire, comprobat eius prudentiam, tam in servitio gubernationis quam in componendis casibus internis et externis, tam in exercitio auctoritatis ut servitio amoris, quam in modo sese gerendi cum aliquibus ex clero, qui difficultates et obstacula creaverunt, et maxime in ratione ancipiti et valde humana qua pauperibus adfuit.

Iustitia ducta est Catharina ut Deo attribueret principatum in vita sua, et ut necessitates pauperum assumeret et eis subveniendo Deo ipsi in illis servitium praeberet. Iustitiae sociali impensa providebat scholas institutionemque pauperibus, catechesim, tutelam necnon formationem technicam non aliunde parabilem. « Hodie » solebat dicere, « et non hebdomada proxima, egent auxilio pauperes ».

Fortitudinem Serva Dei indefessam exhibuit in condendis conventibus, in facilitate itinera etiam in longinquam Novae Scotiae terram suscipiendi, ut ibi servitium missionis praeberet, in auspicanda misericordiae missione in Hibernia illis temporibus, quae proxima ante liberationem fuerunt. Exemplum quoque temperantiae eximium sororibus praebuit.

Humilitas Servae Dei agnoscitur praesertim ex eius mentis habitu sese committendi manibus Dei, respuendique quemlibet aliorum favorem, dictitandique : « Unice quaesivi pauperibus subvenire : sic mihi videbatur Deus a me voluisse. Si meum est opus ista Congregatio, melius est eam mox destrui. Si autem Dei est opus, nullo indiget ».

Totis religiosis nuncupatis fideliter heroiceque vixit. In omnibus domibus Congregationis Misericordiae voluit ut petra angularis esset crux et paupertas. Potior in pauperes amor postulabat ut ipsa sororesque eius non solum spiritu sed et re vera pauperes viverent. Castitate emicuit necnon ratione vitae modesta simplicique. Amicitias nota valde spiritali distinxit.

Serva Dei semper sese voluntati Dei subiecit, inque auctoritatem ecclesiasticam singulare studium habuit et obsequium. Sic magisterio Ecclesiae semper parens potuit discernere quid a se ipsa peteret

Deus et quomodo Ei posset respondere, comprobans in se verba *Regulae* quae sonant : « Congregatio in Calvario instituta est ut ibi Redemptori crucifixo serviat, cuius exemplo Sorores sensus, phantasias necnon voluntates suarum rerum tantum studiosas crucifigant » (art. 145).

Servae Dei propria fuit spiritualitas quae in verbo Dei traditioneque radicata contemplationem cum actione temperavit, quaeque experientia bonitatis, misericordiae potestatisque infinitae Dei fovebatur.

Sanctitudinis fama, qua Serva Dei in vita fruita est, post mortem viva perseveravit, donec tandem, superatis temporum difficultatibus, sodales Instituti Sororum a Misericordia petierunt ut Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem Servae Dei decernendis legitime ageretur. Hinc Exc.mus ac Rev.mus D.nus Dermot Rayan, Archiepiscopus Dublinensis, anno 1975 commissionem instituit virorum in historia peritorum quae, servatis normis de tractatione Causarum historicarum, documenta et testimonia scripta ad vitam actuositatemque Servae Dei spectantia undique colligeret, processumque instruxit super fama sanctitatis, a die 14 mensis Decembris anni 1978 usque ad diem 27 Aprilis mensis anni 1982. Cuius inquisitionis acta una cum collectis documentis ad Congregationem de Causis Sanctorum sunt transmissa. Quae Congregatio, documentorum scriptorum fide et auctoritate ad trutinam criticae methodi expensis in tutoque positis, amplam *Positionem* super virtutibus Servae Dei ex officio concinnavit annoque 1986 in vulgus edidit, quam, die 6 Maii eodem anno, Consultores in historia periti cunctis suffragiis laudaverunt.

Instante demum Rev.do Patre Martino Nolan, O.S.A., huius Causae legitime constituto Postulatore, ventum est ad disceptationem de virtutibus Servae Dei Catharinae McAuley theologalibus et cardinalibus eisque adnexis apud hanc Congregationem de Causis Sanctorum, et quidem primum, die 25 mensis Aprilis anni 1989, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde, die 13 Martii mensis anno 1990, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, huic Congregationi praepositorum, ponente Em.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utroque Coetu, proposito dubio num Servae Dei virtutes heroicum attigissent gradum, affirmativum responsum est datum.

Quibus de omnibus rebus cum per subscriptum Cardinalem Praefectum accurate ad Summum Pontificem Ioannem Paulum II fel. regn.

relatum esset, Sanctitas Sua, vota Congregationis rata habens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus appararetur.

Quod cum rite factum esset, Beatissimus Pater, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto et Iosepho Caprio, Causae ponente, ceterisque convocari solitis, eisque astantibus edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis Servae Dei Catharinae McAuley, Fundatricis Sororum a Misericordia, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

f& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

III

MARIANOPOLITANA

DECRETUM

Canonizationis Beatae Mariae Margaritae Dufrost de Lajemmerais, viduae d'Youville, Fundatricis Sororum a Caritate, vulgo « Sœurs Grises de Montréal» (1701-1771).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Beatorum Caelitum ordinibus sollemni ritu est a Ioanne Papa XXIII adscripta, die quidem 3 mensis Maii anni 1959, Maria Margarita Dufrost de Lajemmerais vidua d'Youville, fundatrix Sororum a Caritate, vulgo ((Sœurs Grises de Montréal ».

Nata ipsa erat die 15 Octobris anni 1701 in urbe v.d. *Varennes,* intra fines tunc Marianopolitanae archidioeceseos, nunc dioecesis Sancti Ioannis Quebecensis. Nupta Francisco d'Youville, vix octo elapsis annis, vidua mansit. Sublevandis pauperibus, infirmis atque colo-

nis, Congregationem condidit Sororum a Caritate, quas popellus conviens obruens « grises », idest temulentas, initio per ludibrium vocavit. In omnes amoris superni profundens divitias, « mater caritatis universalis » appellari ipsa meruit. Morbi vi oppressa et Ecclesiae sacramentis recreata, die 23 mensis Decembris anno 1771 Marianopoli ex huius vitae tenebris ad sempiternam excessit lucem.

Novensilis Beatae fama sanctimoniae et christifidelium pietas ac fiducia in ipsam magis magisque visa sunt augescere eiusque validissimum patrocinium complures fideles sunt experti. Quapropter, instantibus Causae actoribus, Decretum exiit, die 31 mensis Iulii a. 1981, probante Summo Pontifice Ioanne Paulo II, resumptionis eiusdem Causae canonizationis, prouti tunc Ius exigebat.

Porro, ad honores sanctorum eidem Beatae legitime tribuendos, actores Causae assertam quandam miram sanationem, eadem deprecante Beata divinitus patratam, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt. Quae quidem sanatio obtigit dominae Elisabeth Normand, civi Quebecensi undetriginta annorum natae, officio vectigalibus imponendis addictae. Ipsa etenim, invocato fervidis precibus caelesti eiusdem Beatae patrocinio, edita iam medicorum a curatione infausta prorsus prognosi quoad vitam, die 23 Decembris anni 1978, in valetudinario generali urbis Ottaviensis a leucemia acuta mieloblastica perfecte convaluit.

Hac super asserta mira sanatione bini canonici processus apud Curiam episcopalem Ottaviensem conditi sunt : alter mense Decembri anni 1987, alter additionalis mense Aprili anno 1988. De utriusque inquisitionis forma et auctoritate Decretum prodiit Congregationis de Causis Sanctorum die 20 mensis Maii anni 1988. Acta autem harum inquisitionum subiecta sunt deinde duobus ex ofiicio deputatis peritis medicis. Demum, in sessione diei 7 Iulii anni 1989, Consilium Medicum huius Congregationis de Causis Sanctorum, diligenter acuteque pertractata quaestione, praeter et super naturae vires evenisse praefatam sanationem asseveravit.

Servatis igitur de iure servandis, perventum est ad theologicam disceptationem in casu, et quidem primum, die 19 mensis Ianuarii anni huius 1990, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 20 Martii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum huic Congregationi praepositorum, ponente Eduardo Cardinali Gagnon, in Palatio Apostolico Vaticano coadunata. Posito autem dubio utrum de miraculo constaret in casu et ad

effectum de quo ageretur, cuncti, tum Patres Consultores tum Patres Cardinales et Episcopi, affirmantes responderunt.

Quibus de omnibus rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum super eodem miraculo conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae ponente, meque Antistite a secretis Congregationis, ceterisque de more con vocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Beatae Mariae Margaritae Dufrost de Lajemmerais viduae d'Youville, fundatricis Sororum a Caritate, videlicet de rapida, perfecta ac diuturna sanatione dominae Elisabeth Normand a leucemia acuta mieloblastica.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

IV

ROMANA

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Antonii Vincentii Gallo, Sacerdotis dioecesani, Oblati Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu (1899-1934).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sacerdos et Hostia! Sublimi hac vocatione notata est brevis et alacris vita Servi Dei Antonii Vincentii Gallo, Sacerdotis dioecesani et Oblati Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu. Alte charismate

imbutus amoris, oblationis et reparationis, a Servo Dei P. Leone Ioanne Dehon transfuso, eiusdem Congregationis Institutore, in qua iuvenis Vincentius est educatus nomine Antonio capto, miro modo totam vitam suam Deo et animis devovit. Verus Sacri Cordis Oblatus plene ad effectum adduxit magnum sanctitatis consilium, quod eius Conditor destinaverat : « Dona quae Dominus noster a nobis exspectat cor sunt ad amandum, corpus ad patiendum, voluntas ad eandem immolandam » *(Dirett. Spir.,* I, § 1).

Monteforti Hirpino natus (in provincia Abellinensi) die 11 mensis Ianuarii anno 1899, Servus Dei est eodem die baptizatus et Vincentius vocatus. A piissimis parentibus fidem accepit simplicem et impensam, quae eum ab adulescentia proclivi tate insigni vit ad deprecationem et ad sacra. Sed quam primum crux, quae futura eius erat per totum vitae iter austera socia et salutaris, se in eius interposuit casus dirigendos; namque decem annorum orbatus patre et in angustias adductus, quibus numerosa familia laborabat, adactus est acl orphanotrophium ingrediendum. At iam animadverterat se fortiter ad sacerdotium allici. Annos natus 13, mense Octobri anni 1912, Scholam Apostolicam intravit Sacerdotum a Sacro Corde oppidi Albini (in provincia Bergomensi siti). Inde nihil aliud opta vit, quam sacerdos fieri et in illa quidem Congregatione, quae eum tamquam mater exceperat. Ob prius totius orbis terrarum bellum fuerunt ei studia intermittenda ut stipendia faceret: quo tempore exemplo fuit morum integritatis et fervidi in Eucharistiam amoris. Cum tandem liberum ei fuit propositum persequi, novitiatum Albae Dociliae Superioris peregit (in provincia Savonensi), et die 29 mensis Ianuarii anno 1921 temporaneam, die vero 16 mensis Octobris anno 1924 perpetuam fecit professionem, fama sui relicta ubique iuvenis humilis, Regulae observantis, semper ad fratribus sodalibus serviendum parati.

Inter theologiae praelectiones, quas Bononiae audiebat, gravi morbo, quem clarissimi professores iudicaverunt morbum esse insanabilem*Thomsen,* Servus Dei est affectus tamque acerbis doloribus, ut curans dixerit illum « martyrem fore cruciatus ». Et vero sane martyrio, intimo nec solum externo, coepit vexari. Mense Iulio anno 1927 est ad familiam remissus, aliqua cum spe meliuscule ei esse futurum. Mense Septembri, eodem anno, Antistites ei gaudium attulerunt sacrae peregrinationis ad Cryptam Lapurdensem, unde, ut dixit, multum a Virgine Maria hausit «solacii, lucis et patientiae».

Matre quoque orbatus die 7 mensis Novembris anno 1928, iuvenis

Religiosus acerbam passus fratris sui simultatem, tolerantiae eximiae et caritatis specimen dedit. At praesertim eo accessit quod Antistites, morbo acerrime durante, instanter eum hortati sunt ut vacationem peteret a votis, sperantes eum, vitae communis officiis solutum, posse saltem tam optatam sacerdotii metam adipisci.

Id ei maxime doluit. Maestissimus et vel vehementer timens ne suam proderet vocationem, Servus Dei veniae votorum rescripto subscripsit illacrimans, quasi « suae condemnationi ». Benigne a suo Abellinensi Episcopo receptus, favente P. Iosepho Philippe, dilectae suae Congregationis Antistite Generali, est sacerdos ordinatus die 14 mensis Decembris anno 1930.

Sed in familia adversa ingravescebant adiuncta. P. Philippe igitur ei suasit ut in Communitatem rediret tamquam « Oblatus », suumque expleret ministerium in paroecia Romana Christi Regis. Eo se contulit die 16 mensis Martii anno 1931, laetitiae plenus statimque indefatigabilem ostendit sedulitatem. Adhuc memoria retinetur viva eius humillimae et studiosae facilitatis, quae omnibus praesto erat fidelibus : namque in auditorio confessionali assiduus erat, de aegrotis curam adhibebat et praesertim moribundorum, attente incumbebat in puerorum crebrum coetum formandum, quos ad servitium liturgicum praeparavit, quosque ad pietatem et ad vitam christianam educavit. Immemor sui et infirmi corporis dolores dissimulans, Servus Dei gradatim vires suas ad ultimum consumpsit, laetans quod esset pro omnibus humilis et bonus sacerdos, et praesertim parvus cum parvis.

Die 2 mensis Maii anno 1934 membranae cerebri inflammatione correptus et in valetudinarium Romanum deductus, quiete animam Deo reddidit. Multitudinis admiratio singulariter in eius exsequiis significata est, omnibus communiter « sacerdotis sancti » mortem commiserantibus.

Quamvis enim Servus Dei vitam egerit « absconditam cum Christo in Deo» *[Col* 3, 3), in humillima sui opinione, odor tamen eius virtutum circa illum diffundebatur. Natura facultatibus corporis et ingenii parum ornatus, aedificium nihilo minus exstruxit verae sanctitatis super solidum virtutum theologalium fundamentum, quas exercuit heroum in modum. Fides fuit constans eius dux in ardore et in animosa perseverantia, quae eum prosecuta sunt in itinere ad sacerdotium, tam amatum et super omnia existimatum. Fides in animo eius vehementem accendebat amorem in Eucharistiam et in Sanctissimam Virginem Mariam. Pietas erga Sacrum Iesu Cor, Congregationis pro-

pria in qua saltem se mori gavisus est tamquam « Oblatum », eum adiuvit ad sic ferventem animum continendum, ut omnibus exemplum appareret humilitatis et lenitudinis. Huius insuper pietatis fautor factus est Romae, in paroecia Christi Regis, multas incitando familias ut se Sacro Cordi consecrarent. Fides, imprimis, eum fecit idoneum ad durissimam iacturam : ad obsequendum nempe suorum Antistitum voluntati dilectam suam Congregationem relinquendo seseque ad incertum futurum offerendo. « In tot acerbitatibus — scripsit — in caelum suspicio, implorans ut pax sit meo misero cordi et fiat de me divina voluntas ». Pauper per omnia, fiduciam in Deo collocabat : « Deum meum amplector, Deum illum, qui est in cruce mortuus ».

Eius caritas, nedum relanguesceret, crevit in rebus adversis. Ardenter ex sua vera « Oblati a Sacro Corde » vocatione vivebat, a qua abstrahere nemo eum potuisset umquam. De eo est testimonium dictum : ((In vita sua propositum obtinuit vocationis Sacerdotum a Sacro Corde, videlicet amoris spiritum et immolationis ad maiorem Sacri Cordis gloriam et animarum salutem ». In corporis debilitate fortem animam obtexit viri, Dei et animarum amore capti. Scripserat : « Mirificas tibi gratias ago, Iesu, quod me ad te sequendum vocasti meque in praecipuo iure victimae posuisti : nunc nihil aliud me manet, nisi lacrimarum et dolorum tum animi tum corporis vita, ut peccatorum meorum poenas luam ». Vix tribus annis, ab anno prorsus 1931 ad annum .1934, eius sacerdotale studium indelebile reliquit vestigium. ((Quae maxime in eo virtus fulgebat, Dei caritas erat et proximi : ardore salutis animarum fiagrabat ». Quae caritas omnes eius actiones imbuebat. Etsi in dilectam suam Congregationem reductus solummodo tamquam humilis Oblatus, fideliter observavit, summa cum omnium aedificatione, evangelica consilia, perfectam excolens paupertatem, angelicam castitatem, filii oboedientiam erga suos Antistites; quos paenituit tarde, eiusmodi sanctitatis exemplis permotos, se olim favisse recessioni eius e Congregatione.

Vitae Christi fidelis imitator, quae « tota crux fuit et martyrium » *(De Iniit. Christ.,* L. II, c. 12, 7), bene is definitus est « laetus doloris apostolus » ob singularem fortitudinem, qua omnem suam aegritudinem occultam tranquillitate illuminabat et spe.

Eius fama sanctitatis celebrationem festinavit Processus Informativi dioecesani apud Romae Vicariatum (estque actus a die 10 mensis Aprilis anni 1953 ad diem 18 mensis Aprilis anni 1956), quem secutus est Processus Apostolicus (actus a die 29 mensis Decembris anni

1966 ad diem 4 mensis Aprilis anni 1973). In tribus Processibus Rogatorialibus collecta sunt testimonia testium Bonaeropoli (anno 1956), Hardifordiae et Bruclini, in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis (annis 1955 et 1956). Congressus Peculiaris super virtutibus, die 3 mensis Novembris habitus anno 1989 apud Congregationem de Causis Sanctorum, praesidente Fidei Promotore Rev.mo Antonio Petti, felicem habuit exitum. Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 3 mensis Aprilis anni 1990, Causae ponente seu relatore Em.mo Cardinali Iosepho Caprio, agnoverunt Servum Dei Antonium Vincentium Gallo heroum more virtutes exercuisse théologales, cardinales et adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis in gradu heroico, Servi Dei Antonii Vincentii Gallo, Sacerdotis dioecesani, Oblati Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 **Eduardus Nowak**
archiep. tit. Lunensis, ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 21 Februarii 1990. — Episcopum Coadiutorem Palmopolitanum R. D. Iosephum Doth de Oliveira, e clero Iguatuvino.

die 1I¡ Martii. — Cathedrali Ecclesiae Leopoldinensi R. P. Richardum Chaves Pinto Filho, Superiorem Regionalem Ordinis Praemonstratensis in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Valentinae in Brasilia R. P. Eliam (Iacobum) Manning, O.F.M. Conv.

die 1¡ Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Madensi R. D. Raphaelem Llano Cifuentes, e clero Praelaturae Personalis « Opus Dei)), quem deputavit Auxiliarem Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

die 18 Aprilis. — Episcopum Coadiutorem Fertiliensem R. P. Iosephum Albertum Moura, Congregationis a Ss. Stigmatibus D.N.I.C, sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Spelaeopolitanae a Bono Iesu R. P. Franciscum Batistela, Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Marabensi R. P. Iosephum Vieira de Lima, Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci sodalem.

die 23 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Colatinensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Geraldum Lilium Rocha, hactenus Episcopum titularem Theleptensem et Auxiliarem Victoriensem Spiritus Sancti.

die 9 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Nictheroyensi Exc.mum P. D. Carolum Albertum Etchandy Gimeno Navarro, hactenus Episcopum Camposinum.

die 20 Iunii. — Ecclesiae praelaticiae Christalandiensi R. D. Heribertum Hermes, Congregationi Americanae Casinensis sodalem.

die 26 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cluentensi R. D. Ansovinum Iosephum Both, e clero Passofundensi, quem deputavit Auxiliarem Portalegrensem in Brasilia.

die S Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Lilybaetanae, cum dignitate archiepiscopali, R. D. Iosephum Leanza, e clero dioecesis Pacten - sis, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Republica Haitiana.

die 12 iulii. — Cathedrali Ecclesiae Caiazeirasensi R. D. Matthiam Patricium de Macedo, e clero Natalensi.

die 18 Iulii. — Episcopum Coadiutorem dioecesis Rivi Quarti, R. D. Raimundum Artemium Staffolani, hactenus rectorem Seminarii maioris eiusdem dioecesis.

die 27 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Turiasonensi R. D. Michaelem Iosephum Asurmendi Aramendia, S.D.B., hactenus Inspectorem Societatis Sancti Francisci Salesii.

die 18 Augusti. — Archiepiscopali titulari Ecclesiae Tabaltensi, R. P. Ioannem Bukovsky, Societatis Verbi Divini sodalem, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Dacoromania.

die 31 Augusti. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Caroli Paty, Episcopi Lucionensis, R. D. Franciscum Garnier, Vicarium generalem dioecesis Divionensis.

— Auxiliarem Exc.mi P. D. Ansgarii Rolandi Cantuarias Pastor, Archiepiscopi Piurensis, constituit Exc.mum P. D. Augustum Beuzeville Ferro, hactenus Auxiliarem Limanum.

die 13 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Fiori Exc.mum P. D. Renatum Séjourné, hactenus Episcopum titularem Labicanum.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 2 Aprilis. — Cathedrali Toliaranae R. P. Fulgentium Rabeony, Societatis Iesu sodalem.

die 21 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Kisumuensi, novae elevationis in Kenia, Exc.mum ac Rev.mum Dominum Zacchaeum Okoth, hactenus Episcopum Kisumuensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Nyeriensi, novae elevationis in Kenia, Exc.mum ac Rev.mum Dominum Nicodemum Kirima, hactenus Episcopum Nyeriensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Mombasaënsi, novae elevationis in Kenia, Exc.mum ac Rev.mum Dominum Ioannem Njenga, hactenus Episcopum Mombasaènsem.

— Cathedrali Ecclesiae Ahmedabadensi R. P. Stanislaum Fernandes, Societatis Iesu sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Raishahiensi, noviter erectae in Bangladesa, R. P. Patricium D'Rozario, Congregationis a S. Cruce sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Hoimanae R. D. Deogratias Byabazaire, e Clero Hoimano, hactenus rectorem Seminarii maioris in oppido v. d. Alokolum (Gulu).

die 7 Iunii. — Episcopum Coadiutorem Eminentissimi Cardinalis Dominici Ignatii Ekandem, Archiepiscopi-Episcopi Abugensis, Exc.mum ac Rev.mum Dominum Ioannem Olorunfemi Onaiyekan, hactenus Episcopum Ilorinensem.

die 11 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Vambaënsi R. P. Carolum Kambale Mbogha, Congregationis Augustinianorum ab Assumptione sodalem.

die 7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Lashioënsi, noviter erectae in Myanmar, R. P. Carolum Bo, Societatis S- Francisci Salesii sodalem, hactenus Praefectum Apostolicum Lashioênsem.

— Metropolitanae Ecclesiae Kinshasanae Exc.mum ac Rev.mum Dominum Fridericum Etsou-Nzabi-Bamungwabi, hactenus Archiepiscopum Mbandakanum-Bikoroènsem.

die 11 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Munduensi Exc.mum ac Rev.mum Dominum Matthiam N'Garteri Mayadi, hactenus Episcopum Sarhensem.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die IS Iunii 1990. — R. P. Senum Ludovicum 0'Donnell, Ordinis S. Augustini sodalem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Maiduguriensis dioecesis.

die 7 Iulii. — Exc.mum ac Rev.mum Dominum Fridericum Etsou-Nzabi-Bamungwami, Archiepiscopum Kinshasanum, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Mbadakanus-Bikoroënsis archidioecesis.

— Exc.mum ac Rev.mum Dominum Ioannem Olorunfemi Onaiyekan, Episcopum Coadiutorem Abugensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Ilorinensis dioecesis.

die 11 Iulii. — Exc.mum ac Rev.mum Dominum Matthiam N'Garteri Mayadi, Episcopum Munduensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Sarhensis dioecesis.

die 14 Iulii. — R. P. Emmanuelem Valarezo Luzuriaga, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, Galapagensis Praefecturae in Aequatoria Praefectum Apostolicum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato 15 Settembre 1990, S. E. il Signor SANDOR KERESZTES, Ambasciatore di Ungheria presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 13 Settembre 1990, S. E. il Signor FERNANDO ORDOÑEZ, Ministro degli Affari Esteri di Spagna.

Lunedì, 17 Settembre 1990, S. E. il Signor JOSZEF ANTALL, Primo Ministro di Ungheria.

Lunedì, 24 Settembre 1990, S. E. il Signor VACLAV HAVEL, Presidente della Repubblica Federativa Ceca e Slovacca.

Da Sabato I° a Lunedì 10 Settembre 1990 il Santo Padre si è recato in Apostolico Pellegrinaggio in Africa, sostando in Tanzania, Burundi, Ruanda, e Costa d'Avorio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

18 agosto 1990. P. John Bukovsky, S.D.V., Officiale della Segreteria di Stato, Sezione per i Rapporti con gli Stati, Arcivescovo tit. eletto di Tabalta, *Nunzio Apostolico in Romania.*

21 » » S. E. mons. José Sebastian Laboa, Arcivescovo tit. di Zari, *Nunzio Apostolico in Paraguay.*

» » » S. E. mons. Manuel Monteiro De Castro, Arcivescovo tit. di Benevento, *Nunzio Apostolico in El Salvador e Nunzio Apostolico in Honduras.*

8 settembre » S. E. mons. Gian Vincenzo Moreni, Arcivescovo tit. di Torre di Mauritania, *Nunzio Apostolico nelle Isole Filippine.*

12 » » S. E. mons. Giovanni Battista Morandini, Arcivescovo tit. di Numida, *Nunzio Apostolico in Guatemala.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

23 luglio 1990. Gli Em.mi Signori Cardinali Rosalio José Castillo Lara ed Eduardo Martinez Somalo, *Membri della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica.*

21 agosto » Le LL. EE. RR. i Signori Cardinali Simon Ignatius Pimenta, Arcivescovo di Bombay; Christian Wiyghan Turni, Arcivescovo di Garoua; Antonio Innocenti, Prefetto della Congregazione per il Clero, *Presidenti Delegati per l'ottava Assemblea Generale ordinaria del Sinodo dei Vescovi.*

28 » » . S. E. mons. Francesco Monterisi, Arcivescovo titolare di Alba marittima, *Delegato per le Rappresentanze Pontificie presso la Segreteria di Stato.*

Prelati d'onore:

13	gennaio	1988.	Mons. John J. Sullivan (Salt Lake City).
»			Mons. James T. T. Kenny (Salt Lake City).
»	»		Mons. John J. Hedderman (Salt Lake City).
3	marzo		Mons. Nicholas Alishofsky (Passaic).
»	»		Mons. Stephen Zajac (Passaic).
8	luglio		Mons. Lawrence Michael Herpin (Lafayette).
»	»		Mons. Charles Michael Jarrell (Lafayette).
18	»		Mons. Thomas Raymond Bane (New Orleans).
»	»		Mons. Terry Bernard Becnel (New Orleans).
»	»		Mons. Joseph Earle Bourgeois (New Orleans).
»			Mons. Ralph Adward Carroll (New Orleans).
»	»		Mons. Richard Louis Carroll (New Orleans).
»	»		Mons. Joseph Leonard Chotin (New Orleans).
	»		Mons. Douglas Aloysius Doussan (New Orleans).
»	»		Mons. Thomas Cleveland Dowling (New Orleans).
»	»		Mons. Arthur William Hauth (New Orleans).
»			Mons. Howard Henry Hotard (New Orleans).
»	»		Mons. Crosby William Kern (New Orleans).
»	»		Mons. Earl John LaRose (New Orleans).
»	»		Mons. Louis Philip LeBourgeois (New Orleans).
»	»		Mons. Joseph Octave Lorio (New Orleans).
»	»		Mons. Joseph Anthony Luminais (New Orleans).
»	»		Mons. Robert Daniel Massett (New Orleans).
»	»		Mons. Allen Joseph Roy (New Orleans).
»	»		Mons. Martin Louis Van der Werff (New Orleans).
27	settembre		Mons. Pablo González Esquinas (San Felipe).
3	novembre		Mons. James Francis Parizek (Davenport).
16	dicembre		Mons. John P. McDonough (Boston).
»	»		Mons. Edward Francis Brockhaus (San Diego).
»	»		Mons. Mark Anthony Campbell (San Diego).

16	dicembre	1988.	Mons. Joseph Anthony Carroll (San Diego).
»	»	»	Mons. Denis Rankin Clark (San Diego).
»	»	»	Mons. Daniel James Dillabough (San Diego).
»	»	»	Mons. Frederick Joseph Florek (San Diego).
»	»	»	Mons. Michael Gallagher (San Diego).
»	»	»	Mons. Roger Andrew Lechner (San Diego).
»	»	»	Mons. Alphonsus Moloney (San Diego).
»	»	»	Mons. Patrick Joseph Mullarkey (San Diego).
»	»	»	Mons. Douglas Paul Regin (San Diego).
»	»	»	Mons. Donai Christopher Sheahan (San Diego).
»	»	»	Mons. Thomas J. Vidra (San Diego).
23	»	»	Mons. Eugene A. Fanelli (Newark).
»	»	»	Mons. William P. Devine (Newark).
»	»	»	Mons. Thomas G. Madden (Newark).
21	gennaio	1989.	Mons. Edward P. McTaggart (San Francisco).
»	»	»	Mons. John J. O'Connor (San Francisco).
»	»	»	Mons. John P. Heaney (San Francisco).
»	»	»	Mons. Charles J. Durkin (San Francisco).
»	»	»	Mons. Joseph P. Sullivan (San Francisco).
»	»	»	Mons. Fred A. Bitanga (San Francisco).
»	»	»	Mons. John F. Rodríguez (San Francisco).
»	»	»	Mons. Ignatius Wang (San Francisco).
9	febbraio	»	Mons. Benedict S. Williams (Reno-Las Vegas).
»	»	»	Mons. Bruno Cherukodath (Verapoly).
15	»	»	Mons. Joseph Patrick Joynes (Camden).
»	»	»	Mons. Joseph Francis O'Connell (Camden).
21	»	»	Mons. Carlos M. Silvestri (Mar del Piata).
6	marzo	»	Mons. William M. Delaney (Providence).
10	»	»	Mons. Edward F. Egan (Providence).
»	»	»	Mons. Oscar R. Ferland (Providence).
»	»	»	Mons. Albert J. Cerrito (Providence).
»	»	»	Mons. John E. Tavares (Providence).
»	»	»	Mons. George L. Frappier (Providence).
»	»	»	Mons. Joseph Gaston Hebert (Little Rock).
13	»	»	Mons. Michael F. Kosak (Saint Thomas).
7	aprile	»	Mons. Antonino Marcantonio (Catania).
»	»	»	Mons. Giosuè Calaciura (Catania).
»	»	»	Mons. Francesco IJrzì (Catania).
9	»	»	Mons. Wilhelm Gessel (Münche und Freising).
17	»	»	Mons. Alois Reindl (Regensburg).
»	»	»	Mons. Josef Grabmeier (Regensburg).
»	»	»	Mons. Franz Spiessl (Regensburg).
21	»	»	Mons. Elias Onuora Makolu (Umuahia).
»	»	»	Mons. Cosmas O. Obiego (Umuahia).
26	»	»	Mons. Erich Friemel (München und Freising).
17	maggio	»	Mons. Jairo Uribe Jaramillo (Cartago).
»	»	»	Mons. José Soleibe Arbeláez (Cartago).
»	»	»	Mons. Dante Moretti (Cesena-Sarsina).
23	»	»	Mons. Alejandrino Pérez Amaya (Ocaña).
»	»	»	Mons. José Antonio Santiago y Cañizares (Ocaña).

23	maggio	1989.	Mons. Estanislao Salazar Mora (Ocaña).
»	»	»	Mons. Lenonel Antonio Pineda Guerrero (Ocaña).
11	giugno	»	Mons. Adolf Zimmermann (Wien).
12	»	»	Mons. Edwin V. Sullivan (Newark).
»		»	Mons. James C. Turro (Newark).
17	»	»	Mons. Carlos Germán Morales Fernández (Zipaquirá).
26	»	»	Mons. Pedro Oliveros Torres (Cali).*
»		»	Mons. Mario Navia Vega (Cali).
»	»	»	Mons. Gabriel Jean Marcadet (Auch).
4	luglio	»	Mons. Joann Baptist Torello (Opus Dei).
6	»	»	Mons. Heinz Voges (Hildesheim).
8	»	»	Mons. Winfried Henze (Hildesheim).
14	»	»	Mons. Germain Dandenault (Sherbrooke).
»		»	Mons. Miklós Burger (Kalocsa).
20	»	»	Mons. John Romuald de Rozario (Singapore).
22	»	»	Mons. Antonio Gómez Aguilar (Cordoba, Spagna).
2	settembre	»	Mons. Gerard J. Arella (Brooklyn).
	»	»	Mons. Charles P. Boccio (Brooklyn).
		»	Mons. Ignatius A. Catanello (Brooklyn).
		»	Mons. Arthur A. Demski (Brooklyn).
		»	Mons. Thomas F. Donovan (Brooklyn).
		»	Mons. Francis J. Evans (Brooklyn).
	»	»	Mons. Martin T. Geraghty (Brooklyn).
	»	»	Mons. Thomas W. Hendel (Brooklyn).
	»	»	Mons. James B. McMahon (Brooklyn).
		»	Mons. Michael J. Phillipps (Brooklyn).
	»	»	Mons. George J. Ryan (Brooklyn).
		»	Mons. Robert J. Thelen (Brooklyn).
5	»	»	Mons. Ariel Gutiérrez Marulanda (Manizales).
12	»	»	Mons. Hieronymus Dittrich (Paderborn).
21		»	Mons. John Barugahare (Mbarara).
25		»	Mons. Sean Leonard (Achonry).
2	ottobre	»	Mons. Ricardo Barreto Vargas (Espinal).
»		»	Mons. Ricardo Cabezas Gifuentes (Espinal).
»	»	»	Mons. Jorge Enrique Correal Ruiz (Espinal).
	»	»	Mons. José Jesús Grisales Velandia (Espinal).
»		»	Mons. Teófilo Hernández Pérez (Espinal).
	»	»	Mons. Evaristo Núñez Cardozo (Espinal).
		»	Mons. Miguel Angel Triana Lozano (Espinal).
6	»	»	Mons. Aimé Petit (Sherbrooke).
»	»	»	Mons. Euchariste Paulhus (Sherbrooke).
»		»	Mons. Laurent Lareau (Sherbrooke).
»	»	»	Mons. Raymond Jodoin (Sherbrooke).
9		»	Mons. Michael Olakunde Omisesan (Lagos).
»	»	»	Mons. Ernst Borchert (München und Freising).
10	»	»	Mons. Giampiero Grippa (Milano).
»	»	»	Mons. Lorenzo Santamaría Santamaría (Garagoa).
»	»	»	Mons. Antonio María Latorre Forero (Garagoa).
11	»	»	Mons. Robert Kumpel (Köln).
13		»	Mons. José Guadalupe Tapia Rodríguez (Morelia).

13	ottobre	1989.	Mons. Costantino Loche (Ales-Terralba).
»	»	»	Mons. Nicola Labella (Pompei).
»	»	»	MonS. Javier Murillo Díaz (Morelia).
16	»	»	Mons. Sean Swayne (Kildare and Leighlin).
18	»	»	Mons. Michael May eia (Mwanza).
»	»	»	Mons. Guy Poisson (Montréal).
»	»	»	Mons. Peter Bandiho (Mwanza).
21	»	»	Mons. Josef Pretscher (Würzburg).
»	»	»	Mons. Josef Zobel (Würzburg).
11	novembre	»	Mons. Víctor Roque Cura (Bahía Blanca).
»	»	»	Mons. Francisco del Brío (Bahía Blanca).
»	»	»	Mons. Victoriano Fuhr Stoessel (Bahía Blanca).
13	»	»	Mons. Mauro Z. Abris (Lucena).
»	»	»	Mons. Domingo B. Edora (Lucena).
14	»	»	Mons. Günter Berghaiis (Essen).
»	»	»	Mons. Zeno Bettoni (Crema).
17	»	»	Mons. Johannes Geulen (Essen).
»	»	»	Mons. Ernst Block! (München und Freising).
»	»	»	Mons. Heinz Maritz (München und Freising).
23	»	»	Mons. Aloysius Schwartz (Pusan).
»	»	»	Mons. Jan Jagodzinski (Lwów dei Latini).
25	»	»	Mons. Raymond F. Ran (Brooklyn).
»	»	»	Mons. Jürgen Adam (Rottenburg-Stuttgart).
18	»	»	Mons. William Alfredo Guerra Marrero (Valencia en Venezuela).
»	»	»	Mons. Francisco Sanz Pinillos (Valencia en Venezuela).
»	»	»	Mons. Jairo Villamizar Ruiz (Valencia en Venezuela).
23	»	»	Mons. Attilio Maria Percacciante (Roma).
»	»	»	Mons. Luigi Molinari (Roma).
26	»	»	Mons. Vicente Cárcel Orti (Valencia).
»	»	»	Mons. Maurice Bouvier (Valence).
29	»	»	Mons. Gottardo Patacchiola (Rieti).
»	»	»	Mons. Erwin Ludwig Diemer (Speyer).
»	»	»	Mons. Heinrich Kimmle (Speyer).
5	gennaio	1990.	Mons. Robert Michael Sable (Detroit).
9	»	»	Mons. Guglielmo Visconti (Asti).
10	»	»	Mons. Henry Branthomme (Le Mans).
11	»	»	Mons. Leopold Dymal (Olomouc).
15	»	»	Mons. Vojtech Tkadlcik (Olomouc).
»	»	»	Mons. Angelo Guerriero (Caserta).
18	»	»	Mons. Robert Glas (Valence).
19	»	»	Mons. Iván Marín López (Jericó).
25	»	»	Mons. Günter Emig (Mainz).
»	»	»	Mons. Ernst Kalb (Mainz).
»	»	»	Mons. Hermann Mayer (Mainz).
26	»	»	Mons. Armando San tuli (Isernia-Venafro).
»	»	»	Mons. Nicola Zaccaro (Cassano all'Jonio).
»	»	»	Mons. Arturo Tecson y Zafra (Cebú).
»	»	»	Mons. Cayetano Gelbolingo y Miranda (Cebú).
»	»	»	Mons. Pascual Ypil y Mane (Cebú).

26	gennaio	1990.	Mons. Adelito Abella y Asegurado (Cebú).
»	»	»	Mons. Romualdo Kintanar y Gáleos (Cebú).
	»	»	Mons. Oscar Villamor y Into (Cebu).
»	»	»	Mons. Emilio Bataclan y Layon (Cebu).
»	»	»	Mons. Gerardo Jumao-as y Baguio (Cebu).
		»	Mons, Eligio Pingki-an y Jumao-as (Cebu).
»		»	Mons. Rodolfo Zafra y Bacaltos (Cebu).
30	»	»	Mons. Luigi Stangarone (Bari-Bitonto).
31			Mons. Julito B. Cortes (Dumaguete).
1	febbraio	»	Mons. Max Huber (Passau).
»		»	Mons. Konrad Ernst (Passau).
6	»	»	Mons. Vincenzo De Vizia (Benevento).
7	»		Mons. Jaroslav V. Pole (Green Bay).
»	»	»	Mons. Secondo Dalla Canevá (Belluno-Feltre).
10	»	»	Mons. Paul Fitzgerald (Ossory).
13		»	Mons. Abundio García Román (Madrid).
»		»	Mons. Manuel Yunta Osuna (Madrid).
»			Mons. José Luis Martín y Descalzo (Madrid).
21		»	Mons. Segundo Benito y Galindo (Avila).
1	marzo	»	Mons. Boleslaw Biliúski (Opole).
»	»	»	Mons. Pawel Pyrchaia (Opole).
9	»		Mons. Jacques Doucède-Capdevielle (Montauban).
18	»		Mons. Jean Marie Ravel (Le Puyen-Velay).
26		»	Mons. Edward J. Baldwin (Detroit).
»			Mons. Ricardo E. Bass (Detroit).
	»	»	Mons. Kevin M. Britt (Detroit).
»	»	»	Mons. Alexander J. Brünett (Detroit).
	»	»	Mons. William H. Easton (Detroit).
»	»	»	Mons. Thomas J. Finnigan (Detroit).
»			Mons. Gerald A. Flanigan (Detroit).
	»	»	Mons. John T. Gordon (Detroit).
»	»	»	Mons. Bernard J. Harrington (Detroit).
			Mons. Eugene Dennis Harrity (Detroit).
	»	»	Mons. Walter A. Hurley (Detroit).
»		»	Mons. Herman W. Kucyk (Detroit).
»		»	Mons. Francis Gerald Martin (Detroit).
»			Mons. Stanley E. Milewski (Detroit).
»		»	Mons. James A. Moloney (Detroit).
		»	Mons. Robert V. Monacello (Detroit).
»		»	Mons. John C. Nienstedt (Detroit).
»		»	Mons. Thaddeus J. Ozog (Detroit).
		»	Mons. John M. Quinn (Detroit).
»		»	Mons. James P. Robinson (Detroit).
»	»		Mons. John F. Schweder (Detroit).
»	»	»	Mons. Anthony M. Tocco (Detroit).
»	»	»	Mons. Thomas H. Villerot (Detroit).
		»	Mons. John P. Zenz (Detroit).
30	»	»	Mons. Francesco Marinò (Taranto).
»	»	»	Mons. Paolo Rabitti (Bologna).
	»		Mons. Pietro Galeone (Taranto).

31	marzo	1990.	Mons. Riccardo Alfieri (Crotone-Santa Severina).
3	aprile	»	Mons. László Hegyi (Pees).
10	»	»	Mons. Felice Cocco (Vicenza).
17	»	»	Mons. Leo Robert (Victoria).
30	»	»	Mons. Amleto Alfonsi (Porto-Santa Rufina).
»	»	»	Mons. Joseph Kadampatt (Irinjalakuda).
»	»	»	Mons. Joseph Kavalakat (Irinjalakuda).
4	maggio	»	Mons. Francesco Conti (Foligno).
23	»	»	Mons. Valerio Cascia (Frascati).
29	»	»	Mons. Vincenzo D'Agostino (Caserta).

Cappellani di Sua Santità:

17	marzo	1986.	Il sac. John E. Doran (New York).
»	»	»	Il sac. Peter G. Finn (New York).
»	»	»	Il sac. James F. McCarthy (New York).
»	»	»	Il sac. John P. Mclvor (New York).
»	»	»	Il sac. William B. Smith (New York).
»	»	»	Il sac. George P. Thompson (New York).
»	»	»	Il sac. William J. Toohy (New York).
»	»	»	Il sac. John G. Woolsey (New York).
»	»	»	Il sac. Michael J. Wrenn (New York).
19	gennaio	1988.	Il sac. Ronald N. Beshara (Saint Maron of Brooklyn).
»	»	»	Il sac. John D. Faris (Saint Maron of Brooklyn).
»	»	»	Il sac. Kenneth A. Michael (Saint Maron of Brooklyn).
3	marzo	»	Il sac. Alan J. Borsuk (Passaic),
»	»	»	Il sac. John Opalenick (Passaic).
»	»	»	Il sac. Nicholas I. Puhak (Passaic).
»	»	»	Il sac. John T. Sekellick (Passaic).
15	»„	»	Il sac. Ralph John Belluomini (Fresno).
»	»	»	Il sac. John Anthony Harguindeguy (Fresno).
».	»	»	Il sac. Anthony Joseph Janelli (Fresno).
»	»	»	Il sac. Ildefonso Alfonso Simón (Fresno).
»	»	»	Il sac. Ronald James Swett (Fresno).
21	»	»	Il sac. Arturo Bañuelas (El Paso).
»	»	»	Il sac. David G. Fierro (El Paso).
»	»	»	Il sac. Carlos G. Frias (EI Paso).
»	»	»	Il sac. Rafael Miranda (EI Paso).
26	»	»	Il sac. Vito Spinelli (Altamura-Gravina-Acquavi va delle Fonti).
»	»	»	Il sac. Domenico Farella (Altamura-Gravina-Acquaviva delle Fonti).
»	»	»	Il sac. Giovanni Tritto (Altamura-Gravina-Acquaviva delle Fonti).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Cipriani (Altamura-Gravina-Acquaviva delle Fonti).
»	»	»	Il sac. Diego Carlucci (Altamura-Gravina-Acquaviva delle Fonti).
»	»	»	Il sac. Giacomo Lorusso (Altamura-Gravina-Acquaviva delle Fonti).

18	**aprile**	**1988.**	**Il sac.**	**Dominic J. Bottino (Camden).**
»	»	»	**Il sac.**	**Ernest Peter Schneider (Grand Rapids).**
4	**maggio**	»	**Il sac.**	**Ralph Patrick Buongervino (Bridgeport).**
»	»	»	**Il sac.**	**Edmund James Hussey (Bridgeport).**
»	»	»	**Il sac.**	**William Joseph Loughlin (Bridgeport).**
»	»	»	**Il sac.**	**John Conrad Sanders (Bridgeport).**
16	**giugno**	»	**Il sac.**	**Philip Anthony Behan (San Bernardino).**
»	»	»	**Il sac.**	**Peter Luque (San Bernardino).**
»	»	»	**Il sac.**	**Francis A. Nightengale (San Bernardino).**
»	»	»	**Il sac.**	**Patrick J. O'Keeffe (San Bernardino).**
17	»	»	**Il sac.**	**Aidan M. Carroll (Los Angeles).**
»	»	»	**Il sac.**	**Robert David Cousineau (Los Angeles).**
27	**settembre**	»	**Il sac.**	**Vicente Pineros Vergara (San Felipe).**
»	»	»	**Il sac.**	**Luis Jurado Perea (San Felipe).**
»	»	»	**Il sac.**	**Santana Jacinto Dos Remedios Faleiro (S. Felipe).**
15	**ottobre**	»	**Il sac.**	**Henry J. Gugino (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**David M. Lee (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**David S. Slubecky (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**Paul J. E. Burkard (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**Thomas F. Maloney (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**Edward M. Grosz (Buffalo),**
»	»	»	**Il sac.**	**David M. Gallivan (Buffalo).**
»	»	»	**Il sac.**	**Edward T. Fisher (Buffalo).**
20	**dicembre**	»	**Il sac.**	**Albino Caratozzolo (Oppido Mamertina-Palmi).**
»	»	»	**Il sac.**	**Pius Oneyemeh Nwaobi (Issele-Uku).**
23	**gennaio**	**1989.**	**H sac.**	**Joseph Daniel (Rangoon).**
»	»	»	**Il sac.**	**Joseph Fernandez (Rangoon).**
27	»	»	**Il sac.**	**Luigi Sacchi (Milano).**
15	**febbraio**	»	**Il sac.**	**Joseph Vincent DiMauro (Camden).**
6	**marzo**	»	**Il sac.**	**Johannes Liku Ada (Ujung-Pandang).**
21	»	»	**Il sac.**	**Matthew O. Onyemma (Ahiara).**
14	**aprile**	»	**Il sac.**	**Ernst Woelki (Köln).**
17	»	»	**H sac.**	**Josef Eberth (Regensburg).**
»	»	»	**Il sac.**	**Helmut Huber (Regensburg).**
12	**giugno**	»	**Il sac.**	**Dennis J. Mahon (Newark).**
»	»	»	**Il sac.**	**Robert T. Sheeran (Newark).**
22	»	»	**Il sac.**	**Raimund Weissensteiner (Wien).**
4	**luglio**	»	**Il sac.**	**Rafael Santiago y Rivera (Ponce).**
6	»	»	**Il sac.**	**Albert Hiombo-ìfguwa (Tshumbe).**
27	»	»	**H sac.**	**Joseph Kalathiparambil (Verapoly).**
31	**agosto**	»	**Il sac.**	**Eugeniusz Szczotok (Katowice).**
»	»	»	**Il sac.**	**Rudolf Brom (Katowice).**
2	**settembre**	»	**II sac.**	**August C. Bednartz (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**Brian F. Callahan (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**Anthony S. Danna (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**Rollin J. Darbouze (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**Richard F. Dunn (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**Richard J. Dünne (Brooklyn).**
»	»	»	**Il sac.**	**John R. Dwyer (Brooklyn).**
»	»	»	**II sac.**	**Ernest H. Fiorillo (Brooklyn).**

2 settembre 1989. Il sac. Peter V. Kain (Brooklyn).
» » » Il sac. Cornelius T. Kneafsey (Brooklyn).
» » » Il sac. John E. Waldron (Brooklyn).
T » » Il sac. Karl Buchta (Wien).
» » » Il sac. Karl-Bruno Fritzen (Köln).
» » » Il sac. Charles Tchou (Manila).
9 » » H sac. Alois Haas (Augsburg).
12 » » H sac. Alipio Polla (Avezzano).
15 » » Il sac. Avelino Peña Pérez (Margarita).
» » » Il sac. José Antonio Constenla Garrido (Margarita).
» » » Il sac. Carlos Enrique Alzate López (Margarita).
5 ottobre » II. sac. Vincenzo urbani (Civitavecchia-Tarquinia).
6 » » Il sac. Antonio Domingo Aloisio (Buenos Aires).
» » » Il sac. José Bonet Alcón (Buenos Aires).
» » » Il sac. Salvador Arcángel Culotta (Buenos Aires).
» » » Il sac. Oscar Alfredo de Bony (Buenos Aires).
» » » Il sac. Bubén Oscar Frassia (Buenos Aires).
» » » Il sac. Roberto José Leila (Buenos Aires).
» » » Il sac. José Luis Mollaghan (Buenos Aires).
» » » Il sac. Raúl Oscar Rossi (Buenos Aires).
» » » Il sac. Cayetano Saladino (Buenos Aires).
9 » » Il sac. Christopher Edema Boyo (Lagos)
» » » Il sac. Bernard Ayo Okodua (Lagos).
» » » Il sac. Romuald Waszkinel (Warmia).
10 » » Il sac. Zygmunt Zaleski (Warmia).
» » » Il sac. Otto Grosse (Essen).
» » » Il sac. Giovan Battista Ferraroli (Milano).
» » » Il sac. Peter Stocker (Graz-Seckau).
» » » Il sac. Lawrence Adesina (Ovo).
» » » Il sac. John Adeniyi (Oyo).
» » » Il sac. Leslie Vincent Schuhkraft (Toowoomba).
11 » » Il sac. Lucas María Arcilla Chirinos (Coro).
12 » » H sac. Maksymilian Lasok (Katowice).
» » » Il sac. Miguel Angel García Avitia (Durango).
» » » Il sac. Jesús Manuel Perez Rivas (Durango).
» » » Il sac. Juan Antonio Díaz Acosta (Durango).
13 » » Il sac. Leonello Guidotti Spignoli (Barquisimeto).
18 » » Il sac. Theodor Ahrens (Paderborn).
» » » Il sac. Friedbert Wolfering (Paderborn).
» » » Il sac. Siegmund Samp (Paderborn).
21 » » Il sac. Gerhard Gedig (Würzburg).
» » » Il sac. Wilhelm Götzendörfer (Würzburg).
» » » Il sac. Hermann Heilig (Würzburg).
» » » Il sac. Hervin Happ (Würzburg).
» » » Il sac. Lorenz Josef Heilmann (Würzburg).
» » » Il sac. Karl Weber (Würzburg).
» » » Il sac. Paul Leuchs (Würzburg).
» » » Il sac. Franz Ott (Würzburg).
» » » Il sac. Josef Peter (Würzburg).
» » » Il sac. Eberhard Pfirmann (Würzburg).

21	ottobre	1989.	Il sac. Albert Schlereth (Würzburg).
23	»	»	Il sac. Juozas Uzupis (Vilkaviskis).
25	»	»	Il sac. Hans Peter Rieder (Rottenburg-Stuttgart).
13	novembre	»	Il sac. John B. Li. (Lucena).
IT	»	»	Il sac. Joaquim Augusto Maciel Ribeiro Torres (Braga).
30	»	»	Il sac. Angelo Bertuletti (Bergamo).
»	»	»	Il sac. Ferdinando Cortinovis (Bergamo).
18	dicembre	»	Il sac. Livio Melina (Adria-Rovigo).
»	»	»	Il sac. Michael F. Swalina (Springfield-Cape Girardeau).
23	»	»	Il sac. Pier Giuseppe Coita (Cremona).
29	»	»	Il sac. Herbert Mensinger (Speyer).
»	»	»	Il sac. Richard Vinzent (Speyer).
»	»	»	Il sac. Alois Zorn (Speyer).
»	»	»	Il sac. Settimio Liberali (Rieti).
5	gennaio	1990.	Il sac. Kazimierz Kirstein (Chelmno).
»	»	»	Il sac. Tadeusz Misiorny (Chelmno).
»	➤	»	Il sac. Augustyn Eckmann (Chelmno).
8	»	»	Il sac. Leo Boccardi (Termoli-Larino).
10	»	»	Il sac. James Joseph Minette (Maracay).
12	»	»	Il sac. Giorgio Corbellini (Piacenza-Bobbio).
18	»	»	Il sac. Czeslaw Glowicki (Plock).
24	»	»	Il sac. Józef Wolinski (Warszawa).
»	»	»	Il sac. Tadeusz Wojdat (Warszawa).
»	»	»	Il sac. Jan Tadeusz Szponar (Warszawa).
»	»	»	Il sac. Mieczyslaw Nowak (Warszawa).
»	»	»	Il sac. Irenesz Skubiá (Czçstochowa).
»	»	»	Il sac. Stanislaw Pamuîa (Cestochowa).
»	»	»	Il sac. Zenon Monka (Cestochowa).
»	»	»	Il sac. Mieczyslaw Oset (Cestochowa).
»	»	»	Il sac. Miroslaw Suchosz (Cçstochowa).
26	»	»	Il sac. Felice Giacobini (Cassano all'Jonio).
»	»	»	Il sac. Domenico Cirianni (Cassano alPJonio).
»	»	»	Il sac. Anselmo Rossetti (Jesi).
»	»	»	Il sac. Luigi Masè (Jesi).
»	»	»	Il sac. Luigi Fabbro (Udine).
»	»	»	Il sac. Giovanni Copolutti (Udine).
»	»	»	Il sac. Dino Mantoani (Udine).
»	»	»	Il sac. Italo Dreosto (Udine).
»	»	»	Il sac. Luciano Quarino (Udine).
30	»	»	Il sac. Antoni Szczepañski (Wroclaw).
»	»	»	Il sac. Csaba Ternyák (Györ).
31	»	»	Il sac. Geminiano S. Semprun (Dumaguete).
3	febbraio	»	Il sac. Henryk Jankowski (Gdansk).
»	»	»	Il sac. Antoni Misiaszek (Gdansk).
»	»	»	Il sac. Brunon Kedziorski (Gdañsk).
»	»	»	Il sac. Roman Kloniecki (Gdansk).
»	»	»	Il sac. Mikolaj Samp (Gdansk).
»	»	»	Il sac. Juan Angel Fiorotto (Gualeguaychu).
7	»	»	Il sac. Fernando Calenne (Velletri-Segni).
16	»	»	Il sac. Vincenzo Ambrogio (Monreale).

16 febbraio 1990. Il sac. Saverio Farina (Monreale).
» » » Il sac. Pietro Marchisotta (Monreale).
» » » Il sac. Antonino Ofria (Monreale).
21 » » Il sac. Fernando Ocáriz (Opus Dei).
» » » Il sac. Angelo Scola (Teramo-Atri).
23 » » Il sac. Danilo Maltinti (San Miniato).
» » » Il sac. Renato Marconcini (San Miniato).
» » Il sac. Elio Meliani (San Miniato).
» » » Il sac. Aurelio Veracini (San Miniato).
» » » Il sac. Piotr Bartoszewicz (Minsk).
» » » Il sac. Michal Woroniecki (Pinsk).
» » » Il sac. Lucjan Ohmielowiec (Pinsk).
» * » Il sac. Grzegorz Kolosowski (Pinsk).
24 » » Il sac. Kazimierz Kordeczka (Warmia).
» » » Il sac. Klaus Steinforth (Essen).
» » Il sac. Claudio Mondino (Cuneo).
» » » Il sac. Mieczyslaw Luszczyúski (Siedice).
27 » » Il sac. Giovanni Maceroni (Rieti).
1 marzo » Il sac. Józef Janicki (Opole).
» » » Il sac. Gerard Kaluza (Opole).
» » Il sac. Helmut Andrzej Porada (Opole).
» » » Il sac. Piotr Koloczek (Opole).
» » » Il sac. Hubert Kowol (Opole).
6 » » Il sac. Józef Horodeúski (Pinsk).
10 » » Il sac. Hermann Josef von Fürstenberg (Paderborn).
23 » Il sac. Antonio Marchesini (Como).
» » » Il sac. Siro Tabacchi (Como).
24 » Il sac. Nello Barbadori (Senigallia).
26 » » Il sac. Michel LeFevre (Detroit).
» » » Il sac. Leonard P. Blair (Detroit).
30 » » Il sac. Michele Lucarella (Taranto).
» » » Il sac. Donato Palazzo (Taranto).
» » » Il sac. Franco Semeraro (Taranto).
» » » Il sac. Michele Castellana (Taranto).
» » » Il sac. Marco Morrone (Taranto).
3 aprile » Il sac. Giovanni Sartirana (Tortona).
» » » Il sac. Marino Carmelo Bava (Tortona).
» » » Il sac. Beniamino Cartone (Tortona).
8 » » Il sac. Robert Dzikowski (Warmia).
» » » Il sac. Ryszard Szczerba (Warmia).
» » » Il sac. Mieczyslaw Jan Szabla (Warmia).
10 » » H sac. Igino Zambello (Vicenza).
» » » H sac. Gino Bassan (Vicenza).
» » » Il sac. Giulio Cattin (Vicenza).
» » » Il sac. Giuseppe Molon (Vicenza).
» » » Il sac. Agostino Perin (Vicenza).
» » » H sac. Giulio Perini (Vicenza).
» » » H sac. Attilio Pozzan (Vicenza).
» » » H sac. Giuseppe Pozzobon (Vicenza).
» » » H sac. Ermenegildo Reato (Vicenza).

10	aprile	1990.	Il	sac. Marcello Rossi (Vicenza).
»	»	»	II	sac. Giuseppe Ruaro (Vicenza).
»	»	»	II	sac. Alfonso Zecchin (Vicenza).
26	»		II	sac. Peter Xuereb (Malta).
28	»	»	II	sac. Mario Fascioli (Tortona).
30	»		II	sac. Salomon Romero Melgarejo (Cochabamba).
»	»	»	II	sac. Vincenzo Gambardella (Napoli).
4	maggio	»	II	sac. Americo Mancinelli (Foligno).
5		»	II	sac. Lionel Daigle (Edmundston).
6	»	»	II	sac. Józef Pater (Wroclaw).
»	»	»	II	sac. Eugeniusz Mitek (Wroclaw).
»	»	»	II	sac. Franciszek Filipek (Wroclaw).
11	»	»	II	sac. Carlo Costantini (Udine).
31	»		II	sac. Rodrigo Martellini (Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino).
»		»	II	sac. Mieczyslaw Marczuk (Siedlce).
			II	sac. Marcus Maszkiewicz (Siedlce).
2	giugno	»	II	sac. Rino Guerreschi (Fidenza).
	»	»	II	sac. Francesco Stringhini (Fidenza).
»	»		II	sac. Giulio Onesti (Fidenza).
5	»	»	II	sac. Michele Grotto!! (Taranto).
6	»	»	II	sac. Domenico Vozza (Caserta).
»	»	»	II	sac. Angelo Della Medaglia (Caserta).
»	»	»	II	sac. Valentino Di Ventura (Caserta).
8		»	II	sac. Nicola D'Archi (Avellino).
7	luglio	»	II	sac. Giovanni Domaine (Aosta).
»	»	»	II	sac. Alberto Careggio (Aosta).

Si rende noto che sono stati nominati Membri supplenti del Collegio di Conciliazione e Arbitrato dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica Mons. Giorgio Corbellini, il Prof. Pasquale Sandulli, il Prof. Mattia Persiani.

NECROLOGIO

19	agosto	1990.	Mons. Michel Callens, Arcivescovo, Prelato di Tunis *(Tunisia).*
22	»	»	Mons. Julius Angerhausen, Vescovo tit. di Eminenziana.
22	»	»	Card. Luigi Dadaglio, Diacono di San Pio V a Villa Carpegna, Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana.
28	»	»	Mons. Pierre de la Chanonie, Vescovo emerito di Clermont *(Francia).*
30	»	»	Mons. Lawrence J. Kenney, Vescovo tit. di Hólar.
2	settembre	»	Mons. Robert Francis Joyce, Vescovo emerito di Burlington *(Stati Uniti d'America).*
10	»	»	Mons. Asrate Mariam Yemmeru, Arcivescovo emerito di Addis Abeba *(Etiopia).*
16	»	»	Mons. James F. Carney, Arcivescovo di Vancouver *(Canada).*

An. et vol. LXXXII 18 Octobris 1990 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città dei Vaticano — *Administratio:* Librerìa Editrice Vaticana

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS,
AC DILECTIS FILIIS
PRESBYTERIS,
DIACONIS CETERISQUE CHRISTIFIDELIBUS
ORIENTALIUM ECCLESIARUM

SACRI CANONES, quorum « integram praeceptionem ac immobilem » Patres in Concilio Oecumenico septimo, apud Nicaenam Sedem anno Domini **DCCLXXXVII** congregati, praesidibus legatis a Decessore Nostro Hadriano I missis, in prima eiusdem Concilii canonica regula prorsus confirmaverunt, « exultantes in eis sicut qui invenit spolia multa », breviter ab eodem Concilio declarati sunt ii esse, qui ab almis, ut traditio fert, Apostolis et a « sex sanctis et universalibus Synodis atque his Conciliis, quae localiter collecta sunt », necnon « a sanctis Patribus nostris » prolati sunt.

Enimvero idem Concilium, cum affirmaret sacrorum canonum auctores « ab uno eodemque Spiritu » illustratos statuisse

« quae expediunt », canones illos unum Corpus legum ecclesiasticarum duxit idque veluti « Codicem » pro omnibus Ecclesiis orientalibus confirmavit, ut iam pridem Quinisexta Synodus, in Trullano conclavi Constantinopolitanae urbis anno Domini DCXCI coadunata, fecerat, provinciam earundem legum in secundo suo canone distinctius circumscribendo.

In tam mirabili varietate rituum seu patrimonii liturgici ac theologici, spiritualis ac disciplinaris singularum Ecclesiarum, quae ex venerandis traditionibus Alexandrina, Antiochena, Armena, Chaldaea et Constantinopolitana originem ducunt, sacri canones non immerito ea conspicua sane pars eiusdem patrimonii esse censentur, quae universarum harum Ecclesiarum ordinationis unum atque commune canonum fundamentum constituit. Etenim vix aut ne vix quidem datur normarum disciplinarium orientalis collectio, in qua sacri canones, iam ante Concilium Chalcedonense numero plures quam quingenti, utpote primariae Ecclesiae leges a superiore eisdem Ecclesiis auctoritate statutae vel agnitae, non urgeantur et tamquam praecipui fontes iuris non invocentur. Singulis Ecclesiis semper perspicuum fuit quamcumque ordinationem ecclesiasticae disciplinae firmitatem habere iis in normis, quae ex traditionibus a suprema auctoritate Ecclesiae agnitis profluunt vel in canonibus ab eadem auctoritate promulgatis continentur, atque iuris particularis regulas valere, cum iure superiore si congruant, si vero ab eo discrepent, nullas esse.

« Fidelitas erga sacrum hoc ecclesiasticae disciplinae patrimonium effecit, ut, inter tot tantasque vexationes atque res adversas quas orientales Ecclesiae sive antiquis sive recentioribus temporibus perpessae sunt, nihilominus proprius Orientis vultus integer servaretur; quod profecto non sine magno animarum emolumento fieri contigit » ***(AAS*** 66 [1974] 245). Haec praeclara Pauli VI beatae memoriae verba in Sixtino sacello coram primo

Plenario Coetu Membrorum Commissionis Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo prolata recinunt ea, quae Concilium Vaticanum II de « maxima fidelitate » in eodem patrimonio disciplinari ab omnibus Ecclesiis observando edixit, requirens etiam ut « ad avitas traditiones redire satagant », si in quibusdam « ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint » (Decr. *Orientalium Ecclesiarum,* n. 6).

Significanter a Concilio Vaticano II clara in luce ponitur etiam « religiosam erga antiquas traditiones fidelitatem » simul cum « precibus, vitae exemplis, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione », maxime conferre, ut Ecclesiae orientales plenam communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, « peculiare munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi » (Decr. *Orientalium Ecclesiarum,* n. 24), secundum principia Decreti « De oecumenismo » adimpleant.

Neque hoc loco praetereundum est Ecclesias orientales, quae nondum in plena cum Ecclesia catholica communione sunt, eodem et fundamentaliter uno disciplinae canonicae patrimonio regi, « sacris canonibus » id est primorum Ecclesiae saeculorum.

Quod vero attinet ad universam rem oecumenici motus, a Spiritu Sancto perfectae unitatis totius Christi Ecclesiae perficiendae gratia suscitati, novus Codex non modo ei minime obstat, sed potius admodum prodest. Etenim Codex hic tuetur ipsum fundamentale personae humanae ius, fidem scilicet in suo cuiusque ritu, plerumque ab ipso matris sinu hausto, profitendi, quod est regula omnis « oecumenismi », nec quidquam praetermittit quin Ecclesiae orientales catholicae in tranquillitate ordinis optata Concilii Vaticani II implentes, « floreant atque novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant » (Decr. *Orientalium Ecclesiarum,* n. 1). Ex quo fit, ut

canones Codicis Ecclesiarum orientalium catholicarum eandem firmitatem ac leges Codicis Iuris Canonici latinae Ecclesiae habere oporteat, vigere scilicet donec abrogentur vel a suprema Ecclesiae auctoritate immutentur iustis de causis, quarum plenae communionis omnium Orientis Ecclesiarum cum catholica Ecclesia ratio sane gravissima est optatis praeterea ipsius Salvatoris Nostri Iesu Christi maxime congruens.

Verumtamen sacrorum canonum omnibus Ecclesiis orientalibus communis hereditas mirabiliter cum indole uniuscuiusque coetus christifidelium, ex quibus singulae Ecclesiae constant, decursu saeculorum coaluit atque earundem, non semel unius eiusdemque nationis, totam culturam nomine Christi eiusque evangelico nuntio ita imbuit, ut ad ipsum cor populorum pertineat inviolabile et omni ratione dignissimum.

Cum Leo XIII, Decessor Noster, « rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probatam varietatem », saeculo xix exeunte, « praeclaro » esse « ornamento Ecclesiae omni et fidei catholicae divinam unitatem » affirmare declararet, eandem varietatem etiam illud esse existimavit, quo nihil « aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam » (Leo XIII, Litt. ap. *Orientalium dignitas,* 30 Nov. 1894, prooem.). Id idemque Patrum Concilii Vaticani II unanima vox testatur, ex qua Ecclesiarum « in unum conspirans varietas indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat » (Const. *Lumen Gentium,* 23), et « nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declaret » (Decr. *Orientalium Ecclesiarum,* n. 2).

Quibus omnibus prae oculis habitis, hunc Codicem, quem nunc promulgamus, potissimum ex iure antiquo Ecclesiarum orientalium existimandum esse censemus, simulque plane conscii sumus tum unitatis tum in eandem conspirantis varietatis, quibus coalescentibus, et Ecclesiae universae « vitae numquam

senescentis proditur vis et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit davidico : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate ... » (Ps* 44; Leo XIII, Litt. ap. *Orientalium dignitas,* 30 Nov. 1894, prooem.).

Ipsa inde ab exordiis codificationis canonicae orientalium Ecclesiarum constans Romanorum Pontificum voluntas duos Codices, alterum pro latina Ecclesia alterum pro Ecclesiis orientalibus catholicis, promulgandi, admodum manifesto ostendit velle eosdem servare id quod in Ecclesia, Deo providente, evenit, ut ipsa unico Spiritu congregata quasi duobus pulmonibus Orientis et Occidentis respiret atque uno corde quasi duos ventrículos habente in caritate Christi ardeat.

Item perspicua est constans ac firma mens supremi in Ecclesia Legislatoris de fideli custodia atque accurata observantia omnium rituum orientalium ex iam memoratis quinque traditionibus promanantium iterum atque iterum in Codice normis propriis expressa.

Idem etiam constat ex variis hierarchicae constitutionis Ecclesiarum orientalium formis, inter quas Ecclesiae patriarchales, in quibus Patriarchae et Synodi iure canonico supremae Ecclesiae auctoritatis participes sunt, insigniter eminent. His formis suo titulo circumscriptis Codicem aperienti confestim patent et proprius uniuscuiusque Ecclesiae orientalis vultus lege canonica sancitus et sui iuris status ac plena communio cum Romano Pontifice Sancti Petri Successore, qui, utpote universo caritatis coetui praesidens, legitimas varietates tuetur et simul invigilat ut particularia, nedum unitati noceant, ei potius inserviant (cf. Const. *Lumen gentium,* n. 13).

Praeterea hac in provincia bene animadvertatur hunc quidem Codicem iuri particulari singularum Ecclesiarum sui iuris

ea omnia committere, quae ad commune omnium Ecclesiarum orientalium bonum non necessaria considerantur. Quibus de rebus mens Nostra est, ut qui legislativa potestate in singulis Ecclesiis sui iuris gaudent, peculiaribus normis, proprii ritus traditionibus prae oculis habitis necnon Concilii Vaticani II praeceptis, quam celerrime consulant.

Fidelis rituum custodia supremo universarum Ecclesiae legum fini, qui totus in animarum salutis oeconomia positus est, congruere plane debet. Ideo caduca ac superflua omnia in antea latarum legum regione vel temporum necessitatibus minus congrua in Codicem recepta non sunt. In novis vero legibus statuendis ea imprimis in mente fuerunt, quae reapse melius animarum salutis oeconomiae postulatis in ubertate vitae orientalium Ecclesiarum responderent ac simul cohaerentiam et concordiam cum sana traditione prae se ferrent, ad Pauli VI Decessoris Nostri auspicia initio laborum Codicis recognoscendi prolata: « novae normae appareant non quasi corpus extraneum violenter defixum in ecclesiastica compagine, sed e normis iam exstantibus quasi sua sponte efflorescant » *(AAS* 66 [1974] 246).

Fulgide haec ex Concilio Vaticano II clarescunt quoniam idem Concilium ex « Traditionis thesauro vetera et nova protulit » (Const. ap. *Sacrae disciplinae leges, AAS* 75 [1983] Pars II, XII), illam ab Apostolis per Patres traditionem, Evangelii nuntio undequaque integram, in novitatem vitae traducendo.

Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium, qui nunc in lucem proditur, veluti novum complementum magisterii a Concilio Vaticano II propositi habendus est, quo universae Ecclesiae ordinatio canonica tandem expletur, praeeuntibus Codice Iuris Canonici latinae Ecclesiae, anno **MCMLXXXIII** promulgato, atque « Constitutione apostolica de Romana Curia » anni MCMLXXXVIII, quae utrique Codici adiungitur utpote « commu-

nionis, universam Ecclesiam veluti conglutinantis » (Const. ap. *Pastor bonus,* n. 2) princeps Romani Pontificis instrumentum.

Quod si nunc ad primos gressus codificationis canonicae orientalium Ecclesiarum mentem convertimus, Codex ut petitus portus plus quam per sexaginta annos protractae navigationis apparet. Etenim corpus legum est, quo cuncti orientalibus Ecclesiis catholicis communes ecclesiasticae disciplinae canones primum simul colliguntur et a supremo in Ecclesia Legislatore promulgantur, post tot ac tantos labores trium ab eodem Legislatore institutarum Commissionum, quarum prima « Commissio Cardinalitia pro studiis praeparatoriis codificationis orientalis » fuit, anno **MCMXXIX** a Pio XI Decessore Nostro erecta *(AAS* 21 [1929] 669), Praeside Cardinali Petro Gasparri. Huius Commissionis Membra Cardinales Aloisius Sincero, Bonaventura Cerretti atque Franciscus Ehrle fuerunt, a secretis vero adstitit DD. Hamletus Ioannes Cicognani « S. Congregationis pro Ecclesia Orientali », ut vocabatur, Adsessor, postmodum Cardinalis.

Praeparatoriis studiis, magnae profecto molis, opera duorum Coetuum peritorum, potiore ex parte a Praesulibus orientalium Ecclesiarum delectorum (cf. *L'Osservatore Romano,* 2 Apr. 1930, p. 1), sexennio ad finem perductis necnon Cardinali Petro Gasparri morte intercepto, visum est in constitutionem « Pontificiae Commissionis ad Redigendum "Codicem Iuris Canonici Orientalis" » progredi. Huius Commissionis die 17 Iulii 1935 erectae fuit, ut ex ipsa eius inscriptione elucet, textum canonum determinare et compositionem « Codicis Iuris Canonici Orientalis » moderari. Hac de re animadvertendum est ipsum Summum Pontificem statuisse, ut in *Notificatione* de institutione Commissionis quae in *Actorum Apostolicae Sedis* commentario officiali apparuit *(AAS* 27 [1935] 306-308), titulus

futuri Codicis virgulis intercluderetur ad significandum, illum, etsi optimum, seligi « donec melior inveniretur ».

Praesides « Commissionis "Codici Iuris Canonici Orientalis" Redigendo » fuerunt Cardinalis Aloisius Sincero usque ad obitum, Cardinalis Maximus Massimi atque, eo vita functo, Cardinalis Gregorius Petrus XV Agagianian Armenorum Ecclesiae Patriarcha.

Inter Cardinales simul cum Praeside primigenium Commissionis Collegium Membrorum efficientes, nempe Eugenium Pacelli, Iulium Serafini et Petrum Fumasoni-Biondi, antecellit nomen Cardinalis Eugenii Pacelli, qui deinde summa Dei providentia ut Vicarius Christi atque universae Ecclesiae Pastor, de orientalium Ecclesiarum bono maxime sollicitus, codificationis canonicae orientalis opus fere ex toto perfecit. Etenim ipse ex viginti quattuor titulis, quibus eiusdem voluntate Codex Iuris Canonici Orientalis in praedicta Commissione pertextus constabat, non minus quam decem, urgentioris sane momenti, quattuor Litteris apostolicis motu proprio datis *(Crebrae allatae sunt, Sollicitudinem Nostram, Postquam Apostolicis Litteris* et *Cleri sanctitati)* promulgavit. Ceteri quidem in textu a Cardinalibus Commissionis Membris semel approbato et magna ex parte pontificio mandato iam « ad promulgationem » typis impressi, adveniente suprema eiusdem Pontificis die necnon a Ioanne XXIII, in Cathedra Sancti Petri Successore, Concilio Vaticano II indicto, in archivo Commissionis remanserunt.

Decursu autem annorum usque ad Commissionis, medio vertente anno **MCMLXXII**, cessationem in Collegio Membrorum aucto quidem de mandato pontificio plures Cardinales operam navaverunt, alii aliis morte sublatis succedentes. Concilio Vaticano II denique absoluto in Collegium etiam omnes orientalium Ecclesiarum catholicarum Patriarchae anno **MCMLXV** cooptati sunt. Exordiente vero postremo Commissionis Codici

Iuris Canonici Orientalis Redigendo anno Collegium Membrorum constabat ex sex orientalium Ecclesiarum Praesidibus et Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus.

Ab ipso autem ortu Commissionis Codici Iuris Canonici Orientalis Redigendo ac diutissime inde a secretis in ea P. Acacius Coussa B. A., postmodum Cardinalis, summo studio ac sapientia elaboravit. Hoc loco eum cum laude recolimus simul cum egregiis Commissionis consultoribus.

Constitutio et forma Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo medio anno **MCMLXXII** vertente constitutae in tuto posuit eius orientalem indolem, cum ex Ecclesiarum multiplicitate, Patriarchis orientalibus primo loco excellentibus, constaret. Opera vero Commissionis notam eximie collegialem prae se ferebat. Canonum enim formulae in coetibus peritorum virorum ex omnibus Ecclesiis delectorum paulatim elaboratae ad universos Episcopos Ecclesiarum orientalium catholicarum prae ceteris missae sunt, sententias ut ferrent collegiali quidem quantum fieri posset modo. Deinceps formulae hae, in coetibus a studiis specialibus saepenumero secundum placita Episcoporum denuo recognitae, post diligens Membrorum Commissionis examen, identidem, si casus tulerat, retractatae, in Plenario Coetu Membrorum, mense Novembri **MCMLXXXVIII** congregato, optimo suffragiorum consensu acceptae sunt.

Vere fatendum est Nobis Codicem hunc « ipsos Orientales confecisse » secundum Pauli VI Decessoris Nostri auspicia in sollemni initio laborum Commissionis prolata ***(AAS*** 66 [1974] 246). Omnibus et singulis, qui horum participes operum fuerunt, amplissimis verbis hodie gratias agimus.

Praeprimis grato animo prosequimur nomen vita functi Cardinalis Iosephi Parecattil, Ecclesiae Malabarensium, qui

fere totum per tempus postremis tribus annis exceptis ut Praeses Commissionis de novo Codice optime meruit. Simul cum eo vita functum Archiepiscopum Clementem Ignatium Mansourati, Ecclesiae Syrorum, singulariter recolimus, qui primis scilicet maximeque arduis annis Commissionis Vice-Praesidis munus explevit.

Placet autem etiam viventes memorare, imprimis Venerabiles Fratres Miroslaum Stephanum Marusyn, nunc Archiepiscopum a secretis Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus constitutum, qui diu Commissionis Vice-Praesidis munus egregie exercuit, atque Episcopum Aemilium Eid, hodiernum Vice-Praesidem, qui ad operis felicem exitum plurimum contulit; post hos vero dilectum Ivanum Zu2ek, sacerdotem Societatis Iesu sodalem, qui inde ab exordio utpote Commissionis a secretis assiduam operam navavit et ceteros, qui in eadem Commissione sive ut Membra, Patriarchae Cardinales Archiepiscopi et Episcopi, sive ut Consultores Cooperatoresque in coetibus a studiis aliisque muneribus suas maximi pretii partes attulerunt; denique Observatores, qui optatae omnium Ecclesiarum unitatis gratia ex Ecclesiis orthodoxis invitati, sua perutili praesentia et collaboratione magno adiumento fuerunt.

Spe confidimus magna fore ut hic Codex in « cotidianae vitae actionem feliciter traducatur » et « germanum praebeat testimonium reverentiae atque amoris erga ecclesiasticam legem », pro auspiciis Pauli VI beatae memoriae (***AAS*** 66 [1974] 247), atque in orientalibus Ecclesiis antiquitate tam praeclaris eundem illum tranquillitatis ordinem instauret, quem promulgantes Nos Codicem Iuris Canonici latinae Ecclesiae ardenti animo pro tota ecclesiali societate expetivimus. De ordine scilicet agitur, « qui, praecipuas tribuens partes amori, gratiae atque charismati, eodem tempore faciliorem reddat ordinatam eorum progressionem in vita sive ecclesialis societatis,

sive etiam singulorum hominum, qui ad illam pertinent » *(AAS* 75 [1983] Pars II, XI).

« Gaudium et pax cum iustitia et oboedientia » hunc etiam Codicem « commendent, et quod iubetur a capite, servetur in corpore » *(ib.,* XIII), ita ut, omnium collatis viribus, missionis Ecclesiae universalis augeatur incrementum Regnumque Christi ((Pantocratoris » abundantius instauretur (cf. Ioannes Paulus Pp. II, *Allocutio in Petriana Basilica ad eos qui in Romana Curia ministerium suum implent coram admissos,* 28 Iunii 1986, *AAS* 79 [1987] 196).

Sanctam Mariam semper Virginem, cuius benignissimo praesidio Codicem parandum identidem commendavimus, oramus materna prece a Filio suo impetret, ut Codex illius caritatis vehiculum evadat, quae ex Christi corde in cruce lancea perforato, sancto Ioanne Apostolo teste eximio, luculenter demonstrata, esse in animo omnis humanae creaturae defixa penitus debet.

Itaque, invocato divinae gratiae auxilio, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate suffulti, certa scientia atque votis Patriarcharum Archiepiscoporum et Episcoporum orientalium Ecclesiarum adnuentes, qui nobiscum collegiali affectu collaboraverunt, Apostolicae qua aucti sumus potestatis plenitudine usi Constitutione hac Nostra in posterum valitura praesentem Codicem, sic ut digestus et recognitus est, promulgamus, quem vim legis posthac obtinere pro omnibus Ecclesiis orientalibus catholicis decernimus iubemus atque earundem Ecclesiarum Hierarchis tradimus custodia ac vigilantia servandum.

Ut autem omnes, ad quos pertinet, prope perspecta habere possint huius Codicis praescripta, antequam ad effectum adducantur, edicimus ac mandamus, ut ea vim obligandi habere incipiant a die prima mensis Octobris anni MCMXCI, festo Patrocinii Beatae Virginis Mariae in plerisque Orientis Ecclesiis.

Non obstantibus quibuslibet rebus contrariis etiam peculiarissima mentione dignis.

Omnes ergo filios dilectos hortamur ut significata praecepta animo sincero ac propensa voluntate exsolvant, fore nihil dubitantes ut Ecclesiae orientales studiosa disciplina bono animarum christifidelium optime consulant, magis magisque floreant atque creditum sibi munus absolvant, sub praesidio gloriosae et benedictae semper Virginis Mariae, quae « Theothokos » verissime vocatur et universalis Ecclesiae eminet Mater praecelsa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xvin Octobris anno MCMXC, Pontificatus Nostri tertio decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CODEX
CANONUM ECCLESIARUM
ORIENTALIUM

AUCTORITATE

IOANNIS PAULI PP. II

PROMULGATUS

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MDCCCCLXXXX

PRAEFATIO

Quo ex tempore Pius IX, cum « orientalium negotia novis curis excitanda, confovendos ritus, corrigendos mores, disciplinam restituendam meditaretur, prius de legibus Ecclesiae colligendis edendisque » cogitavit, centum quinquaginta anni nondum praeterlapsi sunt. « Neque sapientissimum Pontificem fugit inchoandum esse a primis Graeciae fontibus, unde tam multa ad orientem ultimum septentrionemque derivarunt » (Pitra, Iuris *praef.). Summo Pontifice praecipiente, Ioannes Baptista Pitra O.S.B., postea Cardinalis, dispersos orientalium legum fontes inquisivit, Eo adiuvante inquisita collegit, Eo procurante, collecta publici iuris fecit (cfr. ibi) in duobus voluminibus, quae ((Iuris ecclesiastici graecorum historia et monumenta » inscribuntur.*

Qui Romanus Pontifex, cum omnia expertus est, ut « in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque Ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret » (Acta Pii IX, *III, Jf.02-lf.0S), specialem Coetum purpuratorum Patrum, « Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis » nuncupatum, Constitutione apostolica* Romani Pontifices *(6 ian. 1862) constituit atque ipsi ambitum negotiorum administratorum circumscripsit, id etiam voluit, ut in eodem Coetu stabili modo atque pontificia nominatione haberetur Cardinalis* Ponens, « *qui munere fungatur sedulo dirigendi studia, quae necessaria sunt ad colligendos Ecclesiae orientalis canones et ad examinandos, ubi opus fuerit, omnes orientales libros cuiusque generis sint, sive huiusmodi libri respiciant Sacrorum Bibliorum versiones sive catechesim, sive disciplinam)) (ibi IflO).*

Exorsis de re canonica orientali studiis, nonnulli ex orientalium Ecclesiarum Episcopis, qui de quaestionibus Concilio Vaticano I proponendis rogati erant, de iuris canonici orientalis recognitione in ipso Concilio agendum esse existimabant. Horum votorum interpretes praesertim fuerunt Gregorius Yussef, Patriarcha Ecclesiae Melkitarum, qui graviter de iuris canonici orientalibus proprii unicuique ritui congruentis egestate doluit fMansi *200), necnon Joseph Papp Szilagyi Magno Varadinensis Episcopus ritus orientalis, qui plurimorum*

ecclesiasticae disciplinae capitum restaurationem exoptavit, integrum fere Codicem quendam describens (ibi Ifl, 198).

Ipsa Concilii Vaticani I praeparatoria ((Commissio super missionibus et Ecclesiis ritus orientalis », in sexto Congressu, agnovit Ecclesias orientales iuris canonici Codice, qui earum disciplinam constitueret, maxime indigere, Codice nempe magnae auctoritatis, completo et omnibus nationibus communi atque ad temporum circumstantias accommodato (ibi 1[9, 1012).

Cum vero eadem Commissio progredientibus laboribus ab hac sententia recessisset, unicitatem disciplinae in universa Ecclesia potius invocando (ibi 50: 31, 3^*, Jf5*-J¡6*, 71/*-75*), effectum est, ut in aula conciliari graves voces tutandae orientalium disciplinae faventes proferrentur.*

Inter eos, qui in hunc sensum locuti sunt, enituit Patriarcha Joseph Audu, caput Ecclesiae Catholicae Chaldaeorum, qui in Congregatione Generali XVI Concilii varietatem « in iis, quae praeter fidem sunt », utpote ((divinae certe virtutis ac omnipotentiae argumentum in unitate Ecclesiae catholicae », strenue propugnavit atque pro sua Ecclesia patriarchali imprimis expostulavit ut <(data venia assignentur locus et tempus » ad « novum ius canonicum », antiquis canonibus necnon postulatis Concilii congruum, componendum atque Patrum approbationi praebendum (ibi 50, 515 ei 516).

Concilio Vaticano I, ob rerum angustias, ante finem dimisso, Leoni XIII, de rebus orientalibus cunctis in compluribus « Patriarcharum orientalium conferentiis » plane edocto, placuit magnis laudibus extollere « rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probatam varietatem », quae cum catholicitatis notam in Ecclesia Dei admirabiliter illustraret (Litt. ap. **Orientalium dignitas,** *30 nov. 189%, prooem.).*

Sub sapienti eiusdem Pontificis regimine, cum recognitio disciplinae canonicae Ecclesiarum orientalium undequaque in votis esset simulque nihil optabilius videretur quam ut id negotium a singulis iisdem Ecclesiis perficeretur atque Sedi Apostolicae in recognitionem subiceretur, plures Synodi particulares congregatae sunt. Quas inter eminent Synodus Sciarfensis Syrorum anno 1888 congregata, Synodus Leopoliensis Ruthenorum anno 1891 habita, duae Synodi Alba-Iulienses Rumenorum annis 1882 et 1900 coadunatae, denique Synodus Alexandrina Coptorum anno 1898 celebrata. Postrema vero ex his Synodis, in quibus praecipua canonicae singularum Ecclesiarum disciplinae capita fere ex integro recognita sunt, Synodus Armenorum fuit, quam

sanctus Pius X, Romae, anno 1911 congregari iussit, ut in ea « de iuribus Patriarcharum et Episcoporum, de recta fidelium administratione, de cleri disciplina, de Monachorum institutis, de missionum necessitatibus, de cultus divini decore, de S. Liturgia » ageretur (Ep. **Vobis plane,** *30 aug. 1911).*

Synodorum memoratarum acta et decreta, si simul cum eis, quae superioribus temporibus edita sunt, ut acta et decreta Synodi Montis Libani Maronitarum anno 1736 habitae et in ((forma specifica » a Benedicto XIV approbatae (Breve **Singularis Romanorum,** *1 sept. 11 hi), necnon Synodi Ain-Trazensis Graeco-Melkitarum, anno 1835 celebratae, considerentur, eam fere imaginem gignunt, ut tunc temporis, patrimonio disciplinari omnium orientalium Ecclesiarum, sacris primaevae Ecclesiae canonibus sancito, quodammodo adumbrato, tot ordinationes canonicae a Suprema Ecclesiae Auctoritate approbatae requirerentur, quot essent in catholicae Ecclesiae sinu « Ritus » orientales. Pro latina vero Ecclesia, interdum « Codex iuris canonici)), a sancto Pio X, Litteris apostolicis* **Arduum sane munus,** *die 19 martii 1904, magno animo sapientique consilio inchoatus, citato gradu exarabantur.*

Vertente anno 1917, Benedictus XV, non solum **Codicem iuris canonici** *pro latina Ecclesia, ((expectationem totius catholici orbis explens » (Motu proprio* **Cum iuris canonici,** *15 sept. 1917), promulgavit, sed etiam de orientalibus Ecclesiis summopere cogitavit « quippe quae », ut ipse scripsit, ((in vetustiore suorum temporum memoria lumina offerant sanctitatis doctrinaeque tam clara, ut eorum splendore etiam nunc, tanto intervallo, reliquas christianorum regiones » collustrent (Motu proprio* **Dei providentis,** *1 maii 1917). Ipse ((Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali » instituit, die 1 maii 1917, eandemque, ut in* **Codice iuris canonici,** *die Pentecostes eiusdem anni promulgato, legebatur, « omnibus facultatibus, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent)) (can. 257 § 2), quibusdam tantum exceptis, ornavit; quo factum est, ut aptis rationibus provideretur ad ea provehenda, quae ob rei iuridicae difficilem naturam, vix vel ne vix quidem a singulis Ecclesiis orientalibus obtineri possent. Praeterea, mense octobri eodem vertente anno, in ipsa Urbe condere decrevit ((proprium altiorum studiorum domicilium de rebus orientalibus », Pontificium nempe Institutum Orientalium Studiorum, « Orientis catholici ad spem veteris prosperitatis excitandi causa)) atque in eo, praeter alias*

disciplinas, « ius canonicum omnium Orientis christianarum gentium)) explorari ac doceri iussit (Motu proprio Orientis catholici, *15 oct. 1911).*

Enimvero, Sacra Congregatio « pro Ecclesia Orientali » primis laborum annis, Ecclesiis, in quibus leges canonicae sat neglectae erant vel plura caduca, obsoleta aut manca complectebantur, vel quae, in luce Codicis iuris canonici *nuper promulgati, propria quasi traditione postposita, progredi se posse existimabant, quaedam responsa dedit eo consilio, ut de priorum temporum more in singularum Ecclesiarum Synodis novae leges elaborerentur atque Sedi Apostolicae in recognitionem submitterentur.*

Paulatim vero in omnibus Ecclesiis opinio praevaluit, nihil melius fore quam ut leges, quae omnibus Ecclesiis orientalibus communes erant vel eiusmodi esse debere censebantur in unum organicum ((Corpus legum » cura Sedis Apostolicae componendum atque a Summo Pontifice promulgandum, colligerentur.

Idcirco Pius XI, in audientia Cardinali Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretario, Aloisio Sincero die S augusti 1921 concessa, votis Cardinalium eiusdem Congregationis Membrorum, paucis ante diebus in Coetu plenario congregatorum, perpensis, codificationem iuris canonici orientalis non tantummodo necessariam existimavit, sed inter urgentiora negotia adnumeravit atque decrevit, ut Ipse ei praeesset.

Verumtamen anno 1929 codificatio orientalium canonicae disciplinae reapse initium habuit.

Eodem anno incipiente, die 5 ianuarii, Summus Pontifex mandavit consulendos Orientis Praesules, Patriarchas imprimis, <(ut, collatis consiliis, libere significarent quae de hoc tanti momenti negotio sentirent, simulque mentem suam aperirent qua via et qua ratione procedendum esset, respectu praesertim habito ad disciplinam, traditiones, necessitates atque privilegia uniuscuiusque ritus, ut Codificatio in veram utilitatem vergeret illarum Ecclesiarum, cleri, populique ». Praeterea, Patriarchis necnon Archiepiscopis, singulis ritibus praepositis, die 20 iulii, mandatum est, ut idoneum sacerdotem pro suo cuiusque ritu deligerent, qui operam navaret ad memoratum opus f AAS *21 {_1929~} 669).*

Die 27 aprilis, in audientia Cardinali Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretario concessa, Summus Pontifex Sibi peculiare ((Consilium Praesidentiae » codificationis orientalis, de quo iamdudum anno 1927 cogitaverat, constituit, cuius Membra fuerunt Cardinales Petrus Gasparri, Aloisius Sincero et Bonaventura Cerreta, *et*

parvam Consultorum Commissionem e tribus iuris peritis constantem ei adiunxit.

Eodem vertente anno, Consilium Praesidentiae, postquam Praesulum Orientis responsa de opportunitate codificationis orientalis cura Sedis Apostolicae peragendae necnon de rationibus procedendi in tanti momenti negotio rite collecta et mature perpensa sunt, in Plenario Coetu die 4 *iulii coadunato, non tantummodo unanimam fere Orientis vocem repperit hoc negotio omnino faventem, sed etiam plura optata ad hanc provinciam spectantia ad Summum Pontificem detulit.*

Hisce mature perpensis, Summus Pontifex, uti ex ((Notificatione » die 17 iulii 1935 constat, statuit:

« 1) *ut studia historico-canonica, quae* praeparatoria *vocantur, de legibus et consuetudinibus singularum Ecclesiarum a sacerdotibus, quos Excellentissimi Episcopi Romam mittendos elegerint, conficerentur;*

2) ut canonum schemata a praedictis sacerdotibus delegatis redacta ad Excellentissimus Ordinarios mitterentur, ut de iisdem animadversiones facere possint;

3) *ut iuridici singularum Ecclesiarum fontes, canonici praesertim, exquirerentur atque in lucem, cura virorum scientia iuris canonici et historia peritorum, ederentur»* f AAS *27 [1935] 306-307).*

Memoratis studiis Pius XI, in audientia diei 23 mensis novembris eiusdem anni 1929, praeposuit « Commissionem Cardinalitiam pro Studiis Praeparatoriis Codificationis Orientalis y>, cuius rei nuntius in Actorum Apostolicae Sedis *commentario officiali die 2 decembris 1929 (p. 669) datus est. Cuius Commissionis Praeses Cardinalis Petrus Gasparri, Membra vero Cardinales Aloisius Sincero, Bonaventura Cerretti et Franciscus Ehrle fuerunt; a secretis nominatus est D. Hamletus Ioannes Cicognani tunc Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Adsessor, postmodum Cardinalis.*

Commissioni Cardinalium duo Collegia virorum peritorum adiuncta sunt iuxta criteria a Summo Pontifice in audientia diei 13 iulii eodem anno statuta, Collegium nempe Delegatorum orientalium ad ipsum opus redactionis Codicis Iuris Canonici Orientalis praeparatorium, in adiutorium Patrum Cardinalium Commissionis Membrorum, peragendum et Collegium Consultorum ((ad colligendos fontes pro codificatione canonica orientali ».

In primo Collegio adnumerati sunt quattuordecim sacerdotes electi ((sinodaliter », ex expressa voluntate Summi Pontificis, ab Episcopis

singularum Ecclesiarum orientalium, ut ipsos Episcopos vere ((repraesentarent » atque ita in Codice orientali inde ab initio vox Orientis plene personaret. Quibus sacerdotibus quattuor religiosi in Urbe commorantes, in iure canonico peritissimi, adiuncti sunt.

Ad alterum Collegium adsciti sunt duodecim sacerdotes fontium scientiae periti, eruditione insignes, quorum fuit, iuxta Summi Pontificis auspicia, fontes disciplinae canonicae orientalis ita colligere, ut non tantummodo scientiae inservirent sed etiam atque imprimis ad exsequendam codificationem canonicam orientalem maxime conferrent.

Nomina memoratorum sacerdotum, qui de praeparatoriis codificationis orientalis laboribus optime meriti sunt, Summi Pontificis nutu, in audientia diei 1 martii 1930 dato, publici iuris facta sunt in ephemeride L'Osservatore Romano, *die 2 mensis aprilis subsequentis.*

Indefesso studio summoque labore praeparatorium codificationis canonicae orientalis opus ab illa Commissione sex annorum decursu ad finem perductum est. Etenim, omnia disciplinae canonicae capita, modo ab ipsis Delegatis orientalium Ecclesiarum unanima voce expostulato, semel et iterum in centum octoginta tribus conventibus excussa, opportune in varia « schemata » distributa, ad Orientis Episcopos missa sunt, ut sententias suas panderent. Fontes vero disciplinae canonicae veteres recentioresque a viris Commissionis diligentissime selecti atque a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali in tredecim magnae molis voluminibus typis impressi, iam anno 1934 vertente, non tantummodo Commissioni, sed omni etiam studiorum superiorum Athaeneo praesto fuerunt. Quae omnia praeprimis Pii XI constantis de codificatione canonica orientali sollicitudinis testimonium perhibent, qui crebro, in viginti quattuor « audientiis », de Commissionis laboribus edoceri voluit, nihil omnino praetermittens, quin, praeparatoriis studiis peractis, quam citissime procedi posset ad redactionem ((Codicis Iuris Canonici Orientalis)), ut ei placuit condendum Codicem indicare a donec melior inveniretur titulus)) (in audientia diei 5 iulii 1935).

Vertente anno 1935, in audientia diei 7 iunii, Summus Pontifex constituendam esse censuit novam Commissionem, quae opus redactionis Codicis moderaretur quaeque, Episcoporum Orientis animadversionibus ad praedicta « schemata » sedulo perspectis, textum canonum exararet. Qua de re « Notificatio » die 17 iulii eiusdem anni, in Actorum Apostolicae Sedis *commentario officiali apparuit (*AAS *27* '[1935] *306-308), ubi, praeter nomen, Commissionis compositio competentiaque statutae sunt. Illa a Pontificia Commissio ad Redigendum "Codicem*

Iuris Canonici Orientalis" ut nuncupabatur, in suis exordiis nonnisi e quattuor Cardinalibus Membris constabat: Aloisio Sincero, qui ei praesidebat, Eugenio Pacelli, postmodum Pio XII, Iulio Serafini et Petro Fumasoni Biondi. Decursu vero triginta septem annorum, qui spatium exsistentiae Commissionis circumscribunt, plures Cardinales, alii aliis morte ereptis succedentes, in Collegio Membrorum Commissionis adnumerati sunt atque, Concilio Vaticano II absoluto, etiam omnes Ecclesiarum orientalium catholicarum Patriarchae.

Vita functo Cardinali Aloisio Sincero, die 7 februarii 1936, in Praesidem Commissionis Cardinalis Maximus Massimi adscitus est die 17 eiusdem mensis, sub cuius sapientissimo ductu arduus redactionis Codicis Iuris Canonici Orientalis labor fere ad finem perductus est. Cui rei testimonio sunt tres conspicuae partes Codicis, quae a Pio XII promulgatae sunt antequam idem bene meritus Cardinalis de vita decessisset.

Cui successit Cardinalis Agagianian Petrus XV, qui usque ad finem anni 1962 Ecclesiae Catholicae Armenorum etiam praefuit quique Commissionem usque ad obitum, die 6 maii 1911, moderatus est.

A secretis Commissionis nominatus est P. Acacius Coussa B.A., qui id officium constantissimo animo egregie gessit usque ad sui in cardinalatum designationem. Exinde, opere redactionis Codicis Iuris Canonici Orientalis ratione Concilii Vaticani II interrupto, P. Daniel Faltin O.F.M. Conv., munere « Adsistentis » functus est usque ad Commissionis exstinctionem.

*In adiutorium Cardinalium Commissionis Membrorum tredecim viri periti ut Consultores nominati sunt, ex orientalium Ecclesiarum sacerdotibus maiore ex parte selecti, quorum nomina ex praedicta « Notificatione » patefacta sunt (*AAS, *27 308). Collegii Consultorum praecipuum munus fuit, orientalium Episcoporum animadversiones ad ((schemata » iam antea redacta excutere atque suas considerationes Cardinalibus Commissionis Membris subiciendas addere. Hoc negotium in septuaginta octo sessionibus, quarum postrema die 3 novembris 1939 habita est, praestanter peractum est.*

Patres Cardinales, ter et septuagies coadunati, in Codicem Iuris Canonici Orientalis redigendum strenue incubuerunt, continuo suffragante ipso Summo Pontifice, qui universum redactionis laborem assidua cura prosequi numquam desiit quique singulos canonum articulos privato consilio examinavit atque totum legum Corpus in viginti

quattuor titulos divisum, instar plurimorum genuinae traditionis orientalium collectionum, systematice digeri voluit.

Annis 1943 et 1944 vertentibus, hoc Corpus, iam in uno volumine typis impressum, accuratissimo « coordinationis » labori clarissimorum Acacii Coussa B.A., Aemilii Herman S.J. et Arcadii Larraona C.M.F., subiectum est ac deinde, textu totius Codicis denuo typis exscripto, anno 1945, a Patribus Cardinalibus, undevicies coadunatis, iterum atque iterum emendatum, mense ianuario anno 1948 Summo Pontifici oblatum est.

Ad promulgationem quod attinet, visum est per partes procedendum esse. Ideo, ineunte anno 1949 Summus Pontifex canones de sacramento matrimonii, utpote admodum urgentes, ac deinde, iustitiae administrandae gratia, canones de iudiciis, quorum illi schematis condendi Codicis Titulum XIII, hi Titulum XXI constituebant, ad promulgationem typis imprimi iussit.

Ex quo factum est, ut iam die 22 februarii eiusdem anni 1949, die festo Cathedrae sancti Petri Antiochenae, Litteris apostolicis Crebrae allatae sunt *motu proprio datis* f AAS *41 89-119) canones « De sacramento matrimonii » promulgati sunt, qui a die secunda subsequentis mensis m,aii vigere inceperunt.*

Litteris vero apostolicis Sollicitudinem Nostram *motu proprio datis die 6 ianuarii 1950* ("AAS *lß [1950'] 5-120), in Epiphania Domini, ((De iudiciis » canones promulgati sunt, qui per integrum annum vacaverunt, vim obtinentes die 6 ianuarii subsequentis anni.*

Die festo sancti Cyrilli Alexandrini, Pontificis et Doctoris, Litteris apostolicis Postquam Apostolicis Litteris *motu proprio datis die 9 februarii 1952 (AAS 44 [19521 65-150), promulgati sunt canones a De Religiosis)), « De bonis Ecclesiae temporalibus » et « De verborum significatione », qui vigere inceperunt a die 21 novembris eiusdem anni, die festo Praesentationis Beatae Mariae Virginis. Tres sectiones, quae his apostolicis Litteris continentur, constituebant ex ordine sequentes schematis condendi Codicis Titulos :*

Tit. XIV De monachis ceterisque religiosis.
Tit. XIX De bonis Ecclesiae temporalibus.
Tit. XXIV De verborum significatione.

Postremo, Litteris apostolicis Cleri sanctitati *motu proprio datis die 2 iunii 1957 (AAS 49 [1957] 433-600), Pius XII, quasi donum onomasticum, promulgavit canones ((De ritibus orientalibus » et « De per-*

sortis qui die festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis anno subsequente vigere inceperunt. Hi canones ad quinque, qui sequuntur, Titulos schematis condendi Codicis pertinebant:

Tit. II De ritibus orientalibus.
Tit. III De personis physicis et moralibus.
Tit. IV De clericis in genere.
Tit. V De clericis in specie.
Tit. XVII De laicis.

Ex 2666 canonibus, qui schemate condendi Codicis anni 19Jf5 continebantur, tres quintae partes promulgatae sunt. Ceteri vero canones, numero 1095, in archivo Commissionis permanserunt.

Concilio Vaticano II a Ioanne XXIII indicto, cum universae Ecclesiae canonica disciplina iuxta consilia et principia Concilii recognoscenda esse praevideretur, redactio Codicis Iuris Canonici Orientalis proprie dicta intermissa est, quin tamen interceptarentur cetera Commissionis munera, quae, prae aliis, mentione digna haec sunt: munus authentice interpretandi promulgatas iam partes Codicis atque munus curandi editionem « Fontium » iuris canonici orientalis.

Medio anno 1912 Summus Pontifex, Paulus VI, Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo instituit simulque statuit, ut praecedens Commissio, quae ((ad Redactionem » Codicis anno 1935 erecta erat, desineret. Hac de re nuntius in ephemeride L'Osservatore Romano *die 16 iunii eiusdem anni 1912 datus est.*

Forma novae Commissionis in tuto posuit eius orientalem indolem. Etenim Collegium Membrorum Commissionis, ab exordiis viginti quinque numero, deinceps vero triginta octo, ex Patriarchis aliisque Praesulibus orientalium Ecclesiarum catholicarum compositum est, additis quibusdam Cardinalibus praepositis Romanae Curiae Dicasteriis, quae in orientales Ecclesias competentiam obtinent. Collegium vero septuaginta Consultorum Commissioni addictorum maxima ex parte ex Episcopis ac presbyteris orientalium Ecclesiarum constabat, adiunctis quibusdam ritus latini clericis ac laicis orientalis canonicae disciplinae peritis.

Nec praetereundum est quosdam praeclaros viros etiam ex Ecclesiis orientalibus, quae nondum in plenitudine communionis cum Ecclesia catholica sunt, ut Observatores invitatos esse, ut in laboribus recognitionis Codicis suam operam navarent.

Munus Commissionis Praesidis concreditum est Cardinali Iosepho Parecattil, Ernakulamensis Ecclesiae Malabarensium Archiepiscopo. Qui hoc munus egregie gessit usque ad supremum diem suae vitae (20 februarii 1981). Cardinali Praeside vita functo, Praesidis officium postremo Commissionis tempore vacavit.

In munere Vice-Praesidis Commissionis constitutus est Ignatius Clemens Mansourati, Episcopus titularis Apamaeae Syrorum, qui per quinquennium in munere permansit. Ei successit, die 15 iunii 1911, Myroslaus Stephanus Marusyn, Episcopus titularis Cadoënus Ecclesiae Ucrainorum, qui Vice-Praesidis munus gessit usque ad exeuntem annum 1982. Die 20 decembris eiusdem anni in Vice-Praesidem Commissionis nominatus est Aemilius Eid, Episcopus titularis Sareptae Maronitarum.

A secretis Commissionis constitutus est P. Ivan Zuzek, Societatis Iesu sodalis, ab exordiis Pro-Secretarius, a die vero 22 octobris 1971 Secretarius.

Mandatum, Commissioni a Summo Pontifice concreditum, fuit funditus recognoscendi in luce imprimis Concilii Vaticani II decretorum Codicem Iuris Canonici Orientalis totum, tum in partibus iam editis tum in iis sectionibus, quae, etsi ad consummatum redactionis stadium a praecedenti Commissione perductae, promulgatae nondum erant.

Summus Pontifex, Paulus VI, in sollemni inauguratione laborum Commissionis, in Sixtino Sacello die 18 martii 1914 habita, « Magnam Chartam » totius itineris recognitionis firmiter constituit ac praeclaris verbis illustravit. Duplicem praeprimis curam Summus Pontifex a tota Commissione expostulabat, ut videlicet ius canonicum orientalium Ecclesiarum catholicarum et secundum mentem Patrum Concilii Vaticani II et secundum germanam orientalem traditionem recognosceretur.

De salute animarum, quae finis supremus uniuscuiusque ecclesiasticae regulae est, summopere sollicitus, Summus Pontifex in eodem sermone, salutarem atque novam ad vitam christianam instMïïrWtâam impulsionem, quam Concilium Vaticanum II pro universa Ecclesia exoptaverat et promoverat, singulariter suffulsit. Etenim, praecepit, ut Codex hodiernae vitae postulatis atque veris temporum et locorum condicionibus, quae continenter et celerrime mutantur, responderet, cohaerentiam et concordiam cum sana traditione servaret, atque insimul illi peculiari muneri, quod ad christifideles orientalium Ecclesiarum spectat, a omnium christianorum unitatem, orientalium praeser-

tim, fovendi iuxta principia decreti ... De oecumenismo » fOE *24) admodum consonus esset.*

Plenarius Coetus Membrorum Commissionis, diebus 18-23 martii 1974 coadunatus, in quo Summi Pontificis munifica voluntate etiam omnes Consultores Commissionis necnon quidam Observatores Ecclesiarum orientalium acatholicarum suas partes, voto deliberativo excepto, habebant, principia quaedam, quibus Consultores Commissionis in variis ((coetibus a studiis » in schematibus canonum componendis manu duci deberent, unanimo fere suffragio approbavit.

Inter haec principia, quae, tribus linguis exarata, in actis Commissionis ^Nuntia *3), ex integro publici iuris facta sunt, praecipua fuerunt:* 1) *quae de unico Codice pro omnibus Ecclesiis orientalibus tradita sunt, unico patrimonio sacrorum canonum prae oculis habito, etiam cum hodiernis vitae adiunctis omnino congruant;* 2) *indoles Codicis sit vere orientalis, nempe consentanea sit postulatis Concilii Vaticani II de propriis disciplinis orientalium Ecclesiarum servandis ((utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores »* fOE *5), proindeque Codex exprimat disciplinam, quae sacris canonibus atque consuetudinibus omnibus Ecclesiis orientalibus communibus continetur;* 3) *omnino consonus sit Codex peculiari muneri, Ecclesiis orientalibus catholicis a Concilio Vaticano II concredito, omnium christianorum, orientalium praesertim, unitatem fovendi iuxta principia decreti Concilii ((De oecumenismo* »; 4) *indolis sit Codex, ut par est, iuridicae: qua re singularum personarum physicarum et iuridicarum iura et obligationes inter se necnon erga societatem ecclesiasticam indubie definiat ac tueatur;* 5) *praeterquam iustitiae in ipsa legum formulatione ratio in Codice habeatur caritatis et humanitatis, temperantiae ac moderationis, ad salutem animarum cura pastorali maxime fovendam, neque proinde normae stricto iure servandae imponantur, nisi quae a bono communi et disciplina ecclesiastica generali expostulentur;Q)((subsidiarietatis », ut aiunt, principium in Codice servetur, unde nonnisi illas leges contineat, quae omnibus Ecclesiis orientalibus catholicis, Supremi Pastoris universae Ecclesiae iudicio, communes esse debere censentur, ceteris quibuscumque singularum Ecclesiarum iuri particulari demandatis.*

Quod ad ordinationem systematicam Codicis attinet, imprimis animadvertendum est, Codicem Iuris Canonici Orientalis, Commissioni in recognitionem concreditum, iterato studio ab utraque praecedenti Com-

missione, inde ab anno 1929, peracto, voluntate Summorum Pontificum, Pii XI et Pii XII, non in libros, Codicis latinae Ecclesiae instar, sed in viginti quattuor titulos ordinatum esse. Etenim Pius XI, die 8 februarii 1937, expresse decrevit, ut Codex in titulos systematice ordinaretur. Pius XII vero, in audientia diei 26 decembris 1945 (cfr. Nuntia *26, pp. 82-83), ordinationem in viginti quattuor titulos, sibi ex sua personali opera in Commissione peracta ante sui in Summum pontificatum electionem ac deinceps ex toto labore Commissionis sua assidua et constanti cura prosequendo, pernotam, quibusdam sectionibus Codicis ex uno titulo in alium ab eodem Pontifice translatis, approbavit in forma a Cardinalibus Membris Commissionis, in Plenario Coetu diei 20 novembris eiusdem anni coadunatis, unanimiter rata et accepta.*

Nulla gravis ratio erat cur systematica haec ordinatio a Summis Pontificibus inducta in discrimen vocaretur. Quinimmo coetus a studiis Consultorum Commissionis, ad id congregati, hanc eandem ordinationem non uno conspicuo argumento, hodiernis etiam vitae adiunctis congruo, suffragati sunt. Qua de re Episcopus Myroslaus Stephanus Marusyn, Vice-Praeses Commissionis, ad Synodum Episcoporum anno 1980 planis verbis rettulit. Organis consultationis haec ordinatio placuit, voces contrariae fere nullae fuerunt. Membra Commissionis vero, in Plenario Coetu mense novembri 1988 coadunata, hanc ordinationem ad normam ((Ordinis procedendi » approbaverunt.

Codicis, a Commissionis Consultoribus recogniti, primus textus sex annorum spatio confectus est. Consultores, in decem a studiis coetibus constituti, operam suam strenue navarunt, fere centies in diuturnis, plerumque quindecim dierum, conventibus congregati.

Hic textus, opportune in octo schemata distributus, variis temporibus Summo Pontifici tradebatur ad beneplacitum obtinendum, ut ad Organa consultationis mitti posset, nempe ad totum orientalium Ecclesiarum catholicarum Episcopatum, ad Romanae Curiae Dicasteria, ad Urbis studiorum superiorum Athaenea necnon ad Superiorum generalium Uniones religiosorum. Haec Organa rogata sunt, ut intra tempus sex mensium ad singula schemata, subinde missa, suas animadversiones sententiasque exprimerent.

En ordo schematum, quae ad Organa consultationis missa sunt: mense iunio 1980 ((Schema canonum de cultu divino et praesertim de sacramentis »; mense decembri 1980 « Schema canonum de monachis ceterisque religiosis necnon sodalibus aliorum institutorum vitae con-

secratae »; mense iunio 1981 « Schema canonum de evangelizatione gentium, magisterio ecclesiastico et oecumenismo »; mense septembri 1981 ((Schema canonum de normis generalibus et de bonis Ecclesiae temporalibus » et « Schema canonum de sanctionibus poenalibus in Ecclesia »; mense novembri 1981 « Schema canonum de clericis et laicis »/ mense februario 1982 « Schema canonum de tutela iurium seu de processibus »; mense octobri 1984 « Schema canonum de constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium ».

Nihil amplius quam animadversionum, quae ad Commissionem pervenerunt, magna moles, ingens pondus ac argumentis probata gravitas indolem collegialem recognitionis Codicis ostendit. Totus Episcopatus orientalium Ecclesiarum catholicarum ceteraque Organa consultationis pervalidam et praegravem operam ad Codicem recognoscendum contulerunt. In re etiam animadvertendum est, praedicta schemata publici iuris facta esse eo consilio, ut quae in Commissione gererentur in aperto essent atque ut omnes, praesertim iuris canonici periti, suam mentem pandere ac ita ad bonum exitum Codicis conferre possent.

Omnes animadversiones, nulla excepta., ordinatim digestae, coetibus specialibus a studiis denuo ad recognitionem iuxta placita Organorum consultationis diligenti studio peragendam commissae sunt. In his coetibus Consultores Commissionis et nonnulli alii viri peculiari peritia praediti in materiis, de quibus agebatur, textum Codicis iterum recognoverunt. Textus ita denuo recognitus ex relationibus in Commissionis actis per ephemeridem Nuntia *publici iuris factis apparet.*

Retractata schemata, in unicum textum triginta titulorum opportune digesta, speciali coetui a studiis, ((De coordinatione » vocato, concredita sunt. Huius coetus fuit Codicis internam cohaerentiam et unitatem curare, discrepantias atque ambiguitates evitare, terminos iuridicos quatenus fieri poterat ad univocam significationem reducere, repetita minusque congrua tollere atque orthographiae necnon inter^unctionis constanti usui providere.

Mense octobri 1986 « Schema Codicis Iuris Canonici Orientalis y>, typis impressum, Summo Pontifici oblatum est, qui mandavit, ut id die 17 eiusdem mensis, festo sancti Ignatii Antiocheni, examinis et iudicii gratia ad Commissionis Membra mitteretur.

Membrorum Commissionis animadversiones, opportune ordinatae, examini specialis coetus a studiis Consultorum, « De expensione observationum » nuncupati, qui bis per quindecim dies coadunatus est, subiectae sunt. Huius coetus fuit, animadversionibus mature perpen-

sis, idoneas emendationes textus canonum proponere aut, in casu retentionis textus, rationes exponere, quae animadversiones, de quibus agebatur, acceptandas non esse suadebant. Animadversiones simul cum votis huius coetus, in unum fasciculum collectae, ad Membra Commissionis mense aprili 1988 transmissae atque in Plenario eiusdem Commissionis Conventu, qui aliquot post menses habitus est, Commissionis Membrorum examini et iudicio subiectae sunt.

Interim « Coetus de coordinatione)), qui numquam ab opere destiterat, plurimas emendationes proposuit, in textum canonum introducendas, scribendi rationem plerumque respicientes; aliquas vero, quae substantiam canonum afficiebant, censuit « ex officio)) esse faciendas, ut absoluta congruitas inter canones serveretur et lacunae iuris, quatenus fieri poterat, aptis normis implerentur. Haec omnia, simul collecta et ad Membra Commissionis mense iulio 1988 transmissa, eorundem iudicio ac examini subiecta sunt.

Conventus Plenarius Membrorum Commissionis, de mandato Summi Pontificis convocatus, ut suffragiis deliberaret, num totus recogniti Codicis textus dignus haberetur, qui Summo Pontifici quamprimum traderetur et tempore et modo, quae sibi viderentur, promulgentur, in aula « Bologna » Apostolici Palatii a die 3 ad diem lJf novembris 1988 celebratus est. In hoc conventu de quaestionibus, quae per petitionem quinque saltem Membrorum Commissionis propositae sunt, disceptatio instituta est. Suffragatio schematis Codicis definitiva, ad placita Membrorum Commissionis de singulis titulis separatim facta, hunc exitum habuit: omnes tituli parti maiori Membrorum placuerunt, plerumque fere unanimiter.

Schema novissimum, iuxta placita Membrorum Commissionis emendatum atque titulo ((Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium » ornatum, in decem exemplaribus arte ((informatica)), quam vocant, reproductum, Summo Pontifici die 28 ianuarii 1989, cum petitione, ut id promulgaretur, traditum est.

Summus Pontifex autem, per Seipsum, adiuvantibus quibusdam peritis atque auditis V ice-Praeside et Secretario Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo, hoc Schema novissimum Codicis recognovit, typis mandari iussit, ac denique die 1 octobris 1990 decrevit novum Codicem promulgandum esse die 18 eiusdem mensis.

CODEX CANONUM ECCLESIARUM ORIENTALIUM

CANONES PRAELIMINARES

Can. 1 - Canones huius Codicis omnes et solas Ecclesias orientales catholicas respiciunt, nisi, relationes cum Ecclesia latina quod attinet, aliud expresse statuitur.

Can. 2 - Canones Codicis, in quibus plerumque ius antiquum Ecclesiarum orientalium recipitur vel accommodatur, praecipue ex illo iure aestimandi sunt.

Can. 3 - Codex, etsi saepe ad praescripta librorum liturgicorum se refert, de re liturgica plerumque non decernit; quare haec praescripta sedulo servanda sunt, nisi Codicis canonibus sunt contraria.

Can. 4 - Canones Codicis initas aut approbatas a Sancta Sede conventiones cum nationibus aliisve societatibus politicis non abrogant neque eis derogant; eaedem idcirco perinde ac in praesens vigere pergent contrariis Codicis praescriptis minime obstantibus.

Can. 5 - Iura quaesita itemque privilegia, quae a Sede Apostolica ad haec usque tempora personis physicis vel iuridicis concessa in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi Codicis canonibus expresse revocantur.

Can. 6 - Codice vim obtinente :

1° abrogatae sunt omnes leges iuris communis vel iuris particularis, quae sunt canonibus Codicis contrariae aut quae materiam respiciunt in Codice ex integro ordinatam ;

2° revocatae sunt omnes consuetudines, quae canonibus Codicis reprobantur aut quae eis contrariae sunt nec centenariae vel immemorabiles.

TITULUS I

DE CHRISTIFIDELIBUS EORUMQUE OMNIUM IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS

Can. 7 - § 1. Christifideles sunt, qui per baptismum Christo incorporati in populum Dei sunt constituti atque hac ratione muneris Christi sacerdotalis, prophetici et regalis suo modo participes secundum suam cuiusque condicionem ad missionem exercendam vocantur, quam Deus Ecclesiae in mundo implendam concredidit.

§ 2. Haec Ecclesia in hoc mundo ut societas constituta et ordinata subsistit in Ecclesia catholica a successore Petri et Episcopis in communione cum eo gubernata.

Can. 8 - In plena communione cum Ecclesia catholica his in terris sunt illi baptizati, qui in eius compage visibili cum Christo iunguntur vinculis professionis fidei, sacramentorum; et ecclesiastici regiminis.

Can. 9 - § 1. Speciali ratione cum Ecclesia conectuntur catechumeni, qui Spiritu Sancto movente expetunt explicita voluntate, ut eidem incorporentur, ideoque hac ipsa voluntate et vita fidei, spei et caritatis, quam agunt, coniunguntur cum Ecclesia, quae eos iam ut suos fovet.

§ 2. Catechumenorum specialem curam habet Ecclesia, quae, dum eos ad vitam evangelicam ducendam invitat eosque in participationem Divinae Liturgiae, sacramentorum et laudum divinarum introducit, eisdem varias iam largitur praerogativas, quae christianorum sunt propriae.

Can. 10 - Verbo Dei inhaerentes atque vivo Ecclesiae magisterio authentico adhaerentes tenentur christifideles fidem immenso pretio a maioribus custoditam ac transmissam integre servare et aperte profiteri necnon eam et exercendo magis intellegere et in operibus caritatis fructificare.

Can. 11 - Inter christifideles omnes ex eorum quidem in Christo regeneratione viget vera circa dignitatem et actionem aequalitas, qua cuncti secundum suam cuiusque condicionem et munus ad aedificationem Corporis Christi cooperantur.

Can. 12 - § 1. Christifideles obligatione tenentur sua cuiusque agendi ratione ad communionem semper servandam cum Ecclesia.

§ 2. Magna cum diligentia obligationes impleant, quibus tenentur erga universam Ecclesiam et propriam Ecclesiam sui iuris.

Can. 13 - Omnes christifideles secundum suam cuiusque condicionem ad sanctam vitam ducendam atque ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem promovendam vires suas conferre debent.

Can. 14 - Omnes christifideles ius et obligationem habent allaborandi, ut divinum salutis nuntium ad omnes homines omnium temporum ac totius orbis magis magisque perveniat.

Can. 15 - § 1. Quae Ecclesiae Pastores Christum repraesentantes tamquam fidei magistri declarant aut tamquam Ecclesiae rectores statuunt, christifideles propriae responsabilitatis conscii christiana oboedientia prosequi tenentur.

§ 2. Christifidelibus integrum est, ut necessitates suas, praesertim spirituales, suaque optata Ecclesiae Pastoribus patefaciant.

§ 3. Pro scientia, competentia et praestantia, quibus pollent, ipsis ius est, immo et aliquando obligatio, ut sententiam suam de his, quae ad bonum Ecclesiae pertinent, Ecclesiae Pastoribus manifestent eamque, salva integritate fidei et morum ac reverentia erga eosdem Pastores attentisque utilitate communi et personarum dignitate, ceteris christifidelibus notam faciant.

Can. 16 - Ius est christifidelibus, ut ex spiritualibus Ecclesiae bonis, praesertim ex verbo Dei et sacramentis, adiumenta ab Ecclesiae Pastoribus accipiant.

Can. 17 - Ius est christifidelibus, ut cultum divinum persolvant secundum praescripta propriae Ecclesiae sui iuris utque propriam vitae spiritualis formam sequantur doctrinae quidem Ecclesiae consentaneam.

Can. 18 - Integrum est christifidelibus, ut libere condant atque moderentur consociationes ad fines caritatis vel pietatis aut ad vocationem christianam in mundo fovendam utque conventus habeant ad eosdem fines in communi persequendos.

Can. 19 - Christifideles cuncti, quippe qui Ecclesiae missionem participent, ius habent, ut propriis inceptis apostolicam actionem promoveant vel sustineant secundum suum cuiusque statum et condicionem ; nullum tamen inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accessit auctoritatis competentis ecclesiasticae.

Can. 20 - Christifideles, quippe qui baptismo ad vitam doctrinae evangelicae congruentem ducendam vocentur, ius habent ad educatio-

nem christianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam atque simul ad mysterium salutis cognoscendum et vivendum rite instruantur.

Can. 21 - Qui in scientias sacras incumbunt, iusta libertate fruuntur inquirendi necnon mentem suam prudenter in eis aperiendi, in quibus peritiam habent, servato debito erga magisterium Ecclesiae obsequio.

Can. 22 - Christifideles omnes ius habent, ut a quacumque coactione sint immunes in statu vitae eligendo.

Can. 23 - Nemini licet bonam famam, qua quis gaudet, illegitime laedere nec ius ullius personae ad propriam intimitatem tuendam violare.

Can. 24 - § 1. Christifidelibus competit, ut iura, quae in Ecclesia habent, legitime vindicent atque defendant in foro competenti ecclesiastico ad normam iuris.

§ 2. Christifidelibus ius quoque est, ut, si ad iudicium ab auctoritate competenti vocantur, iudicentur servatis iuris praescriptis cum aequitate applicandis.

§ 3. Christifidelibus ius est, ne poenis canonicis nisi ad normam legis puniantur.

Can. 25 - § 1. Christifideles obligatione tenentur necessitatibus subveniendi Ecclesiae, ut eidem praesto sint, quae ad fines ei proprios praesertim ad cultum divinum, ad opera apostolatus et caritatis atque ad congruam ministrorum sustentationem necessaria sunt.

§ 2. Obligatione quoque tenentur iustitiam socialem promovendi necnon ex propriis reditibus pauperibus subveniendi praecepti Domini memores.

Can. 26 - § 1. In iuribus suis exercendis christifideles et singuli et in consociationibus adunati rationem habere debent boni communis Ecclesiae necnon iurium aliorum atque suarum erga alios obligationum.

§ 2. Auctoritati ecclesiasticae competit intuitu boni communis exercitium iurium, quae christifidelibus sunt propria, moderari.

TITULUS II

DE ECCLESIIS SUI IURIS ET DE RITIBUS

Can. 27 - Coetus christifidelium hierarchia ad normam iuris iunctus, quem ut sui iuris expresse vel tacite agnoscit suprema Ecclesiae auctoritas, vocatur in hoc Codice Ecclesia sui iuris.

Can. 28 - § 1. Ritus est patrimonium liturgicum, theologicum, spirituale et disciplinare cultura ac rerum adiunctis historiae populorum distinctum, quod modo fidei vivendae uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris proprio exprimitur.

§ 2. Ritus, de quibus in Codice agitur, sunt, nisi aliud constat, illi, qui oriuntur ex traditionibus Alexandrina, Antiochena, Armena, Chaldaea et Constantinopolitana.

CAPUT I

DE ADSCRIPTIONE ALICUI ECCLESIAE SUI IURIS

Can. 29 - § 1. Filius, qui decimum quartum aetatis annum nondum explevit, per baptismum ascribitur Ecclesiae sui iuris, cui pater catholicus ascriptus est; si vero sola mater est catholica aut si ambo parentes concordi voluntate petunt, ascribitur Ecclesiae sui iuris, ad quam mater pertinet, salvo iure particulari a Sede Apostolica statuto.

§ 2. Si autem filius, qui decimum quartum aetatis annum nondum explevit, est :

1° a matre non nupta natus, ascribitur Ecclesiae sui iuris, ad quam mater pertinet ;

2° ignotorum parentum, ascribitur Ecclesiae sui iuris, cui ascripti sunt ii, quorum curae legitime commissus est ; si vero de patre et matre adoptantibus agitur, applicetur § 1;

3° parentum non baptizatorum, ascribitur Ecclesiae sui iuris, ad quam pertinet ille, qui eius educationem in fide catholica suscepit.

Can. 30 - Quilibet baptizandus, qui decimum quartum aetatis annum explevit, libere potest seligere quamcumque Ecclesiam sui iuris, cui per baptismum in eadem susceptum ascribitur, salvo iure particulari a Sede Apostolica statuto.

Can. 31 - Nemo quemvis christifidelem ad transitum ad aliam Ecclesiam sui iuris ullo modo inducere praesumat.

Can. 32 - § 1. Nemo potest sine consensu Sedis Apostolicae ad aliam Ecclesiam sui iuris valide transire.

§ 2. Si vero agitur de christifideli eparchiae alicuius Ecclesiae sui iuris, qui transire petit ad aliam Ecclesiam sui iuris, quae in eodem territorio propriam eparchiam habet, hic consensus Sedis Apostolicae praesumitur, dummodo Episcopi eparchiales utriusque eparchiae ad transitum scripto consentiant.

Can. 33 - Integrum est mulieri ad Ecclesiam sui iuris viri transire in matrimonio celebrando vel eo durante ; matrimonio autem soluto libere potest ad pristinam Ecclesiam sui iuris redire.

Can. 34 - Si ad aliam Ecclesiam sui iuris transeunt parentes vel in matrimonio mixto coniux catholicus, filii infra decimum quartum aetatis annum expletum ipso iure eidem Ecclesiae ascribuntur ; si vero in matrimonio inter catholicos unus tantum parentum ad aliam Ecclesiam sui iuris transit, filii transeunt solummodo, si ambo parentes consenserunt; expleto vero decimo quarto aetatis anno filii ad pristinam Ecclesiam sui iuris redire possunt.

Can. 35 - Baptizati acatholici ad plenam communionem cum Ecclesia catholica convenientes proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent, proinde ascribantur Ecclesiae sui iuris eiusdem ritus salvo iure adeundi Sedem Apostolicam in casibus specialibus personarum, communitatum vel regionum.

Can. 36 - Omnis transitus ad aliam Ecclesiam sui iuris vim habet a momento declarationis factae coram eiusdem Ecclesiae Hierarcha loci vel parocho proprio aut sacerdote ab alterutro delegato et duobus testibus, nisi rescriptum Sedis Apostolicae aliud fert.

Can. 37 - Omnis ascriptio alicui Ecclesiae sui iuris vel transitus ad aliam Ecclesiam sui iuris in libro baptizatorum paroeciae, etiam, si casus fert, Ecclesiae latinae, ubi baptismus celebratus est, adnotetur ; si vero fieri non potest, in alio documento in archivo paroeciali parochi proprii Ecclesiae sui iuris, cui ascriptio facta est, asservando.

Can. 38 - Christifideles Ecclesiarum orientalium, etsi curae Hierarchae vel parochi alterius Ecclesiae sui iuris commissi, tamen propriae Ecclesiae sui iuris permanent ascripti.

CAPUT II

DE RITIBUS SERVANDIS

Can. 39 - Ritus Ecclesiarum orientalium ut universae Ecclesiae Christi patrimonium, in quo elucet ea, quae ab Apostolis per Patres 'est traditio, et quod fidei catholicae divinam unitatem in varietate affirmat, religiose serventur et promoveantur.

Can. 40 - § 1. Hierarchae, qui Ecclesiis sui iuris praesunt, aliique Hierarchae omnes studiosissime curent fidelem custodiam et accuratam observantiam proprii ritus nec in eo mutationes admittant nisi ratione eius organici progressus, prae oculis tamen habentes mutuam benevolentiam et unitatem christianorum.

§ 2. Ceteri clerici et sodales institutorum vitae consecratae omnes proprium ritum fideliter observare necnon eius in dies maiorem cognitionem perfectioremque usum acquirere tenentur.

§ 3. Ceteri quoque christifideles proprii ritus cognitionem et aestimationem foveant eumque ubique observare tenentur, nisi iure aliquid excipitur.

Can. 41 - Christifideles cuiusvis Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, qui ratione officii, ministerii vel muneris frequentes cum christifidelibus alterius Ecclesiae sui iuris relationes habent, in cognitione et cultu ritus eiusdem Ecclesiae accurate pro gravitate ofiicii, ministerii vel muneris, quod implent, instituantur.

TITULUS III

DE SUPREMA ECCLESIAE AUCTORITATE

Can. 42 - Sicut statuente Domino sanctus Petrus et ceteri Apostoli unum Collegium constituunt, pari ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur.

CAPUT I

DE ROMANO PONTIFICE

Can. 43 - Ecclesiae Romanae Episcopus, in quo permanet munus a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum, Collegii Episcoporum est caput, Vicarius Christi atque universae Ecclesiae his in terris Pastor, qui ideo vi muneris sui suprema, plena, immediata et universali in Ecclesia gaudet potestate ordinaria, quam semper libere exercere potest.

Can. 44 - § 1. Supremam et plenam in Ecclesia potestatem Romanus Pontifex obtinet legitima electione ab ipso acceptata una cum ordinatione episcopali ; quare eandem potestatem obtinet a momento acceptationis electus ad summum pontificatum, qui episcopali charactere insignitus est; si vero charactere episcopali electus caret, statim ordinetur Episcopus.

§ 2. Si contingit, ut Romanus Pontifex muneri suo renuntiet, ad validitatem requiritur, ut renuntiatio libere fiat et rite manifestetur, non vero, ut a quopiam acceptetur.

Can. 45 - § 1. Romanus Pontifex vi sui muneris non modo in universam Ecclesiam potestate gaudet, sed et super omnes eparchias earumque coetus potestatis ordinariae obtinet principatum, quo quidem simul roboratur atque vindicatur potestas propria, ordinaria et immediata, quam in eparchiam suae curae commissam Episcopi habent.

§ 2. Romanus Pontifex in munere supremi universae Ecclesiae Pastoris explendo communione cum ceteris Episcopis immo et universa Ecclesia semper est coniunctus ; ipsi ius tamen est determinare secundum necessitates Ecclesiae modum sive personalem sive collegialem huius muneris exercendi.

§ 3. Contra sententiam vel decretum Romani Pontificis non datur appellatio neque recursus.

Can. 46 - § 1. In eius munere exercendo Romano Pontifici praesto sunt Episcopi, qui eidem cooperatricem operam dare possunt variis rationibus, inter quas est Synodus Episcoporum; auxilio praeterea ei sunt Patres Cardinales, Curia Romana, Legati pontificii necnon aliae personae itemque varia secundum necessitates temporum instituta; quae personae omnes et instituta nomine et auctoritate eiusdem munus sibi commissum explent in bonum omnium Ecclesiarum secundum normas ab ipso Romano Pontifice statutas.

§ 2. Patriarcharum ceterorumque Hierarcharum, qui Ecclesiis sui iuris praesunt, participatio in Synodo Episcoporum regitur normis specialibus ab ipso Romano Pontifice statutis.

Can. 47 - Sede Romana vacante aut prorsus impedita nihil innovetur in universae Ecclesiae regimine; serventur autem leges speciales pro eisdem adiunctis latae.

Can. 48 - Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat, Dicasteria aliaque Curiae Romanae instituta.

CAPUT II

DE COLLEGIO EPISCOPORUM

Can. 49 - Collegium Episcoporum, cuius caput est Romanus Pontifex cuiusque membra sunt Episcopi vi sacramentalis ordinationis et hierarchica communione cum Collegii capite et membris et in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum capite suo et numquam sine hoc capite subiectum quoque supremae et plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit.

Can. 50 - § 1. Potestatem in universam Ecclesiam Collegium Episcoporum sollemni modo exercet in Concilio Oecumenico.

§ 2. Eandem potestatem Collegium Episcoporum exercet per unitam Episcoporum in mundo dispersorum actionem, quae ut talis a Romano Pontifice est indicta aut libere recepta ita, ut verus actus collegialis efiiciatur.

§ 3. Romani Pontificis est secundum necessitates Ecclesiae seligere et promovere modos, quibus Collegium Episcoporum munus suum in universam Ecclesiam collegialiter exercet.

Can. 51 - § 1. Solius Romani Pontificis est Concilium Oecumenicum convocare, eidem per se vel per alios praeesse, item Concilium transferre, suspendere vel dissolvere eiusque decreta confirmare.

§ 2. Eiusdem Romani Pontificis est res in Concilio Oecumenico tractandas determinare atque ordinem in eodem Concilio servandum constituere; propositis a Romano Pontifice quaestionibus Patres Concilii Oecumenici alias addere possunt ab eodem Romano Pontifice approbandas.

Can. 52 - § 1. Ius et obligatio est omnibus et solis Episcopis, qui membra sunt Collegii Episcoporum, ut Concilio Oecumenico cum suffragio deliberativo intersint.

§ 2. Ad Concilium Oecumenicum insuper aliquot, qui episcopali dignitate non sunt insigniti, vocari possunt a suprema Ecclesiae auctoritate, cuius est eorum partes in Concilio determinare.

- Can. 53 - Si contingit, ut Sedes Apostolica durante Concilii Oecumenici celebratione vacet, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Romanus Pontifex Concilium Oecumenicum continuari iusserit aut dissolverit.

Can. 54 - § 1. Concilii Oecumenici decreta vim obligandi non habent, nisi una cum Concilii Patribus a Romano Pontifice approbata ab eodem sunt confirmata et eiusdem iussu promulgata.

§ 2. Hac confirmatione et promulgatione, vim obligandi ut habeant, etiam egent decreta, quae fert Collegium Episcoporum, cum actionem proprie collegialem ponit secundum alium a Romano Pontifice indictum vel libere receptum modum.

TITULUS IV

DE ECCLESIIS PATRIARCHALIBUS

Can. 55 - Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem iam a primis Conciliis Oecumenicis agnitam viget in Ecclesia institutio patriarchalis ; quare singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum orientalium Patriarchae, qui suae quisque Ecclesiae patriarchali tamquam pater et caput praesunt.

Can. 56 - Patriarcha est Episcopus, cui competit potestas in omnes Episcopos non exceptis Metropolitis ceterosque christifideles Ecclesiae, cui praeest, ad normam iuris a suprema Ecclesiae auctoritate approbati.

Can. 57 - § 1. Erectio, restitutio, immutatio et suppressio Ecclesiarum patriarchalium supremae Ecclesiae auctoritati reservatur.

§ 2. Titulum unicuique Ecclesiae patriarchali legitime agnitum vel concessum tantum suprema Ecclesiae auctoritas immutare potest.

§ 3. Ecclesia patriarchalis intra fines proprii territorii habere debet fixam sedem residentiae Patriarchae in civitate principe, ex qua Patriarcha titulum desumit, si fieri potest, constitutam; haec sedes transferri non potest nisi gravissima de causa, de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis et habito Romani Pontificis assensu.

Can. 58 - Patriarchae Ecclesiarum orientalium ubique terrarum praecedunt omnes Episcopos cuiuscumque gradus salvis normis specialibus de praecedentia a Romano Pontifice statutis.

Can. 59 - § 1. Patriarchae Ecclesiarum orientalium, etsi alii aliis tempore posteriores, omnes aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis salva inter se honoris praecedentia.

§ 2. Ordo praecedentiae inter antiquas Sedes patriarchales Ecclesiarum orientalium est, ut primo loco veniat Sedes Constantinopolitana, post eam Alexandrina, deinde Antiochena et denique Hierosolymitana.

§ 3. Inter ceteros Patriarchas Ecclesiarum orientalium praecedentia ordinatur secundum antiquitatem Sedis patriarchalis.

§4. Inter Patriarchas Ecclesiarum orientalium, qui unius eiusdemque sunt tituli, diversis tamen Ecclesiis patriarchalibus praesunt, praecedentiam obtinet, qui prius promotus est ad dignitatem patriarchalem.

Can. 60 - § 1. Patriarcha in ecclesiis, quae christifidelibus Ecclesiae, cui praeest, destinatae sunt, et in celebrationibus liturgicis eiusdem Ecclesiae praecedit ceteros Patriarchas, etsi sunt Sedis titulo potiores vel promotione seniores.

§ 2. Patriarcha, qui actu potestatem patriarchalem obtinet, praecedit illos, qui titulum Sedis patriarchalis olim habitae adhuc servant.

Can. 61 - Patriarcha procuratorem apud Sedem Apostolicam habere potest a se de assensu praevio Romani Pontificis nominatum.

Can. 62 - Patriarcha, qui suo officio renuntiavit, suum titulum et honores in celebrationibus liturgicis praesertim servat itemque ius habet, ut sibi digna sedes habitationis de suo consensu assignetur atque media ex bonis Ecclesiae patriarchalis praebeantur, quibus suae sustentationi proprio titulo congruae provideatur firmo circa praecedentiam can. 60, § 2.

CAPUT I
DE ELECTIONE PATRIARCHARUM

Can. 63 - Patriarcha canonice eligitur in Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

Can. 64 - Iure particulari recenseantur ea, quae requiruntur, ut quis ad patriarchalem dignitatem idoneus habeatur, salvis semper eis, quae in can. 180 praescribuntur.

Can. 65 - § 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis coadunari debet in patriarchali residentia aut in alio loco ab Administratore Ecclesiae patriarchalis de consensu Synodi permanentis designando.

§ 2. Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis coadunatio fieri debet intra mensem a Sedis patriarchalis vacatione computandum firmo iure particulari longius tempus, non autem ultra bimestre, statuente.

Can. 66 - § 1. In electione Patriarchae voce activa fruuntur omnia et sola Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis membra.

§ 2. Vetitum est quemlibet alium praeter Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis membra electioni Patriarchae in aula interesse eis clericis exceptis, qui ad normam can. 71, § 1 ut scrutatores vel actuarius Synodi assumuntur.

§ 3. Nemini licet ullo modo sive ante Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis sive ea durante electioni Patriarchae se immiscere.

Can. 67 - In electione Patriarchae servari debent cann. 947 - 957 reprobata contraria consuetudine, nisi aliud iure communi statutum est.

Can. 68 - § 1. Omnes Episcopi legitime convocati gravi obligatione tenentur, ut intersint electioni.

§ 2. Si quis Episcopus iusto impedimento se detineri existimat, scripto suas rationes aperiat Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis; de legitimitate impedimenti decidere est Episcoporum, qui in loco designato initio sessionum Synodi praesentes sunt.

Can. 69 - Convocatione canonice facta, si duae ex tribus partibus Episcoporum, qui tenentur Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis interesse, demptis eis, qui legitimo sunt impedimento detenti, in loco designato praesentes sunt, Synodus canonica declaretur et ad electionem procedi potest.

Can. 70 - Nisi ius particulare aliud statuit, Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis de eligendo Patriarcha praeest, qui inter praesentes in prima sessione electus est; interim praesidentia Administratori Ecclesiae patriarchalis reservatur.-

Can. 71 - § 1. Scrutatores et actuarius ad normam iuris particularis assumi possunt etiam inter presbyteros et diaconos.

§ 2. Circa ea, quae scrutinia directe vel indirecte respiciunt, omnes, qui Synodo intersunt, gravi obligatione tenentur servandi secretum.

Can. 72 - § 1. Is electus est, qui duas ex tribus partibus suffragiorum rettulit, nisi iure particulari statuitur, ut post congruum numerum scrutiniorum, saltem trium, sufficiat pars absolute maior suffragiorum et ad normam can. 183, §§ 3 et 4 electio perficiatur.

§ 2. Si electio intra quindecim dies ab inita Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis computandos non peragitur, res ad Romanum Pontificem devolvitur.

Can. 73 - Electio, si electus est saltem Episcopus legitime proclamatus, statim a praeside vel, si praeses est electus, ab Episcopo ordinatione episcopali seniore totius Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis nomine formula modoque in propria Ecclesia patriarchali receptis intimanda est electo ; si vero electus nondum est Episcopus legitime proclamatus, secreto servato ab omnibus, qui quomodolibet electionis exitum noverunt, etiam erga electum, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis suspenditur et intimatio fiat, si omnia canonibus ad proclamationem episcopalem requisita peracta sunt.

Can. 74 — Electus intra biduum utile ab intimatione computandum manifestare debet, num electionem acceptet ; si vero non acceptat aut si intra biduum non respondet, omne ius ex electione quaesitum amittit.

Can. 75 - Si electus acceptavit et est Episcopus ordinatus, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis procedat secundum praescripta librorum liturgicorum ad eius ut Patriarchae proclamationem et inthronizationem ; si vero electus nondum est Episcopus ordinatus, inthronizatio valide fieri non potest, antequam electus ordinationem episcopalem suscepit.

Can. 76 - § 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis per synodicas litteras Romanum Pontificem quam primum certiorem faciat de electione et de inthronizatione canonice peractis atque de professione fidei deque promissione fideliter officium suum implendi a novo Patriarcha coram Synodo secundum probatas formulas emissis; synodicae litterae de electione peracta mittantur quoque ad Patriarchas aliarum Ecclesiarum orientalium.

§ 2. Novus Patriarcha per litteras manu propria subscriptas quam primum expostulare debet a Romano Pontifice ecclesiasticam communionem.

Can. 77 - § 1. Patriarcha canonice electus valide exercet suum officium tantummodo ab inthronizatione, qua pleno iure officium obtinet.

§ 2. Patriarcha, antequam communionem ecclesiasticam a Romano Pontifice accepit, ne Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis convocet neque Episcopos ordinet.

CAPUT II

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS PATRIARCHARUM

Can. 78 - § 1. Potestas, quae Patriarchae ad normam canonum et legitimarum consuetudinum in Episcopos ceterosque christifideles Ecclesiae, cui praeest, competit, est ordinaria et propria, sed ita personalis, ut non possit Vicarium pro tota Ecclesia patriarchali constituere aut potestatem suam alicui ad universitatem casuum delegare.

§ 2. Potestas Patriarchae exerceri valide potest intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis tantum, nisi aliter ex natura rei aut iure communi vel particulari a Romano Pontifice approbato constat.

Can. 79 - In omnibus negotiis iuridicis Ecclesiae patriarchalis Patriarcha eiusdem personam gerit.

Can. 80 - Patriarchae est :

1° Metropolitae iura exercere et obligationes implere in omnibus locis, ubi provinciae erectae non sunt ;

2° neglegentiam Metropolitanum ad normam iuris supplere;

3° sede metropolitana vacante Metropolitae iura exercere et obligationes implere in tota provincia;

4° Metropolitam, qui oeconomum ad normam can. 262, § 1 non nominavit, monere ; monitione in cassum facta oeconomum per se ipsum nominare.

Can. 81 - Romani Pontificis acta ad Ecclesiam patriarchalem pertinentia Episcopis eparchialibus aliisve, ad quos pertinent, per Patriarcham nota fiant, nisi Sedes Apostolica in casu directe providit.

Can. 82 - § 1. Patriarcha proprio iure potest:

1° decreta ferre intra ambitum suae competentiae, quibus pressius determinantur modi in lege applicanda servandi aut legum observantia urgetur ;

2° instructiones ad christifideles totius Ecclesiae, cui praeest, dirigere ad sanam doctrinam exponendam, pietatem fovendam, abusus corrigendos et exercitia, quae spirituale christifidelium bonum foveant, approbanda et commendanda;

3° litteras encyclicas toti Ecclesiae, cui "praeest, dare circa quaestiones propriam Ecclesiam et ritum respicientes.

§ 2. Patriarcha Episcopis ceterisque clericis necnon sodalibus institutorum vitae consecratae totius Ecclesiae, cui praeest, praecipere potest, ut sua decreta, instructiones atque litterae encyclicae in propriis ecclesiis vel domibus publice legantur et exponantur.

§ 3. Patriarcha in omnibus, quae totam Ecclesiam, cui praeest, vel graviora negotia respiciunt, ne omittat audire Synodum permanentem vel Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel etiam conventum patriarchalem.

Can. 83 - § 1. Salvo iure et obligatione Episcopi eparchialis canonice visitandi propriam eparchiam Patriarcha ius et obligationem habet in eadem eparchia visitationem pastoralem peragendi temporibus iure particulari statutis.

§ 2. Patriarcha potest gravi de causa et de consensu Synodi permanentis aliquam ecclesiam, civitatem, eparchiam per se aut per alium Episcopum visitare et tempore huius visitationis omnia, quae in visitatione canonica Episcopo eparchiali competunt, peragere.

Can. 84 - § 1. Maxime curet Patriarcha, ut sive ipse sive Episcopi eparchiales Ecclesiae, cui praeest, collatis consiliis, praesertim in conventibus iure praevisis, cum Patriarchis ac Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris, qui in eodem territorio potestatem suam exercent, unitatem actionis inter se ceterosque christifideles cuiuscumque Ecclesiae sui iuris promoveant et viribus unitis communia adiuvent opera ad bonum religionis expeditius promovendum, ad disciplinam ecclesiasticam efficacius tuendam necnon ad omnium christianorum unitatem concorditer fovendam.

§ 2. Foveat quoque Patriarcha frequentes collationes inter Hierarchas ceterosque christifideles, quos pro sua prudentia convocandos censet, de rebus pastoralibus aliisque negotiis, quae aut totam Ecclesiam, cui praeest, aut aliquam provinciam vel regionem respiciunt.

Can. 85 - § 1. Patriarcha gravi de causa, de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis et consulta Sede Apostolica potest provincias et eparchias erigere, aliter circumscribere, unire, dividere, supprimere earumque gradum hierarchicum immutare et sedem eparchialem transferre.

§ 2. Patriarchae de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis competit :

1° Episcopo eparchiali Episcopum coadiutorem vel Episcopum auxiliarem dare servatis cann. 181, § 1, 182 - 187 et 212 ;

2° gravi de causa Metropolitam vel Episcopum eparchialem aut titularem ad aliam sedem metropolitanam, eparchialem vel titularem transferre; si quis renuit, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis rem dirimat vel ad Romanum Pontificem deferat.

§ 3. Patriarcha de consensu Synodi permanentis potest exarchias erigere, immutare et supprimere.

§ 4. De his decisionibus Patriarcha quam primum Sedem Apostolicam certiorem faciat.

Can. 86 - § 1. Patriarchae competit :

1° Metropolitae vel Episcopo litteras patriarchales de provisione canonica dare ;

2° ordinare Metropolitas per se vel, si impeditus est, per alios Episcopos necnon, si ius particulare ita fert, ordinare etiam omnes Episcopos;

3° Metropolitam post ordinationem episcopalem inthronizare.

§ 2. Ipso iure Patriarchae facultas datur Metropolitas ceterosque Episcopos Ecclesiae, cui praeest, a Romano Pontifice extra fines territorii eiusdem Ecclesiae constitutos ordinandi et inthronizandi, nisi aliud in casu speciali expresse statuitur.

§ 3. Ordinatio episcopalis et inthronizatio fieri debent intra terminos iure statutos, litterae patriarchales vero de provisione canonica intra decem dies post electionis proclamationem dandae sunt; de ordinatione episcopali et de inthronizatione Sedes Apostolica quam primum certior fiat.

Can. 87 - Patriarcha potest curare, ut in Synodo .Episcoporum Ecclesiae patriarchalis ad normam cann. 181, § 1 et 182 - 187 eligantur, dummodo congruae eorum sustentationi provisum sit, aliquot Episcopi curiae patriarchalis, non tamen ultra tres, quibus officium cum residentia in curia patriarchali conferat, eosque potest peractis omnibus ad proclamationem episcopalem requisitis ordinare.

Can. 88 - § 1. Episcopi Ecclesiae patriarchalis Patriarchae honorem et obsequium exhibeant debitamque oboedientiam praestent; Patriarcha vero eosdem Episcopos, qua par est reverentia, prosequatur et fraterna caritate complectatur.

§ 2. Patriarcha curet, ut controversiae, quae inter Episcopos forte oriuntur, componantur firmo iure eas quolibet tempore ad Romanum Pontificem deferendi.

Can. 89 - § 1. Patriarchae ius et obligatio est omnibus clericis ad normam iuris vigilandi ; si quis poenam mereri videtur, Hierarcham, cui clericus immediate subditus est, moneat et monitione in cassum facta in clericum ipse ad normam iuris procedat.

§ 2. Munus expediendi negotia, quae totam Ecclesiam patriarchalem respiciunt, Patriarcha committere potest clerico cuilibet consulto eius Episcopo eparchiali vel, si de sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum agitur, eius Superiore maiore, nisi ius particulare Ecclesiae patriarchalis eorundem consensum requirit; hunc clericum potest etiam munere durante sibi immediate subdere.

§ 3. Patriarcha conferre potest dignitatem in propria Ecclesia patriarchali receptam cuilibet clerico firmo can. 430, dummodo accedat consensus scripto datus Episcopi eparchialis, cui clericus subditus est, vel, si de sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum agitur, eius Superioris maioris.

Can. 90 - Patriarcha gravi de causa potest consulto Episcopo eparchiali atque de consensu Synodi permanentis locum vel personam iuridicam, quae non ad institutum religiosum pertinet, in ipso actu erectionis a potestate Episcopi eparchialis eximere sibique immediate subicere, quod attinet ad administrationem bonorum temporalium necnon ad personas eidem loco vel personae iuridicae addictas in eis omnibus, quae ad earum munus vel officium spectant.

Can. 91 - Patriarcha commemorari debet in Divina Liturgia et in laudibus divinis post Romanum Pontificem ab omnibus Episcopis ceterisque clericis secundum praescripta librorum liturgicorum.

Can. 92 - § 1. Patriarcha manifestet communionem hierarchicam cum Romano Pontifice, sancti Petri successore, per fidelitatem, venerationem et oboedientiam, quae debentur supremo universae Ecclesiae Pastori.

§ 2. Patriarcha commemorationem Romani Pontificis in signum plenae communionis cum eo in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum debet facere et curare, ut ab omnibus Episcopis ceterisque clericis Ecclesiae, cui praeest, fideliter fiat.

§ 3. Patriarchae cum Romano Pontifice frequens sit consuetudo ac secundum normas specialiter statutas ei relationem de statu Ecclesiae, cui praeest, exhibeat necnon intra annum a sua electione, deinde pluries durante munere visitationem ad Urbem peragat sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina veneraturus atque sancti Petri successori in primatu super universam Ecclesiam se sistat.

Can. 93 - Patriarcha resideat in sede suae residentiae, a qua ne absit nisi canonica ex causa.

Can. 94 - Divinam Liturgiam pro populo totius Ecclesiae, cui praeest, Patriarcha celebrare debet diebus festis iure particulari statutis.

Can. 95 - § 1. Episcoporum eparchialium obligationes, de quibus in can. 196, tenent etiam Patriarcham firmis de cetero singulorum Episcoporum obligationibus.

§ 2. Patriarcha curet, ut Episcopi eparchiales muneri pastorali fideliter satisfaciant et in eparchia, quam regunt, resideant; eorum zelum excitet; si in aliqua re graviter offenderunt, eos consulta, nisi periculum in mora est, Synodo permanenti monere ne ommittat et, si monitiones optatum effectum non sortiuntur, rem ad Romanum Pontificem deferat.

Can. 96 - Circa orationes et pietatis exercitia, dummodo proprio ritui consonent, Patriarcha in tota Ecclesia, cui praeest, eadem potest ac Hierarchae loci.

Can. 97 - Patriarcha diligenter vigilare debet rectae administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum firma primaria singulorum Episcoporum eparchialium obligatione, de qua in can. 1022, § 1.

Can. 98 - Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis et praevio assensu Romani Pontificis conventiones iuri a Sede Apostolica statuto non contrarias cum auctoritate civili inire potest; easdem autem conventiones Patriarcha ad effectum ducere non potest nisi obtenta Romani Pontificis approbatione.

Can. 99 - § 1. Patriarcha curet, ut Statuta personalia in regionibus, in quibus vigent, ab omnibus serventur.

§ 2. Si plures Patriarchae eodem in loco potestate in Statutis personalibus agnita vel concessa utuntur, expedit, ut in negotiis maioris momenti collatis consiliis agant.

Can. 100 - Negotia, quae plures eparchias respiciunt et auctoritatem civilem tangunt, Patriarcha ad se advocare potest; statuere autem de eisdem non potest nisi consultis Episcopis eparchialibus, quorum interest, et de consensu Synodi permanentis; si vero res urget nec suppetit tempus ad coadunandos Episcopos Synodi permanentis membra, horum vices in casu gerunt Episcopi curiae patriarchalis, si habentur, secus vero duo Episcopi eparchiales ordinatione episcopali seniores.

Can. 101 - Patriarcha in propria eparchia, in monasteriis stauropegiacis itemque in locis, ubi nec eparchia nec exarchia erecta est, eadem iura et obligationes habet ac Episcopus eparchialis.

CAPUT III

DE SYNODO EPISCOPORUM ECCLESIAE PATRIARCHALIS

Can. 102 - § 1. Ad Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vocari debent omnes et soli Episcopi ordinati eiusdem Ecclesiae ubicumque constituti exclusis eis, de quibus in can. 953, § 1, vel eis, qui poenis canonicis, de quibus in cann. 1433 et 1434, puniti sunt.

§ 2. Quod attinet ad Episcopos eparchiales extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constitutos et ad Episcopos titulares, ius particulare eorum suffragium deliberativum coartare potest firmis vero canonibus de electione Patriarchae, Episcoporum et candidatorum ad officia, de quibus in can. 149.

§ 3. Pro certis negotiis expediendis a Patriarcha ad normam iuris particularis vel de consensu Synodi permanentis alii invitari possunt praesertim Hierarchae non Episcopi ac periti ad suas opiniones Episcopis in Synodo congregatis manifestandas firmo can. 66, § 2.

Can. 103 - Patriarchae est Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis convocare eique praeesse.

Can. 104 - § 1. Omnes Episcopi ad Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis legitime vocati gravi obligatione tenentur, ut eidem Synodo intersint eis exceptis, qui officio suo iam renuntiaverunt.

§ 2. Si quis Episcopus iusto impedimento se detineri existimat, scripto suas rationes aperiat Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis ; de legitimitate impedimenti decidere est Episcoporum, qui in loco designato initio sessionum Synodi praesentes sunt.

Can. 105 - Pro Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis nemo ex eiusdem Synodi membris procuratorem sui loco mittere potest nec quisquam plura suffragia habet.

Can. 106 - § 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis convocari debet, quoties :

1° expedienda sunt negotia, quae ad exclusivam competentiam Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis pertinent aut pro quibus peragendis consensus eiusdem Synodi requiritur;

2° Patriarcha de consensu Synodi permanentis id necessarium iudicat;

3° tertia saltem pars membrorum pro dato negotio id postulat salvis semper iuribus Patriarcharum, Episcoporum aliarumque personarum iure communi statutis.

§ 2. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis praeterea convocari debet, si ius particulare ita fert, statis temporibus, etiam quotannis.

Can. 107 - § 1. Nisi ius particulare maiorem praesentiam exigit et firmis cann. 69, 149 et 183, § 1, quaelibet sessio Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis canonica atque singulum scrutinium validum est, si maior pars Episcoporum, qui tenentur eidem Synodo interesse, praesens est.

§ 2. Firmis cann. 72, 149 et 183, §§ 3 et 4 integrum est Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis latis normis statuere, quot suffragia et scrutinia requirantur, ut decisiones synodales vim iuris obtineant; secus servari debet can. 924.

Can. 108 - § 1. Patriarchae est Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis aperire necnon de eiusdem Synodi consensu transferre, prorogare, suspendere et dissolvere.

§ 2. Patriarchae quoque est praeauditis Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis membris ordinem servandum in quaestionibus examinandis praeparare atque approbationi Synodi initio sessionum subicere.

§ 3. Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis durante singuli Episcopi propositis quaestionibus possunt alias addere, si saltem tertia pars membrorum, quae Synodo intersunt, consentit.

Gan. 109 - Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis incohata nemini Episcoporum licet discedere a Synodi sessionibus nisi iusta de causa a Synodo approbata.

Can. 110 - § 1. Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis exclusive competit leges ferre pro tota Ecclesia patriarchali, quae vim obtinent ad normam can. 150, §§ 2 et 3.

§ 2. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis est tribunal ad normam can. 1062.

§ 3. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis electionem Patriarchae, Episcoporum et candidatorum ad officia, de quibus in can. 149, peragit.

§ 4. Actus administrativi Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis non competunt, nisi pro certis actibus Patriarcha aliud statuit aut iure communi actus aliqui eidem Synodo reservantur et firmis canonibus, qui consensum Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis requirunt.

Can. 111 - § 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis designat modum et tempus promulgationis legum et publicationis decisionum.

§ 2. Item de secreto servando circa acta et negotia tractata Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis est decidendum salva obligatione secretum servandi in casibus iure communi statutis.

§ 3. Acta de legibus ac decisionibus quam primum Romano Pontifici mittantur; certa acta vel etiam omnia cum ceteris Ecclesiarum orientalium Patriarchis de iudicio eiusdem Synodi communicentur.

Can. 112 - § .1. Patriarchae competit promulgatio legum et publicatio decisionum Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

§ 2. Interpretatio authentica legum Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis usque ad futuram Synodum Patriarchae consulta Synodo permanenti competit.

Can. 113 - Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis sua conficiat statuta, in quibus provideatur de secretaria Synodi, de commissionibus praeparatoriis, de ordine procedendi necnon de aliis mediis, quae fini consequendo efficacius consulant.

CAPUT IV

DE CURIA PATRIARCHALI

Can. 114 - § 1. Patriarcha penes suam Sedem habere debet curiam patriarchalem a curia eparchiae Patriarchae distinctam, quae constat ex Synodo permanenti, Episcopis curiae patriarchalis, tribunali ordinario Ecclesiae patriarchalis, oeconomo patriarchali, cancellario patriarchali, commissione de re liturgica necnon aliis commissionibus, quae iure curiae patriarchali adiunguntur.

§ 2. Personae ad curiam patriarchalem pertinentes a Patriarcha ex clericis totius Ecclesiae, cui praeest, seligi possunt consulto eorum Episcopo eparchiali vel, si de sodalibus instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum agitur, eorum Superiore maiore.

§ 3. Officia utriusque curiae Patriarchae, quatenus fieri potest, in eisdem personis ne cumulentur.

Can. 115 - § 1. Synodus permanens constat ex Patriarcha et quattuor Episcopis ad quinquennium designatis.

§ 2. Horum Episcoporum tres a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis eliguntur, inter quos saltem duo ex Episcopis eparchialibus esse debent, unus vero a Patriarcha nominatur.

§ 3. Eodem tempore ac modo designentur quattuor, quatenus fieri potest, Episcopi, qui ex ordine a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis determinato Synodi permanentis membra impedita alternatim substituant.

Can. 116 - § 1. Patriarchae est Synodum permanentem convocare eique praeesse.

§ 2. Si Patriarcha impeditur, ne Synodo permanenti intersit, Synodi sessionibus praeest Episcopus ordinatione episcopali senior inter Synodi membra redintegrata quinario numero ad normam can. 115, § 3.

§ 3. Si Synodus permanens definire debet negotium, quod personam alicuius Episcopi, qui membrum eiusdem Synodi est, vel eius eparchiam aut officium tangit, hic quidem audiendus est, sed in Synodo ei substituatur alius Episcopus ad normam can. 115, § 3.

Can. 117 - Praeses et omnia alia membra Synodi permanentis, quae Synodo interfuerunt, actis Synodi subscribere debent.

Can. 118 - Suffragia in Synodo permanenti debent esse secreta, si de personis agitur; in ceteris vero casibus, si saltem unum ex membris id expresse petivit.

Can. 119 - Si quod negotium ad Synodi permanentis competentiam pertinens definiendum est, dum locum habet Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, decisio de hoc negotio Synodo permanenti reservatur, nisi Patriarcha de consensu Synodi permanentis decisionem Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis committere opportunum iudicat.

Can. 120 - Synodus permanens convocari debet statis temporibus, saltem bis in anno, et, quoties Patriarcha id opportunum censet, et, quoties expedienda sunt negotia, ad quae ius commune requirit consensum vel consilium eiusdem Synodi.

Can. 121 - Si gravi de causa de iudicio Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis Synodus permanens constitui non potest, Sedes Apostolica certior fiat et Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis eligat duos Episcopos, quorum unus ex Episcopis eparchialibus esse debet, qui cum Patriarcha causa perdurante Synodi permanentis vices gerunt.

Can. 122 - § 1. Pro administratione bonorum Ecclesiae patriarchalis Patriarcha de consensu Synodi permanentis nominet oeconomum patriarchalem ab oeconomo eparchiae Patriarchae distinctum, qui sit christifidelis in re oeconomica peritus et probitate praestans excluso vero ad validitatem eo, qui cum Patriarcha consanguinitate vel aifinitate usque ad quartum gradum inclusive coniunctus est.

§ 2. Oeconomus patriarchalis nominatur ad tempus iure particulari determinatum ; munere durante a Patriarcha amoveri non potest nisi de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis aut, si periculum in mora est, Synodi permanentis.

§ 3. Oeconomus patriarchalis rationem administrationis exeuntis anni necnon praevisionem accepti et expensi anni incipientis Synodo permanenti quotannis scripto reddere debet; ratio administrationis reddenda est etiam, quoties a Synodo permanenti petitur.

§ 4. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis potest rationem administrationis necnon praevisionem accepti et expensi ab oeconomo patriarchali exquirere et proprio examini subicere.

Can. 123 - § 1. In curia patriarchali nominetur a Patriarcha presbyter vel diaconus omni exceptione maior, qui ut cancellarius patriarchalis cancellariae patriarchali et archivo curiae patriarchalis praeest a vices gerente, si casus fert, a Patriarcha nominato adiutus.

§ 2. Praeter cancellarium eiusque vices gerentem, qui ex officio suo notarii sunt, Patriarcha alios quoque notarios pro tota Ecclesia, cui praeest, nominare potest, quibus omnibus cann. 253 et 254 applicentur; quos notarios etiam libere ab ofiicio amovere potest.

§ 3. Circa archivum curiae patriarchalis serventur cann. 256 - 260.

Can. 124 - Commissio liturgica;, quae in omni Ecclesia patriarchali haberi debet, ceteraeque commissiones pro Ecclesiis sui iuris praescriptae a Patriarcha eriguntur, ex personis a Patriarcha nominatis constituuntur necnon normis ab ipso statutis reguntur, nisi aliter iure cavetur.

Can. 125 - Expensae curiae patriarchalis solvantur ex bonis, quibus Patriarcha ad hunc finem uti potest ; si haec non sufficiunt, singulae eparchiae pro mensura a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis determinanda ad expensas solvendas concurrant.

CAPUT V

DE SEDE PATRIARCHALI VACANTE VEL IMPEDITA

Can. 126 - § 1. Sedes patriarchalis vacat morte aut renuntiatione Patriarchae.

§ 2. Ad acceptationem renuntiationis Patriarchae competens est Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis consulto Romano Pontifice, nisi Patriarcha Romanum Pontificem directe adiit.

Can. 127 - Nisi ius particulare aliud fert, Sede patriarchali vacante Administrator Ecclesiae patriarchalis est Episcopus ordinatione episcopali senior inter Episcopos curiae patriarchalis vel, si desunt, inter Episcopos, qui membra sunt Synodi permanentis.

Can. 128 - Administratoris Ecclesiae patriarchalis est ;

I° notitiam de Sedis patriarchalis vacatione statim cum Romano Pontifice necnon cum omnibus Episcopis Ecclesiae patriarchalis communicare ;

2° normas speciales, quas pro diversis adiunctis, in quibus Sedis patriarchalis vacatio locum habuit, ius commune vel particulare aut Romani Pontificis instructio, si qua datur, praescribit, accurate exsequi vel curare, ut alii eas exsequantur; .

3° Episcopos ad Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis de eligendo Patriarcha convocare et cetera omnia ad eandem Synodum necessaria disponere.

Can. 129 - Administrator Ecclesiae patriarchalis in eparchia Patriarchae, in monasteriis stauropegiacis itemque in locis, ubi nec eparchia nec exarchia erecta est, eadem iura et obligationes habet ac Administrator eparchiae vacantis.

Can. 130 - § 1. Ad Administratorem Ecclesiae patriarchalis transit potestas ordinaria Patriarchae eis omnibus exclusis, quae agi non possunt nisi de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

§ 2. Administrator Ecclesiae patriarchalis non potest Protosyncellum vel Syncellos eparchiae Patriarchae ab officio amovere nec Sede patriarchali vacante quicquam innovare.

§ 3. Etsi praerogativis Patriarchae caret, Administrator Ecclesiae patriarchalis praecedit omnes Episcopos eiusdem Ecclesiae, non autem in Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis de eligendo Patriarcha.

Can. 131 - Administrator Ecclesiae patriarchalis rationem suae administrationis novo Patriarchae quam primum reddere debet.

Can. 132 - § 1. Sede patriarchali quacumque de causa ita impedita, ut Patriarcha ne per litteras quidem cum Episcopis eparchialibus Ecclesiae, cui praeest, communicare possit, regimen Ecclesiae patriarchalis est ad normam can. 130 penes Episcopum eparchialem intra fines territorii eiusdem Ecclesiae ordinatione episcopali seniorem, qui ipse impeditus non est, nisi Patriarcha alium Episcopum vel in casu extremae necessitatis etiam presbyterum designavit.

§ 2. Patriarcha ita impedito, ut ne per litteras quidem cum christifidelibus propriae eparchiae communicare possit, regimen eiusdem eparchiae est penes Protosyncellum ; si vero et ipse impeditus est, penes illum, quem designavit Patriarcha vel is, qui Ecclesiam patriarchalem interim regit.

§ 3. Qui regimen interim suscepit, Romanum Pontificem quam primum de Sede patriarchali impedita et de assumpto regimine certiorem faciat.

CAPUT VI

DE METROPOLITIS ECCLESIAE PATRIARCHALIS

Can. 133 - § 1. Metropolitae, qui alicui provinciae intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis praeest, in eparchiis huius provinciae praeter alia, quae iure communi ei tribuuntur, est :

1° Episcopos provinciae intra tempus iure determinatum ordinare et inthronizare firmo can. 86, § 1, n. 2 ;

2° Synodum metropolitanam temporibus a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutis convocare, quaestiones in ea tractandas opportune instruere, Synodo praeesse, eam transferre, prorogare, suspendere et dissolvere ;

3° tribunal metropolitanum erigere ;

4? vigilare, ut fides et disciplina ecclesiastica accurate serventur;

5° visitationem canonicam peragere, si eam Episcopus eparchialis neglexit;

6° eum, qui legitime ad officium propositus vel electus est, nominare vel confirmare, si Episcopus eparchialis intra tempus iure statutum iusto impedimento non detentus id facere omisit, itemque oeconomum eparchialem nominare, si Episcopus eparchialis monitus eum nominare neglexit.

§ 2. In omnibus negotiis iuridicis provinciae Metropolita eiusdem personam gerit.

Can. 134 - § 1. Metropolitae dignitas semper coniuncta est cum sede eparchiali determinata.

§ 2. Metropolita in propria eparchia eadem iura et obligationes habet ac Episcopus eparchialis in sua.

Can. 135 - Metropolita commemorandus est ab omnibus Episcopis ceterisque clericis in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum.

Can. 136 - Metropolita, qui praeest provinciae, praecedit ubique Metropolitam titularem.

Can. 137 - Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis pressius determinet iura et obligationes Metropolitarum et Synodorum metropolitanarum secundum legitimas consuetudines propriae Ecclesiae patriarchalis necnon temporum et locorum adiuncta.

Can. 138 - Iura et obligationes Metropolitae extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constituti eadem sunt ac in can. 133, § 1, nn. 2 - 6 et § 2 necnon in cann. 135, 136, 160 et 1084, § 3 praescribuntur; circa cetera iura et obligationes Metropolita servat normas speciales a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis propositas et a Sede Apostolica approbatas vel ab ipsa hac Sede statutas.

Can. 139 - Episcopus eparchialis, qui extra fines territorii propriae Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercet et ad nullam provinciam pertinet, aliquem Metropolitam consulto Patriarcha et cum approbatione Sedis Apostolicae designet; huic Metropolitae competunt iura et obligationes, de quibus in can. 133, § 1, nn. 3-6.

CAPUT VII
DE CONVENTU PATRIARCHALI

Can. 140 - Conventus patriarchalis est coetus consultivus totius Ecclesiae, cui Patriarcha praeest, qui Patriarchae atque Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis adiutricem operam praestat in negotiis maioris momenti gerendis praesertim ad apostolatus formas ac rationes necnon disciplinam ecclesiasticam cum occurrentibus aetatis adiunctis atque bono communi propriae Ecclesiae, ratione etiam habita boni communis totius territorii, ubi plures Ecclesiae sui iuris exstant, apte componendas.

Can. 141 - Conventus patriarchalis convocari debet quinto saltem quoque anno et de consensu Synodi permanentis aut Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, quoties Patriarchae id utile videtur.

Can. 142 - § 1. Patriarchae est conventum patriarchalem convocare, eidem praeesse atque eum transferre, prorogare, suspendere et dissolvere; vice-praesidem, qui in absentia Patriarchae conventui praeest, ipse Patriarcha nominet.

§ 2. Sede patriarchali vacante conventus patriarchalis suspenditur ipso iure, donec novus Patriarcha de re decreverit.

Can. 143 - § 1. Ad conventum patriarchalem convocandi sunt :

1° Episcopi eparchiales ceterique Hierarchae loci;

2° Episcopi titulares;

3° Praesides confoederationum monasticarum, Superiores generales institutorum vitae consecratae atque Superiores monasteriorum sui iuris ;

4° rectores catholicarum studiorum universitatum et ecclesiasticarum studiorum universitatum necnon decani facultatum theologiae et iuris canonici, quae intra fines territorii Ecclesiae, cuius conventus tenetur, sedem habent;

5° rectores seminariorum maiorum ;

6° ex unaquaque eparchia saltem unus ex presbyteris eidem eparchiae ascriptis praesertim parochis, unus ex religiosis vel sodalibus societatum vitae communis ad instar religiosorum necnon duo laici, nisi statuta maiorem numerum determinant, qui omnes modo ab Episcopo eparchiali determinato designantur et quidem, si de sodalibus instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum agitur, de consensu Superioris competentis.

§ 2. Omnes, qui ad conventum patriarchalem convocandi sunt, eidem interesse debent, nisi iusto detinentur impedimento, de quo Patriar-

cham certiorem facere tenentur; Episcopi eparchiales vero procuratorem sui loco mittere possunt.

§ 3. Personae alterius Ecclesiae sui iuris ad conventum patriarchalem invitari et in eo partem habere possunt ad normam statutorum.

§ 4. Ad conventum patriarchalem etiam invitari possunt aliquot observatores ex Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus acatholicis.

Can. 144 - § 1. Firmo iure cuiuslibet christifidelis quaestiones Hierarchis indicandi solius Patriarchae vel Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis est argumenta in conventu patriarchali tractanda determinare.

§ 2. Patriarchae est per opportunas praevias commissiones et consultationes curare, ut omnes quaestiones apte instruantur atque tempore opportuno ad conventus membra mittantur.

Can. 145 - Conventus patriarchalis sua habeat statuta a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis approbata, in quibus normae ad finem conventus obtinendum necessariae contineantur.

CAPUT VIII

DE TERRITORIO ECCLESIAE PATRIARCHALIS ATQUE DE POTESTATE PATRIARCHAE ET SYNODORUM EXTRA HOC TERRITORIUM

Can. 146 - 1. Territorium Ecclesiae, cui Patriarcha praeest, ad illas regiones extenditur, in quibus ritus eidem Ecclesiae proprius servatur et Patriarcha ius legitime acquisitum habet provincias, eparchias necnon exarchias erigendi.

§ 2. Si quod dubium de finibus territorii Ecclesiae patriarchalis exoritur aut si de immutatione finium agitur, Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis est rem investigare audita superiore auctoritate administrativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris, cuius interest, necnon re in eadem Synodo discussa petitionem apte instructam de dubio solvendo vel de finibus immutandis Romano Pontifici porrigere, cuius solius est dubium authentice dirimere vel decretum de immutatione finium ferre.

Can. 147 - Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestas Patriarchae ac Synodorum exercetur non tantum in omnes christifideles eidem Ecclesiae ascriptos, sed etiam in ceteros, qui Hierarcham loci propriae Ecclesiae sui iuris in eodem territorio constitutum non habent quique, etsi propriae Ecclesiae permanent ascripti, curae Hierarcharum loci eiusdem Ecclesiae patriarchalis committuntur firmo can. 916, § 5.

Can. 148 - § 1. Patriarchae ius et obligatio est circa christifideles, qui extra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, commorantur, opportunas informationes exquirendi etiam per Visitatorem a se de assensu Sedis Apostolicae missum.

§ 2. Visitator, antequam suum munus init, Episcopum eparchialem horum christifidelium adeat eique nominationis litteras exhibeat.

§ 3. Visitatione peracta Visitator ad Patriarcham relationem mittat, qui re in Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis discussa Sedi Apostolicae opportuna media proponere potest, ut ubique terrarum tuitioni atque incremento boni spiritualis christifidelium Ecclesiae, cui praeest, etiam per erectionem paroeciarum ac exarchiarum vel eparchiarum propriarum provideatur.

Can. 149 - Candidatos, saltem tres, ad officium Episcopi eparchialis, Episcopi coadiutoris vel Episcopi auxiliaris extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis implendum Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis ad normam canonum de electionibus Episcoporum eligit et per Patriarcham Romano Pontifici ad nominationem proponit secreto servato ab omnibus, qui quomodolibet electionis exitum noverunt, etiam erga candidatos.

Can. 150 - § 1. Episcopi extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constituti habent omnia iura et obligationes synodalia ceterorum Episcoporum eiusdem Ecclesiae firmo can. 102, § 2.

§ 2. Leges a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis latae et a Patriarcha promulgatae, si leges liturgicae sunt ubique terrarum vigent; si vero leges disciplinares sunt vel si de ceteris decisionibus Synodi agitur, vim iuris habent intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis.

§ 3. Velint Episcopi eparchiales extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constituti legibus disciplinaribus ceterisque decisionibus synodalibus, quae eorum competentiam non excedunt, in propriis eparchiis vim iuris tribuere; si vero hae leges vel decisiones a Sede Apostolica approbatae sunt, ubique terrarum vim iuris habent.

TITULUS V

DE ECCLESIIS ARCHIEPISCOPALIBUS MAIORIBUS

Can. 151 - Archiepiscopus maior est Metropolita Sedis determinatae vel agnitae a suprema Ecclesiae auctoritate, qui toti cuidam Ecclesiae orientali sui iuris titulo patriarchali non insignitae praeest.

Can. 152 - Quae in iure communi de Ecclesiis patriarchalibus vel de Patriarchis dicuntur, de Ecclesiis archiepiscopalibus maioribus vel de Archiepiscopis maioribus valere intelleguntur, nisi aliter iure communi expresse cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 153 - § 1. Archiepiscopus maior ad normam cann. 63-74 eligitur.

§ 2. Post acceptationem electi Synodus Episcoporum Ecclesiae archiepiscopalis maioris per litteras synodicas Romanum Pontificem certiorem facere debet de electione canonice peracta; ipse vero electus per litteras manu propria subscriptas expostulare debet a Romano Pontifice suae electionis confirmationem.

§ 3. Obtenta confirmatione electus coram Synodo Episcoporum Ecclesiae archiepiscopalis maioris emittere debet professionem fidei et promissionem fideliter officium suum implendi, deinde procedatur ad eius proclamationem et inthronizationem ; si vero electus nondum est Episcopus ordinatus, inthronizatio valide fieri non potest, antequam electus ordinationem episcopalem suscepit.

§ 4. Si vero confirmatio denegatur, nova electio fiat intra tempus a Romano Pontifice statutum.

Can. 154 — Honoris praecedentiam immediate post Patriarchas Archiepiscopi maiores obtinent secundum ordinem erectionis Ecclesiae, cui praesunt, in Ecclesiam archiepiscopalem maiorem.

TITULUS VI

DE ECCLESIIS METROPOLITANIS CETERISQUE ECCLESIIS SUI IURIS

CAPUT I

DE ECCLESIIS METROPOLITANIS SUI IURIS

Can. 155 - § 1. Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest Metropolita sedis determinatae a Romano Pontifice nominatus et a Consilio Hierarcharum ad normam iuris adiutus.

§ 2. Solius supremae Ecclesiae auctoritatis est Ecclesias metropolitanas sui iuris erigere, immutare et supprimere earumque territorium certis finibus circumscribere.

Can. 156 - § 1. Intra tres menses ab ordinatione episcopali vel, si iam Episcopus ordinatus est, ab inthronizatione computandos Metropolita obligatione tenetur a Romano Pontifice petendi pallium, quod est signum suae potestatis metropolitanae atque plenae communionis Ecclesiae metropolitanae sui iuris cum Romano Pontifice.

§ 2. Ante pallii impositionem Metropolita non potest Consilium Hierarcharum convocare et Episcopos ordinare.

Can. 157 - § 1. Potestas, quae Metropolitae ad normam iuris in Episcopos ceterosque christifideles Ecclesiae metropolitanae, cui praeest, competit, est ordinaria et propria, sed ita personalis, ut ipse non possit Vicarium pro tota Ecclesia metropolitana sui iuris constituere aut potestatem suam alicui ad universitatem casuum delegare.

§ 2. Potestas Metropolitae et Consilii Hierarcharum valide exercetur solummodo intra fines territorii Ecclesiae metropolitanae sui iuris.

§ 3. **In omnibus negotiis iuridicis Ecclesiae metropolitanae sui iuris Metropolita eiusdem personam gerit.**

Can. 158 - § 1. Ecclesiae metropolitanae sui iuris sedes est in civitate principe, a qua Metropolita, qui eidem Ecclesiae praeest, titulum desumit.

§ 2. Metropolita in eparchia sibi concredita eadem iura et obligationes habet ac Episcopus eparchialis in sua.

Can. 159 - In Ecclesia metropolitana sui iuris, cui praeest, Metropolitae praeter ea, quae iure communi vel iure particulari a Romano Pontifice statuto ei tribuuntur, competit :

1° Episcopos eiusdem Ecclesiae intra tempus iure determinatum ordinare et inthronizare ;

2° Consilium Hierarcharum ad normam iuris convocare, quaestiones in eodem tractandas opportune instruere, eidem praeesse atque id transferre, prorogare, suspendere et dissolvere;

3° tribunal metropolitanum erigere;

4° vigilare, ut fides et disciplina ecclesiastica accurate serventur;

5° visitationem canonicam in eparchiis peragere, si eam Episcopus eparchialis neglexit ;

6° nominare Administratorem eparchiae in casu, de quo in can. 221, n. 4;

7° eum, qui legitime ad ofiicium propositus vel electus est, nominare vel confirmare, si Episcopus eparchialis intra tempus iure statutum iusto impedimento non detentus id facere omisit, itemque oeconomum eparchialem nominare, si Episcopus eparchialis monitus eum nominare neglexit.

8° Romani Pontificis acta cum Episcopis eparchialibus aliisque, ad quos pertinent, communicare, nisi Sedes Apostolica directe providit, et praescriptorum, quae in his actis continentur, fidelem exsecutionem curare.

Can. 160 - In negotiis extraordinariis vel specialem difficultatem secum ferentibus Episcopi eparchiales Metropolitam et Metropolita Episcopos eparchiales audire ne omittant.

Can. 161 - Metropolita commemorandus est post Romanum Pontificem ab omnibus Episcopis ceterisque clericis in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum.

Can. 162 - Metropolita commemorationem Romani Pontificis in signum plenae communionis cum eo in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum debet facere et curare, ut ab omnibus Episcopis ceterisque clericis Ecclesiae metropolitanae, cui praeest, fideliter fiat.

Can. 163 - Metropolitae cum Romano Pontifice frequens sit consuetudo ; visitatio vero, quam singulis quinquenniis ad normam can. 208, § 2 peragere debet, quatenus fieri potest, una cum omnibus Episcopis Ecclesiae metropolitanae, cui praeest, fiat.

Can. 164 - § 1. Ad Consilium Hierarcharum vocari debent omnes et soli Episcopi ordinati eiusdem Ecclesiae metropolitanae sui iuris

ubicumque constituti exclusis eis, de quibus in can. 953, § 1, vel eis, qui poenis canonicis, de quibus in cann. 1433 et 1434, puniti sunt; Episcopi alterius Ecclesiae sui iuris nonnisi ut hospites invitari possunt, si maiori parti membrorum Consilii Hierarcharum id placet.

§ 2. Suffragium deliberativum in Consilio Hierarcharum habent Episcopi eparchiales et Episcopi coadiutores; ceteri vero Episcopi Ecclesiae metropolitanae sui iuris hoc suffragium habere possunt, si hoc in iure particulari expresse statuitur.

Can. 165 - § 1. Omnes Episcopi ad Consilium Hierarcharum legitime vocati gravi obligatione tenentur, ut eidem Consilio intersint eis exceptis, qui officio suo iam renuntiaverunt.

§ 2. Si quis Episcopus iusto impedimento se detineri existimat, scripto suas rationes aperiat Consilio Hierarcharum; de legitimitate impedimenti decidere est Episcoporum, qui suffragium deliberativum habent et in loco designato initio sessionum Consilii praesentes sunt.

§ 3. Nemo ex Consilii Hierarcharum membris procuratorem sui loco mittere potest nec quisquam plura suffragia habet.

§ 4. Consilio Hierarcharum incohato nemini eorum, qui interesse debent, licet discedere nisi iusta de causa a Consilii praeside approbata.

Can. 166 - § 1. Nisi ius particulare maiorem praesentiam exigit, quaelibet Consilii Hierarcharum sessio canonica atque singulum scrutinium validum est, si maior pars Episcoporum, qui tenentur Consilio Hierarcharum interesse, praesens est.

§ 2. Consilium Hierarcharum negotia decidit ad partem absolute maiorem suffragiorum eorum, qui suffragium deliberativum habent et praesentes sunt.

Can. 167 - § 1. Firmis canonibus, in quibus expresse de potestate Consilii Hierarcharum leges et normas ferendi agitur, hoc Consilium eas ferre potest etiam in eis casibus, in quibus ius commune rem remittit ad ius particulare Ecclesiae sui iuris.

§ 2. De legibus et normis a Consilio Hierarcharum latis Metropolita Sedem Apostolicam quam primum certiorem faciat nec leges ac normae valide promulgari possunt, antequam Metropolita notitiam a Sede Apostolica scripto datam habuit de Consilii actorum receptione; etiam de ceteris in Consilio Hierarcharum gestis Metropolita Sedem Apostolicam certiorem faciat.

§ 3. Metropolitae est curare promulgationem legum et publicationem decisionum Consilii Hierarcharum.

§ 4. Firmis canonibus, in quibus expresse de actibus administrativis Metropolitae, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, agi-

tur, eius est etiam illos actus administrativos ponere, qui iure communi superiori auctoritati administrativae Ecclesiae sui iuris committuntur, de consensu tamen Consilii Hierarcharum.

Can. 168 - Ad Metropolitae et Episcoporum nominationem quod attinet, Consilium Hierarcharum pro unoquoque casu elenchum componat trium saltem candidatorum magis idoneorum eundemque Sedi Apostolicae secreto servato, etiam erga candidatos, mittat; quem elenchum ut componant, membra Consilii Hierarcharum, si id expedire iudicant, de necessitatibus Ecclesiae et de dotibus specialibus candidati ad episcopatum sententiam aliquorum presbyterorum vel aliorum christifidelium sapientia praestantium exquirere possunt.

Can. 169 - Consilium Hierarcharum curet, ut necessitatibus pastoralibus christifidelium provideatur, atque de eis potest statuere, quae ad fidei incrementum provehendum, ad actionem pastoralem communem fovendam, ad moderandos mores, ad proprium ritum necnon ad disciplinam ecclesiasticam communem servandam opportuna esse videntur.

Can. 170 - Consilium Hierarcharum locum habeat semel saltem in anno et, quoties id postulant specialia adiuncta aut expedienda sunt negotia iure communi huic Consilio reservata vel pro quibus peragendis consensus eiusdem Consilii requiritur.

Can. 171 - Consilium Hierarcharum sua conficiat statuta Sedi Apostolicae transmittenda, in quibus provideatur de secretaria Consilii, de commissionibus praeparatoriis, de ordine procedendi necnon de aliis mediis, quae fini consequendo efficacius consulant.

Can. 172 - In Ecclesia metropolitana sui iuris conventus ad normam cann. 140 - 145 habeatur et quinto saltem quoque anno convocetur; quae ibidem de Patriarcha dicuntur, Metropolitae competunt.

Can. 173 - § 1. Sede metropolitana in Ecclesiis metropolitanis sui iuris vacante :

1° Administrator Ecclesiae metropolitanae sui iuris est Episcopus eparchialis eiusdem Ecclesiae ordinatione episcopali senior, qui quam primum Romanum Pontificem de sedis metropolitanae vacatione certiorem faciat;

2° ad Administratorem Ecclesiae metropolitanae sui iuris transit potestas ordinaria Metropolitae eis omnibus exclusis, quae agi non possunt nisi de consensu Consilii Hierarcharum;

3° sede metropolitana vacante nihil innovetur.

§ 2. Sede metropolitana in his Ecclesiis impedita serventur ea, quae de Sede patriarchali impedita in can. 132, § 1 statuta sunt ; quae ibidem de Patriarcha dicuntur, Metropolitae competunt.

§ 3. Circa sedem vacantem vel impeditam eparchiae Metropolitae serventur cann. 221 - 233.

CAPUT II

DE CETERIS ECCLESIIS SUI IURIS

Can. 174 - Ecclesia sui iuris, quae neque est patriarchalis nec archiepiscopalis maior nec metropolitana, concreditur Hierarchae, qui ei praeest ad normam iuris communis et iuris particularis a Romano Pontifice statuti.

Can. 175 - Hae Ecclesiae immediate a Sede Apostolica dependent; iura et obligationes vero, de quibus in can. 159, nn. 3 - 8, Hierarcha a Sede Apostolica delegatus exercet.

Can. 176 - Si ius commune aliquid remittit ad ius particulare aut ad superiorem auctoritatem administrativam Ecclesiae sui iuris, auctoritas competens in his Ecclesiis est Hierarcha, qui ei ad normam iuris praeest, de consensu Sedis Apostolicae, nisi aliud expresse statuitur.

TITULUS VII
DE EPARCHIIS ET DE EPISCOPIS

CAPUT I
DE EPISCOPIS

Can. 177 - § 1. Eparchia est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur ita, ut Pastori suo adhaerens et ab eo per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur una, sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia.

§ 2. In erectione, immutatione et suppressione eparchiarum intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis servandus est can. 85, § 1; in ceteris casibus eparchiarum erectio, immutatio et suppressio competit soli Sedi Apostolicae.

Can. 178 - Episcopus eparchialis, cui scilicet eparchia nomine proprio pascenda concredita *est,* eam ut vicarius et"legatus Christi regit; potestaSj qua ipse nomine Christi personaliter fungitur, est propria, ordinaria et immediata, etsi a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem potestatis ultimatim regitur et certis limitibus intuitu utilitatis Ecclesiae vel christifidelium circumscribi potest.

Can. 179 - Episcopi, quibus eparchia nomine proprio regenda concredita non est, quodcumque aliud munus in Ecclesia exercent vel exercuerunt, Episcopi titulares vocantur.

Art. I
DE ELECTIONE EPISCOPORUM

Can. 180 - Ut quis idoneus ad episcopatum habeatur, requiritur, ut sit :

1° firma fide, bonis moribus, pietate, animarum zelo et prudentia praestans ;
2° bona existimatione gaudens;
3° vinculo matrimonii non ligatus ;
4° annos natus saltem triginta quinque;
5° a quinquennio saltem in ordine presbyteratus constitutus ;
6° in aliqua scientia sacra doctor vel licentiatus vel saltem peritus.

Can. 181 - § 1. Episcopi intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis ad sedem eparchialem vacantem vel aliud munus implendum designantur electione canonica ad normam cann. 947 - 957, nisi aliter iure communi cavetur.

§ 2. Ceteri Episcopi a Romano Pontifice nominantur firmis cann. 149 et 168.

Can. 182 - § 1. Candidatos ad episcopatum idoneos sola Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis membra proponere possunt, quorum est etiam ad normam iuris particularis informationes et documenta, quae necessaria sunt, ut candidatorum idoneitas comprobetur, colligere auditis, si opportunum ducunt, secreto et singillatim aliquibus presbyteris vel etiam aliis christifidelibus prudentia et vita christiana praestantibus.

§ 2. Episcopi de informationibus Patriarcham tempore opportuno ante Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis convocationem certiorem faciant ; Patriarcha vero propriis, si casus fert, additis informationibus rem ad omnia Synodi membra mittat.

§ 3. Nisi ius particulare a Romano Pontifice approbatum aliud fert, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis nomina candidatorum examinet et secreto scrutinio elenchum candidatorum componat, qui per Patriarcham ad Sedem Apostolicam mittatur ad assensum Romani Pontificis obtinendum.

§ 4. Assensus Romani Pontificis semel praestitus pro singulis candidatis valet, donec explicite revocatus erit, quo in casu nomen candidati ex elencho expungendum est.

Can. 183 - § 1. Convocatione canonice facta, si duae ex tribus partibus Episcoporum, qui tenentur Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis interesse, demptis eis, qui legitimo sunt impedimento detenti, in loco designato praesentes sunt, Synodus canonica declaretur et ad electionem procedi potest.

§ 2. Episcopi, quem prae ceteris dignum et idoneum coram Domino censent, libere eligant.

§ 3. Ad electionem requiritur pars absolute maior suffragiorum eorum, qui praesentes sunt ; post tria inefficacia scrutinia suffragia feruntur in quarto scrutinio super eis duobus tantummodo candidatis^ qui in tertio scrutinio maiorem partem suffragiorum receperunt.

§ 4. Si in tertio aut quarto scrutinio ob paritatem suffragiorum non constat, quis sit candidatus pro novo scrutinio vel quis electus, sit, paritas dirimatur in favorem eius, qui est ordinatione presbyterali senior ; si nemo ordinatione presbyterali alios praecedit, qui est aetate senior.

Can. 184 - § 1. Si electus est ex recensitis in elencho candidatorum, ad quem Romanus Pontifex assensum iam praestitit, peracta electio a Patriarcha sub secreto intimanda est electo.

§ 2. Si electus electionem acceptavit, Patriarcha de acceptatione electionis atque de die proclamationis statim Sedem Apostolicam certiorem faciat.

Can. 185 - § 1. Si electus non est ex recensitis in elencho candidatorum, statim Patriarcha Sedem Apostolicam de peracta electione certiorem faciat ad obtinendum Romani Pontificis assensum secreto servato ab omnibus, qui quomodolibet electionis exitum noverunt, etiam erga electum, donec de assensu notitia ad Patriarcham pervenerit.

§ 2. Obtento assensu Romani Pontificis Patriarcha sub secreto electionem intimet electo et ad normam can. 184, § 2 agat.

Can. 186 - § 1. Si Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis congregari non potest, Patriarcha consulta Sede Apostolica suffragia Episcoporum per litteras exquirat ; quo in casu Patriarcha ad validitatem actus uti debet opera duorum Episcoporum scrutatorum, qui designandi sunt ad normam iuris particularis vel, si deest, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis.

§ 2. Scrutatores secreto servato litteras Episcoporum aperiant, suffragia numerent et relationi scripto datae de peracto scrutinio una cum Patriarcha subscribant.

§ 3. Si quis ex candidatis in hoc unico scrutinio partem absolute maiorem suffragiorum Synodi membrorum obtinuit, electus habeatur et Patriarcha ad normam can. 184 vel 185 procedat ; secus Patriarcha rem ad Sedem Apostolicam deferat.

Can. 187 - § 1. Cuilibet ad episcopatum promovendo necessaria est provisio canonica, qua Episcopus eparchialis determinatae eparchiae constituitur vel aliud determinatum munus ei in Ecclesia committitur.

§ 2. Candidatus ante ordinationem episcopalem emittat professionem fidei necnon promissionem oboedientiae erga Romanum Pontificem et in Ecclesiis patriarchalibus etiam promissionem oboedientiae erga Patriarcham in eis, in quibus Patriarchae ad normam iuris subiectus est.

Can. 188 - § 1. Nisi legitimo impedimento detinetur, promovendus ad episcopatum debet intra tres menses a die proclamationis, si de electo agitur, vel a receptis apostolicis litteris, si de nominato agitur, computandos ordinationem episcopalem suscipere.

§ 2. Episcopus eparchialis intra quattuor menses a sua electione vel nominatione computandos debet possessionem canonicam eparchiae capere.

Can. 189 - § 1. Possessionem canonicam eparchiae capit Episcopus eparchialis ipsa inthronizatione legitime peracta, in qua publice litterae apostolicae vel patriarchales de provisione canonica leguntur.

§ 2. De peracta inthronizatione documentum conficiatur ab ipso Episcopo eparchiali una cum cancellario et saltem duobus testibus subscribendum et in archivo curiae eparchialis asservandum.

§ 3. Ante inthronizationem Episcopus in regimen eparchiae neque per se neque per alios nec ullo titulo se ingerat ; si vero aliquod officium in eparchia habet, illud retinere et exercere potest.

Art. II

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM EPARCHIALIUM

Can. 190 - In omnibus negotiis iuridicis eparchiae Episcopus eparchialis eiusdem personam gerit.

Can. 191 - § 1. Episcopi eparchialis est eparchiam sibi concreditam cum potestate legislativa, exsecutiva et iudiciali regere.

§ 2. Potestatem legislativam exercet Episcopus eparchialis ipse per se ; potestatem exsecutivam exercet sive per se sive per Protosyncellum vel Syncellos; potestatem iudicialem sive per se sive per Vicarium iudicialem et iudices.

Can. 192 - § 1. In exercendo suo munere pastorali Episcopus eparchialis sollicitum se praebeat erga omnes christifideles, qui eius curae committuntur, cuiusvis sunt aetatis, condicionis, nationis vel Ecclesiae sui iuris tum in territorio eparchiae habitantes tum in eodem ad tempus versantes, animum intendens apostolicum ad eos etiam, qui ob vitae suae condicionem ordinaria cura pastorali non satis frui possunt, necnon ad eos, qui a religionis praxi defecerunt.

§ 2. Speciali modo curet Episcopus eparchialis, ut omnes christifideles suae curae commissi unitatem inter christianos foveant secundum principia ab Ecclesia approbata.

§ 3. Episcopus eparchialis commendatos sibi in Domino habeat non baptizatos et curet, ut et eis ex testimonio christifidelium in communione ecclesiastica viventium eluceat caritas Christi.

§ 4. Episcopus eparchialis speciali sollicitudine prosequatur presbyteros, quos tamquam adiutores et consiliarios audiat, eorum iura

tueatur et curet, ut obligationes suo statui proprias impleant eisdemque praesto sint media et institutiones, quibus ad vitam spiritualem et intellectualem fovendam egent.

§ 5. Curet Episcopus eparchialis, ut clericorum eorumque familiae, si coniugati sunt, congruae sustentationi atque congruenti praecaventiae et securitati sociali necnon assistentiae sanitariae ad normam iuris provideatur.

Can. 193 - § 1. Episcopus eparchialis, cuius curae christifideles alterius Ecclesiae sui iuris commissi sunt, gravi obligatione tenetur omnia providendi, ut hi christifideles propriae Ecclesiae ritum retineant eumque colant ac pro viribus observent et cum auctoritate superiore eiusdem Ecclesiae relationes foveant.

§ 2. Spiritualibus necessitatibus horum christifidelium Episcopus eparchialis provideat, si fieri potest, per presbyteros vel parochos eiusdem Ecclesiae sui iuris ac christifideles aut etiam per Syncellum ad curam horum christifidelium constitutum.

§ 3. Episcopi eparchiales, qui huiusmodi presbyteros, parochos vel Syncellos ad curam christifidelium Ecclesiarum patriarchalium constituunt, rationes cum Patriarchis, quorum interest, ineant et illis consentientibus propria auctoritate agant certiore quam primum facta Sede Apostolica; si vero Patriarchae quacumque de causa dissentiunt, res ad Sedem Apostolicam deferatur.

Can. 194 - Episcopus eparchialis dignitates clericis sibi subditis ceteris exclusis conferre potest ad normam tamen iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 195 - Vocationes sacerdotales, diaconales, monachorum ceterorumque sodalium institutorum vitae consecratae ac missionales quam maxime Episcopus eparchialis foveat.

Can. 196 - § 1. Veritates fidei credendas et moribus applicandas Episcopus eparchialis christifidelibus proponere et illustrare tenetur per se ipse frequenter praedicans ; curet etiam, ut praescripta iuris de verbi Dei ministerio, de homilia praesertim et institutione catechetica sedulo serventur ita, ut universa doctrina christiana omnibus tradatur.

§ 2. Integritatem et unitatem fidei Episcopus eparchialis firmiter tueatur.

Can. 197 - Episcopus eparchialis, cum memor sit se obligatione teneri exemplum sanctitatis praebendi in caritate, humilitate et vitae simplicitate, omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium

secundum suam cuiusque vocationem atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, annitatur, ut christifideles suae curae commissi sacramentorum celebratione et praesertim Divinae Eucharistiae participatione in gratia crescant atque paschale mysterium penitus cognoscant et vivant ita, ut unum eificiant Corpus in unitate caritatis Christi.

Can. 198 - Divinam Liturgiam pro populo eparchiae sibi concreditae Episcopus eparchialis frequenter celebret ; diebus vero iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris praescriptis celebrare debet.

Can. 199 - § 1 Episcopus eparchialis utpote totius vitae liturgicae in eparchia sibi concredita moderator, promotor atque custos vigilet, ut illa quam maxime foveatur atque secundum praescripta necnon legitimas consuetudines propriae Ecclesiae sui iuris ordinetur.

§ 2. Curet Episcopus eparchialis, ut in propria ecclesia cathedrali celebretur saltem pars laudum divinarum, etiam cottidie, secundum legitimas consuetudines propriae Ecclesiae sui iuris; item, ut in qualibet paroecia pro viribus diebus dominicis et festis atque praecipuis sollemnitatibus earumque vigiliis laudes divinae celebrentur.

§ 3. Episcopus eparchialis frequenter praesit laudibus divinis in ecclesia cathedrali aliave ecclesia praesertim diebus festis de praecepto aliisque sollemnitatibus, in quibus partem habet notabilis populi pars.

Can. 200 - Episcopi eparchialis est in tota eparchia functiones sacras celebrare, quae secundum praescripta librorum liturgicorum ab ipso omnibus insignibus pontificalibus induto sollemniter perficiendae sunt, non vero extra fines propriae eparchiae sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto Episcopi eparchialis consensu.

Can. 201 - § 1. Universae Ecclesiae unitatem cum tueri debeat, Episcopus eparchialis disciplinam ecclesiasticam communem promovere necnon observantiam omnium legum ecclesiasticarum atque legitimarum consuetudinum urgere tenetur.

§ 2. Vigilet Episcopus eparchialis, ne abusus in disciplinam ecclesiasticam irrepant praesertim circa verbi Dei ministerium, celebrationem sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, exsecutionem piarum voluntatum.

Can. 202 - Episcopi eparchiales plurium Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem suam exercentes curent, ut collatis consiliis in periodicis conventibus unitatem actionis foveant et viribus unitis communia adiuvent opera ad bonum religionis expeditius promovendum et ad disciplinam ecclesiasticam efiicacius tuendam.

Can. 203 - § 1. Varias apostolatus formas in eparchia foveat Episcopus eparchialis atque curet, ut in tota eparchia vel in eiusdem particularibus districtibus omnia opera apostolatus servata uniuscuiusque propria indole sub suo moderamine coordinentur.

§ 2. Urgeat Episcopus eparchialis obligationem, qua tenentur christifideles ad apostolatum pro sua quisque condicione et aptitudine exercendum, atque eos adhortetur, ut varia opera apostolatus secundum necessitates loci et temporis participent et adiuvent.

§ 3. **Consociationes christifidelium, quae finem spiritualem directe aut indirecte persequuntur, Episcopus eparchialis promoveat eas, si id expedit, erigendo, approbando, laudando vel commendando ad normam iuris.**

Can. 204 - § 1. Episcopus eparchialis, etsi Episcopum coadiutorem vel Episcopum auxiliarem habet, obligatione tenetur in eparchia propria residendi.

§ 2. Praeterquam causa obligationum, quae legitime absentiam a propria eparchia requirunt, Episcopus eparchialis ab eparchia iusta de causa quotannis abesse potest non ultra mensem continuum aut intermissum, dummodo cautum sit, ne ex ipsius absentia eparchia quicquam detrimenti capiat.

§ 3. **Diebus vero praecipuarum sollemnitatum iure particulari secundum traditionem propriae Ecclesiae sui iuris statutarum Episcopus eparchialis a propria eparchia ne absit nisi gravi de causa.**

§ 4. Si Episcopus eparchialis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercens ultra sex menses ab eparchia sibi concredita illegitime afuit, Patriarcha rem ad Romanum Pontificem statim deferat ; in ceteris casibus hoc faciat Metropolita, vel, si ipse Metropolita illegitime afuit, Episcopus eparchialis ordinatione episcopali senior eidem Metropolitae subiectus.

Can. 205 - § 1. Tenetur Episcopus eparchialis obligatione eparchiam vel ex toto vel ex parte quotannis canonice visitandi ita, ut singulis saltem quinquenniis totam eparchiam ipse per se vel, si legitime est impeditus, per Episcopum coadiutorem aut per Episcopum auxiliarem aut per Protosyncellum vel Syncellum aut per alium presbyterum canonice visitet.

§ 2. Visitationi canonicae Episcopi eparchialis obnoxiae sunt personae, instituta catholica, res et loca sacra, quae intra fines eparchiae sunt.

§ 3. **Sodales institutorum religiosorum necnon societatum vitae communis ad instar religiosorum iuris pontificii vel patriarchalis eorumque domus Episcopus eparchialis visitare potest tantum in casibus iure expressis.**

Can. 206 - § 1. Episcopus eparchialis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercens tenetur singulis quinquenniis relationem Patriarchae facere circa statum eparchiae sibi concreditae secundum modum a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutum ; exemplar relationis Episcopus quam primum ad Sedem Apostolicam mittat.

§ 2. Ceteri Episcopi eparchiales singulis quinquenniis eandem relationem Sedi Apostolicae facere debent et, si de Episcopis alicuius Ecclesiae patriarchalis vel Ecclesiae metropolitanae sui iuris agitur, exemplar relationis Patriarchae vel Metropolitae quam primum mittant.

Can. 207 - Episcopus eparchialis cuiuscumque Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, Sedem Apostolicam certiorem faciat occasione relationis quinquennalis de statu et necessitatibus christifidelium, qui, etsi alii Ecclesiae sui iuris ascripti, eius curae commissi sunt.

Can. 208 - § 1. Episcopus eparchialis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercens intra quinquennium a sua inthronizatione computandum visitationem ad Urbem peragat, si fieri potest una cum Patriarcha, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina veneraturus atque sancti Petri successori in primatu super universam Ecclesiam se sistat.

§ 2. Ceteri Episcopi eparchiales singulis quinquenniis per se vel, si legitime sunt impediti, per alium visitationem ad Urbem peragere debent ; si vero de Episcopis alicuius Ecclesiae patriarchalis agitur, optandum est, ut visitatio saltem aliquoties una cum Patriarcha fiat.

Can. 209 - § 1. Commemorationem Romani Pontificis ante omnes in signum plenae communionis cum eo in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum Episcopus eparchialis facere debet et curare, ut a ceteris clericis eparchiae fideliter fiat.

§ 2. Episcopus eparchialis commemorandus est ab omnibus clericis in Divina Liturgia et in laudibus divinis secundum praescripta librorum liturgicorum.

Can. 210 - § 1. Episcopus eparchialis, qui septuagesimum quintum annum aetatis explevit aut ob infirmam valetudinem aliave gravi de causa ofiicio suo implendo minus aptus evasit, rogatur, ut renuntiationem ab officio exhibeat.

§ 2. Renuntiatio ab ofiicio Episcopi eparchialis exhibenda est Patriarchae, si de Episcopo eparchiali intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercente agitur; in ceteris casibus renuntiatio Romano Pontifici exhibenda est et praeterea, si Episcopus

ad Ecclesiam patriarchalem pertinet, Patriarchae quam primum notificanda.

§ 3. Ad acceptationem renuntiationis Patriarcha indiget consensu Synodi permanentis, nisi praecessit invitatio ad renuntiandum a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis facta.

Can. 211 - § 1. Episcopus eparchialis, cuius renuntiatio ab officio acceptata est, titulum Episcopi emeriti eparchiae, quam rexit, obtinet atque sedem habitationis in ipsa eparchia servare potest, nisi certis in casibus ob specialia adiuncta a Sede Apostolica vel, si de eparchia intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sita agitur, a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis aliter providetur.

§ 2. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilium Hierarcharum curare debet, ut congruae et dignae Episcopi emeriti sustentationi provideatur, attenta quidem primaria obligatione, qua tenetur eparchia, cui inservivit.

Art. III

DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET DE EPISCOPIS AUXILIARIBUS

Can. 212 - § 1. Si necessitates pastorales eparchiae id suadent, unus vel plures Episcopi auxiliares petente Episcopo eparchiali constituantur.

§ 2. Gravioribus in adiunctis, etiam indolis personalis, constitui potest ex officio Episcopus coadiutor cum iure successionis specialibus potestatibus praeditus.

Can. 213 - § 1. Episcopus coadiutor praeter iura et obligationes, quae iure communi statuuntur, etiam ea habet, quae in litteris de provisione canonica determinantur.

§ 2. Iura et obligationes Episcopi coadiutoris a Patriarcha constituti determinat ipse Patriarcha consulta Synodo permanenti; si vero de Episcopo coadiutore omnibus iuribus et obligationibus Episcopi eparchialis instruendo agitur, requiritur consensus Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

§ 3. Iura et obligationes Episcopi auxiliaris ea sunt, quae iure communi statuuntur.

Can. 214 - § 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, ut sui officii possessionem canonicam capiant, debent litteras de provisione canonica Episcopo eparchiali ostendere.

§ 2. Episcopus coadiutor debet praeterea litteras de provisione canonica ostendere collegio consultorum eparchialium.

§ 3. Si vero Episcopus ^eparchialis plene est impeditus, sufficit, ut Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris litteras de provisione canonica ostendant collegio consultorum eparchialium.

§ 4. Ostensioni litterarum de provisione canonica adesse debet cancellarius, qui rem in acta referat.

Can. 215 - § 1. Episcopus coadiutor vices gerit Episcopi eparchialis absentis vel impediti ; nominari debet Protosyncellus et ei prae aliis Episcopus eparchialis committat ea, quae ex iure mandatum speciale requirunt.

§ 2. Episcopus eparchialis firma § 1 nominet Episcopum auxiliarem Protosyncellum ; si tamen plures sunt, unum ex eis nominet Protosyncellum, alios vero Syncellos.

§ 3. Episcopus eparchialis in perpendendis causis maioris momenti praesertim indolis pastoralis Episcopos auxiliares prae ceteris consulat.

§ 4. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris eo, quod in partem sollicitudinis Episcopi eparchialis vocati sunt, ita officium suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso agant.

Can. 216 - § 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris iusto impedimento non detenti debent, quoties sunt ab Episcopo eparchiali requisiti, functiones obire, quas Episcopus eparchialis ipse peragere deberet.

§ 2. Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris possunt et volunt exercere, Episcopus eparchialis habitualiter aliis ne committat.

Can. 217 - Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris obligatione tenentur residendi in eparchia, a qua praeterquam ratione alicuius muneris extra eparchiam implendi aut feriarum causa, quae ultra mensem ne protrahantur, ne discedant nisi ad breve tempus.

Can. 218 - Ad renuntiationem ab officio Episcopi coadiutoris vel Episcopi auxiliaris quod attinet, applicentur cann. 210 et 211, § 2; his Episcopis tribuitur emeriti titulus officii, quod antea expleverunt.

Art. IV

DE SEDE EPARCHIALI VACANTE VEL IMPEDITA

Can. 219 - Sedes eparchialis vacat Episcopi eparchialis morte, renuntiatione, translatione ac privatione.

Can. 220 - Circa sedes eparchiales vacantes intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitas praeter cann. 225 - 232 et firmis cann. 222 et 223 haec servanda sunt :

I° Patriarcha de sedis eparchialis vacatione quam primum certiorem faciat Sedem Apostolicam;

2° usque ad nominationem Administratoris eparchiae potestas ordinaria Episcopi eparchialis transit ad Patriarcham, nisi aliter iure particulari Ecclesiae patriarchalis vel a Romano Pontifice provisum est;

3° Patriarchae est nominare Administratorem eparchiae intra mensem utilem ab accepta notitia de sedis eparchialis vacatione computandum consultis Episcopis curiae patriarchalis, si habentur, secus consulta Synodo permanenti; elapso inutiliter mense, Administratoris nominatio ad Sedem Apostolicam devolvitur ;

4° Administrator eparchiae emissa coram Patriarcha professione fidei potestatem obtinet non exercendam tamen nisi capta possessione canonica officii, quae fit ostendendo litteras eius nominationis collegio consultorum eparchialium;

5° Patriarchae est curare, ut sedi eparchiali vacanti quam primum nec ultra terminos iure communi statutos dignus idoneusque Episcopus eparchialis detur.

Can. 221 - Exceptis sedibus eparchialibus vacantibus, de quibus in can. 220, in ceteris casibus sede eparchiali vacante praeter cann. 225 - 232 et firmis cann. 222 et 223 haec servanda sunt :

1° Metropolita, secus ille, qui ad normam can. 271, § 5 collegio consultorum eparchialium praeest, Sedem Apostolicam et, si de eparchia Ecclesiae patriarchalis agitur, etiam Patriarcham quam primum de sedis eparchialis vacatione certiorem faciat;

2° regimen eparchiae, nisi a Sede Apostolica aliter provisum est, usque ad constitutionem Administratoris eparchiae transit ad Episcopum auxiliarem vel, si plures sunt, ad Episcopum auxiliarem ordinatione episcopali seniorem vel, si Episcopus auxiliaris non habetur, ad collegium consultorum eparchialium ; praedicti eparchiam interim regunt potestate, quam ius commune Protosyncello agnoscit;

3° collegium consultorum eparchialium intra octo dies ab accepta notitia de sedis eparchialis vacatione computandos debet Administra-

torem eparchiae eligere, sed ad validitatem electionis requiritur pars absolute maior suffragiorum membrorum eiusdem collegii;

4° si intra octo dies Administrator eparchiae electus non est vel si electus condicionibus in can. 227, § 2 ad validitatem electionis requisitis caret, nominatio Administratoris eparchiae devolvitur ad Metropolitam vel, si hic deest vel est impeditus, ad Sedem Apostolicam ;

5° Administrator eparchiae legitime electus vel nominatus statim potestatem obtinet neque indiget ulla confirmatione ; de sua electione vel ex parte Metropolitae nominatione quam primum Sedem Apostolicam certiorem faciat et, si ad Ecclesiam patriarchalem pertinet, etiam Patriarcham.

Can. 222 - Episcopus coadiutor, dummodo officii sui possessionem canonicam iam ceperit, sede eparchiali vacante ipso iure evadit Administrator eparchiae, donec ut Episcopus eparchialis inthronizatus erit.

Can. 223 - In casu translationis ad aliam sedem eparchialem Episcopus intra duos menses ab intimatione translationis computandos debet possessionem canonicam novae eparchiae capere; interim vero in priore eparchia :

1° Administratoris eparchiae iura et obligationes habet;

2° privilegia honorifica Episcoporum eparchialium conservat;

3° reditus prioris officii integros percipit.

Can. 224 - § 1. Protosyncellus et Syncelli sede eparchiali vacante statim ab ofiicio cessant, nisi sunt :

I° Episcopi ordinati;

2° in eparchia Patriarchae constituti;

3° in eparchia intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sita constituti, donec Administrator eparchiae possessionem canonicam sui officii ceperit.

§ 2. Quae a Protosyncello et Syncellis, qui sede eparchiali vacante statim ab ofiicio cessant, legitime gesta sunt, donec certam notitiam de sedis eparchialis vacatione acceperint, vim habent.

§ 3. Episcopus auxiliaris sede eparchiali vacante retinet potestates a iure quidem collatas et sub auctoritate Administratoris eparchiae exercendas, quas sede eparchiali plena ut Protosyncellus vel Syncellus habebat, nisi aliud a Sede Apostolica vel iure particulari propriae Ecclesiae patriarchalis statuitur.

Can. 225 - § 1. Unus tantum eligitur vel nominatur Administrator eparchiae reprobata contraria consuetudine.

§ 2. Si oeconomus eparchialis fit Administrator eparchiae, alium oeconomum eparchialem consilium a rebus oeconomicis interim eligat.

Can. 226 - In Administratore eparchiae constituendo nullam sibi potestatis partem nec Patriarcha nec collegium consultorum eparchialium retinere potest nec gerendo officio tempus determinare aliasve restrictiones praestituere.

Can. 227 - § 1. Administrator eparchiae sit integritate, pietate, sana doctrina et prudentia praestans.

§ 2. Valide ad officium Administratoris eparchiae eligi vel nominari tantum potest Episcopus aut presbyter, qui vinculo matrimonii non est ligatus, tricesimum quintum aetatis annum explevit et ad eandem sedem eparchialem vacantem non est iam electus, nominatus vel translatus; si hae condiciones posthabitae sunt, actus illius, qui Administrator eparchiae electus vel nominatus est, ipso iure nulli sunt.

Can. 228 - § 1. Sede eparchiali vacante nihil innovetur.

§ 2. Illi, qui interim eparchiae regimen curant, vetantur quidpiam agere, quod vel eparchiae vel episcopalibus iuribus praeiudicium afferre potest; speciatim prohibentur ipsi ac omnes..alii, ne sive per se sive per alium documenta curiae eparchialis subtrahant, destruant vel mutent.

Can. 229 - Administrator eparchiae eadem iura et obligationes habet ac Episcopus eparchialis, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 230 - Nisi aliter est legitime provisum :

1° Administrator eparchiae ius habet ad iustam remunerationem lege iuris particularis statuendam vel legitima consuetudine determinatam, quae desumi debet ex bonis eparchiae;

2° cetera emolumenta ad Episcopum eparchialem spectantia, dum sedes eparchialis vacat, futuro Episcopo eparchiali pro necessitatibus eparchiae reserventur servatis praescriptis iuris particularis, quae modum, quo emolumenta erogari debent, determinant.

Can. 231 - § 1. Renuntiatio Administratoris eparchiae exhibenda est Patriarchae, si ipse Administratorem designavit, secus collegio consultorum eparchialium, quo in casu eam acceptari, ut valeat, necesse non est.

§ 2. Amotio Administratoris eparchiae intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis pertinet ad Patriarcham de consensu Synodi permanentis ; secus vero Sedi Apostolicae reservatur.

§ 3. Post mortem, renuntiationem vel amotionem Administratoris eparchiae novus constituatur ab eadem auctoritate et eodem modo ac pro priore praescriptum est.

§ 4. Administrator eparchiae cessat ab officio capta a novo Episcopo eparchiali possessione canonica eparchiae; novus Episcopus eparchialis rationem administrationis ab eo exigere potest.

Can. 232 - § 1. Oeconomus eparchialis sede eparchiali vacante officium suum impleat sub auctoritate Administratoris eparchiae ; ad oeconomum eparchialem devolvitur administratio bonorum ecclesiasticorum, quae ob sedis eparchialis vacationem administratorem non habent, nisi Patriarcha aut collegium consultorum eparchialium aliter providerunt.

§ 2. Ad renuntiationem vel amotionem oeconomi eparchialis sede eparchiali vacante quod attinet, servandus est can. 231, §§ 1 et 2.

§ 3. Resoluto quovis modo iure oeconomi eparchialis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis novi oeconomi electio vel nominatio pertinet ad Patriarcham consultis Episcopis curiae patriarchalis, si habentur, secus consulta Synodo permanenti ; in ceteris casibus oeconomus eligitur a collegio consultorum eparchialium.

§ 4. Oeconomus eparchialis novo Episcopo eparchiali rationem reddere debet suae administrationis, qua reddita, nisi ab eodem in officio suo confirmatur, ab officio cessat.

Can. 233 - § 1. Sede eparchiali per Episcopi eparchialis captivitatem, relegationem, exilium aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum christifidelibus sibi commissis communicare ipse possit, regimen eparchiae est penes Episcopum coadiutorem, nisi aliter providit Patriarcha de consensu Synodi permanentis in eparchiis sitis intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, aut Sedes Apostolica; si vero Episcopus coadiutor deest aut impeditus est, penes Protosyncellum, Syncellum vel alium idoneum sacerdotem ab Episcopo eparchiali designatum, cui ipso iure competunt iura et obligationes Protosyncelli ; potest vero Episcopus eparchialis tempore opportuno plures designare, qui sibi invicem in officio succedunt.

§ 2. Si iidem desunt aut impediti sunt, ne eparchiae regimen assumant, collegii consultorum eparchialium est sacerdotem eligere, qui eparchiam regat.

§ 3. Qui eparchiam intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis regendam suscepit, quam primum Patriarcham certiorem faciat de sede eparchiali impedita et de assumpto officio ; in ceteris casibus certiorem faciat Sedem Apostolicam et, si ad Ecclesiam patriarchalem pertinet, etiam Patriarcham.

Art. V

DE ADMINISTRATORIBUS APOSTOLICIS

Can. 234 - § 1. Eparchiae regimen sede eparchiali sive plena sive vacante aliquando Romanus Pontifex gravibus et specialibus de causis Administratori apostolico committit.

§ 2. Iura, obligationes et privilegia Administratoris apostolici desumuntur ex litteris suae nominationis.

CAPUT II

DE ORGANIS EPISCOPUM EPARCHIALEM IN REGIMINE EPARCHIAE ADIUVANTIBUS

Art. I

DE CONVENTU EPARCHIALI

Can. 235 - Conventus eparchialis adiutricem praestat operam Episcopo eparchiali in eis, quae ad speciales necessitates vel utilitatem eparchiae referuntur.

Can. 236 - Conventus eparchialis convocetur, quoties iudicio Episcopi eparchialis et consulto consilio presbyterali adiuncta id suadent.

Can. 237 - § 1. Episcopi eparchialis est conventum eparchialem convocare, eidem per se vel per alium praeesse, eum transferre, prorogare, suspendere et dissolvere.

§ 2. Sede eparchiali vacante conventus eparchialis suspenditur ipso iure, donec novus Episcopus eparchialis de re decreverit.

Can. 238 - § 1. Ad conventum eparchialem convocandi sunt eumque adire debent :

1° Episcopus coadiutor et Episcopi auxiliares ;

2° Protosyncellus, Syncelli, Vicarius iudicialis ac oeconomus eparchialis;

3° consultores eparchiales;

4° rector seminarii eparchialis maioris;

5° protopresbyteri ;

6° unus saltem parochus ex unoquoque districtu eligendus ab omnibus, qui ibi actu curam animarum habent, protopresbytero electioni praesidente; item eligendus est alius presbyter, qui eodem impedito eius locum teneat;

7° membra consilii presbyteralis atque aliquot delegati consilii pastoralis, si exstat, ab eodem consilio eligendi modo et numero iure particulari statutis;

8° aliquot diaconi ad normam iuris particularis electi;

9° Superiores monasteriorum sui iuris atque aliquot Superiores ceterorum institutorum vitae consecratae, quae in eparchia domum habent, eligendi modo et numero iure particulari statutis;

10° laici electi a consilio pastorali, si exstat, secus modo ab Episcopo eparchiali determinato ita, ut numerus laicorum tertiam partem membrorum conventus eparchialis non superet.

§ 2. Episcopus eparchialis, si opportunum iudicat, potest ad conventum eparchialem invitare alios quoque non exclusis personis aliarum Ecclesiarum sui iuris, quibus omnibus etiam ius suffragium ferendi concedere potest.

§ 3. Ad conventum eparchialem etiam invitari possunt aliquot observatores ex Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus acatholicis.

Can. 239 - Ii, qui conventum eparchialem adire debent, non possunt, etsi legitimo impedimento detenti sunt, mittere procuratorem, qui eorum nomine conventui eparchiali intersit, sed Episcopum eparchialem de impedimento certiorem faciant.

Can. 240 - § 1. Firmo iure cuiuslibet christifidelis quaestiones in conventu eparchiali tractandas indicandi solius Episcopi eparchialis est argumenta in hoc conventu tractanda statuere.

§ 2. Episcopus eparchialis tempore opportuno unam vel plures constituat commissiones, quarum est argumenta in conventu eparchiali tractanda apparare.

§ 3. Curet etiam Episcopus eparchialis, ut tempore opportuno omnibus, qui convocati sunt, argumentorum tractandorum schema tradatur.

§ 4. Propositae quaestiones omnes liberae disceptationi in sessionibus conventus eparchialis subiciantur.

Can. 241 - Solus est in conventu eparchiali legislator Episcopus eparchialis ceteris tantum suffragium consultivum habentibus; solus subscribit decisionibus quibuscumque, quae in conventu eparchiali factae sunt; quae, si in eodem conventu promulgantur, statim obligare incipiunt, nisi aliter expresse cavetur.

Can. 242 - Textum legum, declarationum et decretorum, quae in conventu eparchiali data sunt, Episcopus eparchialis communicet cum auctoritate, quam ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris determinavit.

Art. II

DE CURIA EPARCHIALI

Can. 243 - § 1. Episcopus eparchialis penes suam sedem habere debet curiam eparchialem, quae ipsum iuvat in regimine eparchiae sibi commissae.

§ 2. Ad curiam eparchialem pertinent Protosyncellus, Syncelli, Vicarius iudicialis, oeconomus eparchialis et consilium a rebus oeconomicis, cancellarius, iudices eparchiales, promotor iustitiae et defensor vinculi, notarii et aliae personae, quae ad curiae eparchialis officia recte implenda ab Episcopo eparchiali assumuntur.

§ 3. Episcopus eparchialis necessitatibus vel utilitate eparchiae exigentibus alia quoque officia in curia eparchiali constituere potest.

Can. 244 - § 1. Nominatio et amotio ab officio eorum, qui officia in curia eparchiali exercent, spectat ad Episcopum eparchialem.

§ 2. Omnes, qui ad officia in curia eparchiali admittuntur, debent :

1° promissionem emittere de officio fideliter implendo secundum modum iure aut ab Episcopo eparchiali determinatum ;

2° secretum servare intra limites et secundum modum iure aut ab Episcopo eparchiali determinatos.

I° De Protosyncello et de Syncellis

Can. 245 - In unaquaque eparchia constituendus est Protosyncellus, qui potestate ordinaria vicaria ad normam iuris communis praeditus Episcopum eparchialem in totius eparchiae regimine adiuvet.

Can. 246 - Quoties rectum eparchiae regimen id requirit, constitui possunt unus aut plures Syncelli, qui nempe ipso iure in determinata eparchiae parte aut in certo negotiorum genere aut circa christifideles alii Ecclesiae sui iuris ascriptos certive personarum coetus eandem habet potestatem ac ius commune Protosyncello tribuit.

Can. 247 - § 1. Protosyncellus et Syncelli libere ab Episcopo eparchiali nominantur et ab eo libere amoveri possunt firmo can. 215, §§ 1 et 2.

§ 2. Protosyncellus et Syncellus sint sacerdotes caelibes, nisi ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris aliud statuit, quatenus fieri potest ex clericis eparchiae ascriptis, annos nati non minus triginta, in aliqua scientia sacra doctores vel licentiati vel saltem periti, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendati.

§ 3. Protosyncelli vel Syncelli officium ne conferatur Episcopi eparchialis consanguineis usque ad quartum gradum inclusive.

§ 4. Episcopus eparchialis potest Protosyncellum et Syncellos etiam ex alia eparchia vel ex alia Ecclesia sui iuris assumere de consensu tamen eorum Episcopi eparchialis.

Can. 248 - § 1. Nisi aliter iure communi expresse cavetur, Protosyncello in tota eparchia, Syncellis vero intra ambitum officii sibi collati eadem competit potestas regiminis exsecutiva ac Episcopo eparchiali eis exceptis, quae Episcopus eparchialis sibi vel aliis reservavit aut quae ex iure requirunt ipsius mandatum speciale, quo non obtento actus, ad quem huiusmodi mandatum requiritur, est nullus.

§ 2. Protosyncello et Syncellis intra ambitum eorum competentiae competunt etiam facultates habituales a Sede Apostolica Episcopo eparchiali concessae necnon rescriptorum Sedis Apostolicae vel Patriarchae exsecutio, nisi aliter expresse cautum est aut electa est industria personae Episcopi eparchialis.

Can. 249 - Protosyncellus et Syncelli de praecipuis negotiis et gerendis et gestis Episcopo eparchiali referre debent nec umquam contra eius voluntatem et mentem agant.

Can. 250 - Protosyncelli et Syncelli presbyteri durante munere habent privilegia et insignia primae post episcopalem dignitatis.

Can. 251 - § 1. Protosyncellus et Syncelli ab officio cessant elapso tempore determinato, renuntiatione ab Episcopo eparchiali acceptata vel amotione.

§ 2. Sede eparchiali vacante circa Protosyncellum et Syncellos servetur can. 224.

§ 3. Suspenso officio Episcopi eparchialis suspenditur potestas Protosyncelli et Syncellorum, nisi Episcopi ordinati sunt.

2° De cancellario aliisque notariis et de archivo curiae eparchialis

Can. 252 - § 1. In curia eparchiali constituatur cancellarius, qui sit presbyter vel diaconus, cuius praecipua obligatio, nisi aliud iure particulari statuitur, est curare, ut acta curiae redigantur et expediantur atque in archivo curiae eparchialis asserventur.

§ 2. Si necesse videtur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt ipso iure notarii curiae eparchialis.

Can. 253 - § 1. Praeter cancellarium constitui possunt alii notarii, quorum subscriptio publicam fidem facit et quidem sive ad quaelibet acta sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii debent esse integrae famae et omni suspicione maiores ; in causis, quibus fama clerici in discrimen vocari potest, notarius debet esse sacerdos.

Can. 254 - Notariorum est :

1° conscribere acta et documenta circa decreta, dispositiones, obligationes vel alia, quae eorum operam requirunt;

2° scripto fideliter redigere ea, quae geruntur, et actis de his rebus cum indicatione loci, diei, mensis et anni subscribere.

3° acta vel documenta legitime petenti servatis servandis exhibere et eorum exemplaria cum originali conformia declarare.

Can. 255 - Cancellarius aliique notarii libere ab officio amoveri possunt ab Episcopo eparchiali, non autem ab Administratore eparchiae nisi de consensu collegii consultorum eparchialium.

Can. 256 - § 1. Episcopus eparchialis in loco tuto archivum curiae eparchialis constituat, in quo documenta, quae ad negotia eparchiae spectant, asserventur.

§ 2. Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium documentorum, quae in archivo curiae eparchialis asservantur, cum brevi eorum synopsi.

Can. 257 - § 1. Archivum curiae eparchialis clausum sit oportet eiusque clavem habeant Episcopus eparchialis et cancellarius; nemini licet in illud ingredi sine licentia aut solius Episcopi eparchialis aut Protosyncelli simul et cancellarii.

§ 2. Ius est eis, quorum interest, ut documentorum, quae natura sua sunt publica quaeque ad statum suae personae pertinent, exemplar authenticum per se vel per procuratorem recipiant.

Can. 258 - Ex archivo curiae eparchialis non licet efferre documenta nisi ad breve tempus tantum atque de licentia aut solius Episcopi eparchialis aut Protosyncelli simul et cancellarii.

Can. 259 - § 1. Sit in curia eparchiali etiam archivum secretum aut saltem in archivo curiae eparchialis armarium secretum omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri non potest, in quo documenta secreto servanda asserventur.

§ 2. Singulis annis destruantur acta procedurarum in poenis irrogandis in materia morum, quarum rei vita cesserunt aut quae a de-

cennio terminatae sunt, retento facti brevi summario et textu sententiae definitivae vel decreti.

Can. 260 - § 1. Archivi secreti vel armarii secreti clavem habeat solus Episcopus eparchialis.

§ 2. Sede eparchiali vacante archivum secretum vel armarium secretum ne aperiantur nisi in casu verae necessitatis ab ipso Administratore eparchiae.

§ 3. Ex archivo secreto vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 261,- § 1. Curet Episcopus eparchialis, ut etiam acta et documenta archivorum ecclesiarum cathedralium, paroecialium aliarumque intra fines territorii eparchiae exstantium diligenter asserventur atque actorum et documentorum inventarii duo exemplaria conficiantur, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo curiae eparchialis asserventur.

§ 2. Ut acta et documenta ad haec archiva pertinentia inspiciantur aut efferantur, serventur normae ab Episcopo eparchiali statutae.

3° De oeconomo eparchiali et de consilio a rebus oeconomicis

v Can. 262 - § 1. Episcopus eparchialis consultis collegio consultorum eparchialium atque consilio a rebus oeconomicis nominet oeconomum eparchialem, qui sit christifidelis in re oeconomica peritus et probitate praestans.

§ 2. Oeconomus eparchialis nominatur ad tempus iure particulari determinatum; munere durante ne amoveatur nisi gravi de causa ab Episcopo eparchiali aestimanda consultis collegio consultorum eparchialium atque consilio a rebus oeconomicis.

§ 3. Oeconomi eparchialis est sub Episcopi eparchialis potestate, qui eius iura ac relationes ad consilium a rebus oeconomicis pressius determinet, bona temporalia eparchiae administrare, administrationi bonorum ecclesiasticorum in tota eparchia vigilare, eorum conservationi, tutelae et incremento providere, administratorum localium neglegentiam supplere et bona ecclesiastica, quae administratore iure designato carent, per se administrare.

§ 4. Oeconomus eparchialis rationem administrationis Episcopo eparchiali quotannis et, quoties ab ipso Episcopo petitur, reddere- debet; Episcopus eparchialis vero per consilium a rebus oeconomicis rationes ab oeconomo eparchiali exhibitas examinet.

§ 5. Circa obligationes oeconomi eparchialis sede eparchiali vacante servandus est can. 232.

Can. 263 - § 1. Episcopus eparchialis consilium a rebus oeconomicis erigat, quod constet ex praeside, qui est ipse Episcopus eparchialis, et aliquot personis idoneis etiam iuris civilis, si fieri potest, peritis ab Episcopo eparchiali consulto collegio consultorum eparchialium nominandis, nisi iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris iam alio aequivalenti modo provisum est, firmo semper, ut ab aliis electi vel nominati indigeant confirmatione Episcopi eparchialis.

§ 2. Oeconomus eparchialis ipso iure est membrum consilii a rebus oeconomicis.

§ 3. A consilio a rebus oeconomicis excluduntur ii, qui cum Episcopo eparchiali usque ad quartum gradum inclusive consanguinitatis vel affinitatis coniuncti sunt.

§ 4. **Episcopus eparchialis in actibus maioris momenti rem oeconomicam respicientibus consilium a rebus oeconomicis audire ne praetermittat; huius autem membra tantum suffragium consultivum habent, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex documento fundationis eorum consensus exigitur.**

§ 5. Praeter alia munera ipsi iure communi commissa consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum, quae pro toto eparchiae regimine anno 'venturo praevidentur, necnon anno exeunte rationem accepti et expensi approbare.

Art. III

DE CONSILIO PRESBYTERALI ET DE COLLEGIO CONSULTORUM EPARCHIALIUM

Can. 264 - In eparchia constitui debet consilium presbyterale, scilicet coetus sacerdotum presbyterium repraesentans, qui Episcopum eparchialem suo consilio ad normam iuris adiuvet in eis, quae ad necessitates operis pastoralis et bonum eparchiae spectant.

Can. 265 - Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo eparchiali approbata firmis normis iuris communis et iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 266 - Circa constitutionem consilii presbyteralis haec serventur :

1° congrua pars membrorum ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris eligatur a sacerdotibus ipsis;

2° aliquot sacerdotes ad normam statutorum esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii sibi demandati ad consilium pertinent;

3° Episcopo eparchiali integrum est aliquot membra libere nominare.

Can. 267 - § 1. In eligendis membris consilii presbyteralis vocem activam et passivam habent :

1° omnes presbyteri eparchiae ascripti;

2° ceteri sacerdotes, qui in eparchia domicilium vel quasi-domicilium habent et simul in eiusdem eparchiae bonum aliquod munus exercent.

§ 2. Quatenus in statutis providetur, vox activa et passiva conferri potest etiam aliis sacerdotibus, qui domicilium vel quasi-domicilium in eparchia habent.

Can. 268 - Modus eligendi membra consilii presbyteralis a statutis determinandus est ita, ut, quatenus fieri potest, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita praesertim diversorum ministeriorum variorumque eparchiae districtuum.

Can. 269 - § 1. Episcopi eparchialis est consilium presbyterale convocare, eidem praeesse atque quaestiones in eodem tractandas determinare aut a membris propositas accipere.

§ 2. Episcopus eparchialis consilium presbyterale audiat in negotiis maioris momenti et in casibus iure communi expressis consulere debet; eius autem consensu eget solummodo in casibus iure communi expresse determinatis firmo iure Patriarchae circa negotia eparchiae, quam ipse regit, consilium presbyterale etiam in his casibus nonnisi consulendi.

§ 3. Consilium presbyterale numquam agere potest sine Episcopo eparchiali, ad quem solum etiam cura spectat ea divulgandi, quae in ipso consilio gesta sunt.

Can. 270 - § 1. Membra consilii presbyteralis designentur ad tempus in statutis determinandum ita tamen, ut integrum consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Sede eparchiali vacante consilium presbyterale cessat eiusque munera implentur a collegio consultorum eparchialium; intra annum a capta possessione canonica eparchiae computandum Episcopus eparchialis debet novum consilium presbyterale constituere.

§ 3. Si consilium presbyterale munus sibi in bonum eparchiae commissum non implet aut eodem graviter abutitur, Episcopus eparchialis consulto Metropolita aut, si de ipsa sede metropolitana agitur, consulto Episcopo eparchiali ordinatione episcopali seniore eidem Metropolitae subiecto illud dissolvere potest, sed intra annum novum consilium presbyterale constituere debet.

Can. 271 - § 1. Episcopus eparchialis constituere debet collegium consultorum eparchialium, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Collegium consultorum eparchialium ad quinquennium constituitur, quo tamen elapso munera sua propria exercere pergit, donec novum collegium constitutum erit.

§ 3. Membra collegii consultorum eparchialium debent esse numero non minus quam sex nec plus quam duodecim; si quacumque de causa intra determinatum quinquennium numerus minimus membrorum collegii iam non habetur, Episcopus eparchialis quam primum collegium nominatione novi membri integret, secus collegium valide agere non potest.

§ 4. Membra collegii consultorum eparchialium libere nominantur ab Episcopo eparchiali ex eis, qui tempore nominationis sunt membra consilii presbyteralis.

§ 5. Collegio consultorum eparchialium praeest Episcopus eparchialis; sede eparchiali vacante vel impedita is, qui interim Episcopi eparchialis locum tenet aut, si constitutus non est, sacerdos in eodem collegio sacra ordinatione senior.

§ 6. **Quoties ius statuit Episcopum eparchialem indigere consensu collegii consultorum eparchialium, Patriarcha in negotiis eparchiae, quam ipse regit, sufficit, ut hoc collegium consulat.**

Art. IV

DE CONSILIO PASTORALI

Can. 272 - In eparchia, si adiuncta pastoralia id suadent, constituatur consilium pastorale, cuius est sub auctoritate Episcopi eparchialis ea, quae ad opera pastoralia in eparchia spectant, investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 273 - § 1. Consilium pastorale, quod coetus consultivus tantum est, constat ex clericis, ex religiosis vel sodalibus societatum vitae communis ad instar religiosorum et praesertim ex laicis designatis modo ab Episcopo eparchiali determinato.

§ 2. Consilium pastorale ita constituatur, ut, quatenus fieri potest, **christifideles eparchiae ratione habita diversorum generum personarum, consociationum et aliorum inceptorum repraesententur.**

§ 3. Una cum his christifidelibus Episcopus eparchialis potest alios quoque, etiam alterius Ecclesiae sui iuris, pro opportunitate ad consilium pastorale invitare.

§ 4. Ad consilium pastorale ne designentur nisi christifideles certa fide, bonis moribus et prudentia praestantes.

Can. 274 - § 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus secundum praescripta statutorum, quae ab Episcopo eparchiali dantur.

§ 2. Sede eparchiali vacante consilium pastorale cessat.

Can. 275 - Ad solum Episcopum eparchialem pertinet consilium pastorale secundum necessitates apostolatus convocare, eidem praeesse et ea, quae in eodem tractata sunt, publicare.

Art. V

DE PROTOPRESBYTERIS

Can. 276 - § 1. Protopresbyter est presbyter, qui districtui ex pluribus paroeciis constanti praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi eparchialis munera iure determinata expleat.

§ 2. Huiusmodi districtus erigere, immutare et supprimere secundum necessitates actionis pastoralis pertinet ad Episcopum eparchialem consulto consilio presbyterali.

Can. 277 - § 1. Ad protopresbyteri officium, quod salvo iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris cum ofiicio parochi certae paroeciae stabiliter coniungi non debet, Episcopus eparchialis nominet auditis, si opportunum ducit, parochis et vicariis paroecialibus districtus, de quo agitur, presbyterum doctrina et apostolica alacritate praestantem praesertim inter parochos.

§ 2. Protopresbyter nominatur ad tempus iure particulari determinatum.

§ 3. Episcopus eparchialis protopresbyterum iusta de causa ab officio amovere potest.

Can. 278 - § 1. Protopresbytero praeter potestates et facultates a iure particulari ei collatas ius et obligatio est :

.1° actionem pastoralem communem promovendi et coordinandi ;

2° prospiciendi, ut clerici vitam ducant proprio statui congruam atque suis obligationibus diligenter satisfaciant;

3° providendi, ut Divina Liturgia et laudes divinae secundum praescripta librorum liturgicorum celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum sacraeque supellectilis praesertim in celebratione Divinae Liturgiae et custodia Divinae Eucharistiae accurate serventur, ut recte conscribantur et asserventur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, denique, ut domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In districtu sibi concredito protopresbyter :

1° operam det, ut clerici frequentent collationes, quas Hierarcha loci opportunas iudicat ad scientias sacras et res pastorales promovendas ;

2° curet, ut clericis subsidia spiritualia praesto sint, itemque maxime sollicitus sit de eis, qui in difficilioribus versantur circumstantiis aut problematibus anguntur.

§ 3. Curet protopresbyter, ne parochi, quos graviter aegrotantes novit, eorumque familia, si coniugati sunt; spiritualibus et materialibus auxiliis careant atque ut eorum, qui decesserunt, funera digne celebrentur ; provideat quoque, ne occasione aegrotationis vel mortis depereant aut asportentur libri, documenta, sacra supellex aliaque, quae ad Ecclesiam pertinent.

§ 4. Protopresbyter obligatione tenetur secundum determinationem ab Episcopo eparchiali factam paroecias visitandi.

CAPUT III

DE PAROECIIS, DE PAROCHIS ET DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 279 - Paroecia est certa communitas christifidelium in eparchia stabiliter constituta, cuius cura pastoralis committitur parocho.

Can. 280 - § 1. Paroecia regulariter sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; si vero de iudicio Episcopi eparchialis consulto consilio presbyterali id expedit, erigantur paroeciae personales ratione nationis, linguae, ascriptionis christifidelium alii Ecclesiae sui iuris immo vel alia definita ratione determinatae.

§ 2. Paroecias erigere, immutare et supprimere est Episcopi eparchialis consulto consilio presbyterali.

§ 3. Paroecia legitime erecta ipso iure persona iuridica est.

Can. 281 - § 1. Parochus est presbyter, cui ut praecipuo cooperatori Episcopi eparchialis tamquam pastori proprio cura animarum committitur in determinata paroecia sub auctoritate eiusdem Episcopi eparchialis.

§ 2. Persona iuridica valide parochus esse non potest.

Can. 282 - § 1. Episcopus eparchialis, non vero Administrator eparchiae, potest consulto consilio presbyterali ac de consensu Superioris maioris instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar

religiosorum paroeciam erigere in ecclesia eiusdem instituti vel societatis firmo can. 480.

§ 2. Haec erectio fieri debet mediante conventione scripto data inter Episcopum eparchialem et Superiorem maiorem instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum, qua accurate statuantur, quae ad ministerium paroeciale implendum, ad personas paroeciae addicendas, ad res oeconomicas spectent, ac quaenam sint iura et obligationes sodalium eiusdem instituti vel societatis in illa ecclesia et quaenam parochi.

Can. 283 - Episcopus eparchialis certos coetus personarum, aedificia et loca, quae in paroeciae territorio sunt et iure non exempta, a parochi cura ex toto aut ex parte ne subducat nisi gravi de causa.

Can. 284 - § 1. Ius nominandi parochos competit soli Episcopo eparchiali, qui eos libere nominat.

§ 2. Ad paroeciam vero sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum concredendam Superior maior presbyterum idoneum sui instituti vel societatis Episcopo eparchiali ad nominationem proponit salvis conventionibus initis cum Episcopo eparchiali vel alia auctoritate a iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris determinata.

§ 3. Parochus in suo ofiicio stabilis est, quare ad tempus determinatum ne nominetur nisi :

1° agitur de sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum;

2° candidatus ad hoc scripto consensit;

3° agitur de casu speciali, quo in casu requiritur consensus collegii consultorum eparchialium;

4° ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris id permittit.

Can. 285 - § 1. Ut presbyter parochus nominari possit, oportet sit bonis moribus, sana doctrina, animarum zelo, prudentia ceterisque virtutibus et dotibus praeditus, quae ad ministerium paroeciale cum laude implendum iure requiruntur.

§ 2. Si presbyter matrimonio est iunctus, boni mores et in uxore et in filiis suis secum degentibus requiruntur.

§ 3. Paroeciam vacantem Episcopus eparchialis conferat illi, quem omnibus perpensis adiunctis aestimat idoneum omni personarum acceptione remota; ut iudicium de idoneitate ferat, audiat protopresbyterum aptasque investigationes peragat auditis, si opportunum ducit, etiam aliis christifidelibus praesertim clericis.

Can. 286 - Sede eparchiali vacante aut impedita ad Administratorem eparchiae aliumve, qui eparchiam interim regit, pertinet:

1° parochum nominare presbyterum a Superiore maiore ad normam can. 284, § 2 propositum;

2° parochum ex aliis presbyteris nominare, si sedes eparchialis unum saltem annum vacavit aut impedita est.

Can. 287 - § 1. Parochus unius paroeciae tantum curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen presbyterorum aut alia adiuncta plurium vicinarum paroeciarum cura eidem parocho concredi potest.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus; si vero ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris permittit, ut paroecia pluribus presbyteris committatur, idem ius particulare accurate determinet, quaenam sint iura et obligationes moderatoris, qui actionem communem dirigat atque de eadem Episcopo eparchiali respondeat, et quaenam ceterorum presbyterorum.

Can. 288 - Parochus a provisione canonica obtinet curam animarum, quam tamen eidem exercere non licet nisi capta ad normam iuris particularis possessione canonica paroeciae.

Can. 289 - § 1. In exsequendo munere docendi parochus obligatione tenetur verbum Dei praedicandi omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; itemque institutione catechetica christifideles ad plenam mysterii salutis cognitionem ducendi unicuique aetati accommodatam; ad hanc institutionem tradendam non solum sodalium institutorum religiosorum vel societatum vitae communis ad instar religiosorum auxilium quaerat, sed etiam laicorum cooperationem.

§ 2. In perficiendo munere sanctificandi curet parochus, ut celebratio Divinae Liturgiae centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque allaboret, ut christifideles spirituali pabulo pascantur per devotam et frequentem sacramentorum susceptionem atque per consciam et actuosam in laudibus divinis participationem; meminerit etiam parochus quam maxime sacramentum paenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre; quare facilem se praebeat ad hoc sacramentum ministrandum vocatis ad hoc, si opus est, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas callent.

§ 3. In adimplendo munere regendi imprimis curet parochus, ut proprium gregem cognoscat; cum autem omnium ovium sit minister, vitae christianae incrementum foveat tum in singulis christifidelibus tum in consociationibus praesertim apostolatui addictis tum in tota communitate paroeciali; domos igitur et scholas visitet, prout munus pastorale id

exigit; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciat; pauperes et infirmos paterna caritate prosequatur ; specialem denique curam de opificibus habeat atque allaboret, ut christifideles operibus apostolatus auxilium praestent.

Can. 290 - § 1. In omnibus negotiis iuridicis paroeciae parochus eiusdem personam gerit.

§ 2. Functiones sacrae maioris momenti, ut sunt celebratio sacramentorum initiationis christianae, benedictio matrimoniorum firmo can. 302, § 2, exsequiae ecclesiasticae ad parochum spectant ita, ut vicariis paroecialibus eas perficere non liceat nisi de licentia saltem praesumpta ipsius parochi.

Can. 291 - Oblationes omnes eis exceptis, de quibus in cann. 715 - 717, quae occasione perfuncti muneris pastoralis a parocho ceterisque clericis paroeciae addictis recipiuntur, ad massam paroecialem deferri debent, nisi de contraria offerendis voluntate constat circa oblationes plene voluntarias; Episcopo eparchiali consulto consilio presbyterali competit statuere praescripta, quibus destinationi harum oblationum necnon iustae remunerationi parochi ceterorumque paroeciae clericorum ad normam can. 390 provideatur.

Can. 292 - § 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope ecclesiam paroecialem ; potest tamen Hierarcha loci iusta de causa permittere, ut alibi commoretur, dummodo ministerium paroeciale nihil inde detrimenti capiat.

§ 2. Nisi gravis obstat ratio, parocho feriarum gratia licet quotannis a paroecia abesse non ultra mensem continuum aut intermissum; quod in tempus feriarum dies non computantur, quibus semel in anno parochus recessui spirituali vacat; parochus autem, si ultra hebdomadam a paroecia abesse vult, tenetur de hoc proprium Hierarcham loci certiorem facere.

§ 3. Episcopi eparchialis est normas statuere, quibus prospiciatur, ut parochi absentia durante curae paroeciae provideatur per sacerdotem debitis potestatibus et facultatibus praeditum.

Can. 293 - Memor sit parochus se debere sua cottidiana conversatione et sollicitudine baptizatis et non baptizatis, catholicis et acatholicis, exemplum ministerii vere sacerdotalis et pastoralis exhibere omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere et ut bonus pastor illos quoque quaerere, qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a susceptione sacramentorum se abstinent vel immo a fide defecerunt.

Can. 294 - Divinam Liturgiam pro populo paroeciae sibi concreditae parochus frequenter celebret, diebus vero iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris praescriptis celebrare tenetur.

Can. 295 - In paroecia habeantur ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris opportuna consilia ad res pastorales et oeconomicas tractandas.

Can. 296 - § 1. In paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum aliique secundum normas iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris aut, si hae desunt, ab ipso Episcopo eparchiali statutas; prospiciat parochus, ut libri paroeciales servatis eisdem normis recte conscribantur atque asserventur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque ascriptio baptizati determinatae Ecclesiae sui iuris ad normam can. 37, ministratio chrismationis sancti myri necnon, quae ad christifidelium pertinent statum canonicum ratione matrimonii salvo quidem can. 840, § 3, ratione adoptionis itemque ratione ordinis sacri vel professionis perpetuae in instituto religioso ; hae adnotationes in testimonium baptismi semper referantur.

§ 3. Testimonia, quae de statu canonico christifidelium dantur, et omnia documenta, quae momentum habere possunt iuridicum ab ipso parocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciali muniantur.

§ 4. In paroecia habeatur archivum, in quo libri paroeciales asserventur una cum Hierarcharum epistulis aliisque documentis necessitatis vel utilitatis causa servandis ; quae omnia ab Episcopo eparchiali eiusve delegato visitationis canonicae vel alio tempore opportuno inspicienda parochus caveat, ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 5. Libri paroeciales antiquiores quoque asserventur ad normam iuris particularis.

Can. 297 - § 1. Parochus ab officio cessat renuntiatione ab Episcopo eparchiali acceptata, elapso tempore determinato, amotione vel translatione.

§ 2. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno rogatur, ut renuntiationem ab officio exhibeat Episcopo eparchiali, qui omnibus personae et loci inspectis adiunctis de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo eparchiali providendum est attentis normis iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 298 - Si vacat paroecia aut parochus quacumque de causa a munere pastorali in paroecia exercendo impeditur, Episcopus eparchialis quam primum aliquem sacerdotem nominet administratorem paroeciae.

Can. 299 - § 1. Administrator paroeciae eadem iura et obligationes habet ac parochus, nisi ab Episcopo eparchiali aliud statuitur.

§ 2. Administratori paroeciae nihil agere licet, quod praeiudicium afferre potest iuribus parochi aut damno esse potest bonis paroecialibus.

§ 3. Administrator paroeciae expleto munere parocho rationem reddat.

Can. 300 - § 1. Paroecia vacante itemque parocho a munere pastorali exercendo penitus impedito ante administratoris paroeciae nominationem curam paroeciae interim assumat vicarius paroecialis et quidem, si plures sunt, eorum ordinatione presbyterali senior aut, si vicarii desunt, parochus vicinior ; Episcopus eparchialis autem tempestive determinet, quaenam cuique paroecia vicinior habenda sit.

§ 2. Qui paroeciae regimen interim assumpsit, Episcopum eparchialem de re statim certiorem faciat.

Can. 301 - § 1. Si ad curam pastoralem paroeciae debite implendam necesse aut opportunum est, parocho adiungi possunt unus vel plures vicarii paroeciales, qui debent esse presbyteri.

§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive pro tota paroecia sive pro determinata paroeciae parte.

§ 3. Vicarium paroecialem libere nominat Episcopus eparchialis audito, nisi aliter prudenter iudicat, parocho et, si de sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum agitur, servato can. 284, § 2.

Can. 302 - § 1. Vicarii paroecialis iura et obligationes ex iure communi et particulari necnon ex litteris Episcopi eparchialis desumantur et sub auctoritate parochi exercenda sunt; sed, nisi aliter expresse cavetur et excepta obligatione, de qua in can. 294, vicarius paroecialis debet ratione officii parochum adiuvare in toto ministerio paroeciali et, si res fert, parochi vicem supplere.

§ 2. Ratione autem officii vicarius paroecialis facultate matrimonia benedicendi praeditus non est ; hanc tamen facultatem, etiam generalem, ei conferre potest praeter Hierarcham loci etiam parochus intra fines paroeciae ; quam facultatem, si ipsi collata est, vicarius paroecialis aliis quoque sacerdotibus singulis in casibus conferre potest.

§ 3. Vicarius paroecialis tamquam parochi cooperator praestantem et actuosam operam cottidie impendat in munere pastorali; inter parochum et vicarium paroecialem fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat iidemque consiliis, auxilio et exemplo se invicem adiuvent curae paroeciali concordi voluntate communique studio providentes.

§ 4. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia residendi secundum praescripta Episcopi eparchialis vel legitimas consuetudines ; circa tempus feriarum vero vicarius paroecialis idem ius habet ac parochus.

Can. 303 - Vicarius paroecialis potest ab Episcopo eparchiali amoveri iusta de causa ; si vero vicarius paroecialis est sodalis instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum, servetur can. 1391, § 2.

CAPUT IV

DE RECTORIBUS ECCLESIARUM

Can. 304 - Rector ecclesiae est presbyter, cui cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis est nec adnexa domui instituti vitae consecratae.

Can. 305 - § 1. Rector ecclesiae nominatur ab Episcopo eparchiali salvo iure Superioris maioris instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum presbyterum idoneum sui instituti vel societatis ad nominationem proponendi.

§ 2. Etsi ecclesia pertinet ad aliquod institutum vitae consecratae clericale iuris pontificii vel patriarchalis, Episcopo eparchiali competit rectorem ecclesiae a Superiore propositum nominare.

§ 3. Si ecclesia coniuncta est cum seminario aliove collegio, quod a presbyteris regitur, rector seminarii vel collegii est simul rector ecclesiae, nisi aliud Episcopus eparchialis statuit.

Can. 306 - § 1. In ecclesia sibi commissa rectori ecclesiae functiones paroeciales peragere non licet nisi consentiente aut, si res fert, delegante parocho et firmo can. 336, § 2.

§ 2. Rector ecclesiae potest ibidem Divinam Liturgiam et laudes divinas celebrare salvis legitimis fundationis statutis atque, dummodo haec de iudicio Hierarchae loci nullo modo ministerio paroeciali praeiudicium afferant.

Can. 307 - Hierarcha loci, si id opportunum censet, potest rectori ecclesiae praecipere, ut determinatas in ecclesia sibi commissa celebret functiones sacras, etiam paroeciales, necnon ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus.

Can. 308 - Sine rectoris ecclesiae vel auctoritatis superioris licentia saltem praesumpta nemini licet in ecclesia Divinam Liturgiam vel laudes divinas celebrare, sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel denegari debet ad normam iuris.

Can. 309 - Rector ecclesiae sub auctoritate Hierarchae loci servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis debet curare, ut Divina Liturgia, sacramenta et laudes divinae secundum praescripta librorum liturgicorum et iuris in ecclesia celebrentur, onera fideliter impleantur, bona ecclesiastica diligenter administrentur, sacrae supellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur nec quidpiam fiat, quod sanctitati loci ac reverentiae domui Dei debitae quoquo modo non congruat.

Can. 310 - Rectorem ecclesiae Episcopus eparchialis amovere potest iusta de causa.; si vero rector ecclesiae est sodalis instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum, servetur can. 1391, § 2.

TITULUS VIII

DE EXARCHIIS ET DE EXARCHIS

Can. 311 - § 1. Exarchia est populi Dei portio, quae ob specialia adiuncta ut eparchia non est erecta quaeque territorialiter vel alia ratione circumscripta Exarcho pascenda concreditur.

§ 2. In erectione, immutatione et suppressione exarchiae, quae intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sita est, servandus est can. 85, § 3; erectio, immutatio et suppressio ceterarum exarchiarum soli Sedi Apostolicae competit.

Can. 312 - Exarchus exarchiam regit aut nomine illius, a quo nominatus est, aut nomine proprio; de qua re in erectione vel immutatione exarchiae constare debet.

Can. 313 - Quae in iure de eparchiis vel de Episcopis eparchialibut dicuntur, valent etiam de exarchiis vel de Exarchis, nisi aliter iure expresse cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 314 - § 1. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis Exarchus nominatur a Patriarcha de consensu Synodi permanentis et firmis cann. 181 - 188, si de Exarcho agitur, qui Episcopus ordinandus est; in ceteris casibus nominatio Exarchi competit soli Sedi Apostolicae.

§ 2. Exarchus a Patriarcha nominatus ab officio amoveri non potest nisi de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

§ 3. Exarchus possessionem canonicam exarchiae sibi concreditae capit decretum nominationis ostendens ei, qui interim exarchiam regit.

Can. 315 - § 1. Exarchus extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constitutus a Patriarcha presbyteros idoneos expetere potest, qui curam pastoralem christifidelium in exarchia suscipiant ; Patriarcha autem, quatenus fieri potest, petitioni Exarchi satisfaciat.

§ 2. Presbyteri a Patriarcha ad tempus determinatum aut indeterminatum in exarchiam missi exarchiae addicti habentur et in omnibus subsunt potestati Exarchi.

Can. 316 - A decretis Exarchi, qui nomine Romani Pontificis vel Patriarchae exarchiam regit, recursus fit respective ad Sedem Apostolicam vel Patriarcham; a decretis Exarchi, qui nomine proprio exarchiam regit, recursus fit ad ordinariam normam iuris.

Can. 317 - Exarchus obligatione tenetur sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina visitandi ad normam can. 208 exceptis Exarchis, qui nomine Patriarchae exarchiam sibi concreditam regunt.

Can. 318 - § 1. Exarchus a Patriarcha nominatus debet quinto quoque anno relationem scripto datam ad Patriarcham de statu spirituali et temporali exarchiae mittere.

§ 2. Exarchus a Romano Pontifice nominatus eandem relationem Sedi Apostolicae singulis quinquenniis debet facere et, si ad Ecclesiam patriarchalem pertinet, etiam Patriarchae exemplar relationis quam primum mittere.

Can. 319 - § 1. Legibus de conventu eparchiali, de curia eparchiali, de consilio presbyterali, de collegio consultorum eparchialium et de consilio pastorali Exarchus tenetur locorum et personarum rationi iudicio auctoritatis, quae exarchiam erexit vel immutavit, aeque accommodatis.

§ 2. Si collegium consultorum ad normam can. 271, § 3 constitui non potest, Exarchus constituat coetum ex prudentioribus presbyteris non minus quam tribus, quatenus fieri potest inter membra consilii presbyteralis, si hoc exstat, selectis, cuius consensum vel consilium exquirere debet, quoties ius statuit Episcopum eparchialem ad agendum indigere consensu vel consilio collegii consultorum eparchialium.

Can. 320 - § 1. Exarchiae vacantis vel impeditae regimen transit ad Protosyncellum aut, si deest, ad parochum ordinatione presbyterali seniorem.

§ 2. Ille, ad quem exarchiae regimen interim devenit, quam primum debet certiorem facere auctoritatem, cuius est Exarchum nominare, ut provideat; interim vero uti potest omnibus potestatibus et facultatibus sive ordinariis sive delegatis, quas Exarchus habuit, nisi eidem commissae sunt industria personae Exarchi.

Can. 321 - § 1. Exarchus, qui Episcopus ordinatus non est, habet durante munere privilegia et insignia primae post episcopalem dignitatis.

§ 2. In his privilegiis et insignibus retinendis vel minus expleto munere servetur ius particulare.

TITULUS IX

DE CONVENTIBUS HIERARCHARUM PLURIUM ECCLESIARUM SUI IURIS

Can. 322 - § 1. Ubi id de iudicio Sedis Apostolicae opportunum videtur, Patriarchae, Metropolitae Ecclesiarum metropolitanarum sui iuris, Episcopi eparchiales et, si statuta ita ferunt, etiam ceteri Hierarchae loci plurium Ecclesiarum sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, in eadem natione vel regione potestatem suam exercentes ad periodicos conventus statis temporibus convocandi sunt a Patriarcha aliave auctoritate a Sede Apostolica designata, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus et collatis consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio, qua unitas actionis foveatur, communia opera iuventur, bonum religionis expeditius promoveatur atque disciplina ecclesiastica efficacius servetur.

§ 2. Decisiones huius conventus vim iuridice obligandi non habent, nisi de eis agitur, quae nulli possunt esse praeiudicio ritui uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris vel potestati Patriarcharum, Synodorum, Metropolitarum atque Consiliorum Hierarcharum atque simul saltem per duas ex tribus partibus suffragiorum membrorum suffragium deliberativum habentium latae necnon a Sede Apostolica approbatae sunt.

§ 3. Decisio, etsi unanimo suffragio facta, quae quomodocumque competentiam huius conventus excedit, omni vi caret, donec ab ipso Romano Pontifice approbata erit.

§ 4. Unusquisque conventus Hierarcharum plurium Ecclesiarum sui iuris sua conficiat statuta, in quibus foveatur, quatenus fieri potest, etiam participatio Hierarcharum Ecclesiarum, quae nondum sunt in plena communione cum Ecclesia catholica; statuta, ut valeant, a Sede Apostolica approbari debent.

TITULUS X

DE CLERICIS

Can. 323 - § 1. Clerici, qui etiam ministri sacri vocantur, sunt christifideles, qui ab auctoritate competenti ecclesiastica electi per donum Spiritus Sancti in sacra ordinatione receptum deputantur, ut in Christi Pastoris missione et potestate partem habentes Ecclesiae sint ministri.

§ 2. Ratione sacrae ordinationis clerici ex divina institutione a ceteris christifidelibus distinguuntur.

Can. 324 - Clerici inter se communione hierarchica iuncti et in variis gradibus constituti unum ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversimode participant.

Can. 325 - Clerici ratione sacrae ordinationis distinguuntur in Episcopos, presbyteros et diaconos.

Can. 326 - Clerici in gradibus ordinis ipsa sacra ordinatione constituuntur ; potestatem autem exercere non possunt nisi ad normam iuris.

Can. 327 - Si praeter Episcopos, presbyteros vel **diaconos alii etiam ministri in ordine minore constituti et generatim clerici minores vocati ad populi Dei servitium vel ad functiones sacrae liturgiae exercendas admittuntur vel instituuntur, iidem reguntur tantum iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris.**

CAPUT I

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Can. 328 - Ecclesiae proprium ius et obligatio est clericos aliosque suos ministros instituendi; quae obligatio singulariter et impensius exercetur seminariis erigendis et regendis.

Can. 329 - § 1. Opus fovendarum vocationum praesertim ad ministeria sacra ad totam communitatem christianam pertinet, quae pro sua corresponsabilitate sollicita sit oportet de necessitatibus ministerii universae Ecclesiae :

1° curent parentes, magistri aliique vitae christianae primi educatores, ut familiis et scholis spiritu evangelico animatis pueri et

iuvenes Dominum per Spiritum Sanctum vocantem libere auscultare eique libenter respondere possint;

2° clerici, imprimis parochi, studeant vocationes sive in adulescentibus sive in aliis, etiam provectioris aetatis, dignoscere atque fovere ;

3° Episcopi eparchialis praecipue est coniunctis viribus eum aliis Hierarchis in vocationibus provehendis gregem suum excitare inceptaque coordinare.

§ 2, Iure particulari provideatur;, ut opera ad vocationes provehendas sive regionalia sive, quatenus fieri potest, eparchialia in omnibus Ecclesiis instituantur, quae aperta sint oportet ad universae Ecclesiae necessitates, praecipue missionales.

Can. 330 - § 1. Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilii Hierarcharum est edere rationem institutionis clericorum, qua ius commune pressius explicandum est pro seminariis intra fines territorii propriae Ecclesiae sitis; in ceteris casibus vero Episcopi eparchialis est conficere huius generis rationem eparchiae suae propriam firmo can. 150, § 3; istarum auctoritatum est rationem etiam immutare.

§ 2. Ratio institutionis clericorum potest esse, conventionibus etiam initis, communis toti regioni vel nationi vel immo aliis Ecclesiis sui iuris cauto, ne quid indoles rituum detrimenti capiat.

§ 3. Ratio institutionis clericorum, iure communi fideliter servato et prae oculis habita traditione propriae Ecclesiae sui iuris, comprehendat praeter alia normas magis speciales circa formationem personalem, spiritualem, doctrinalem et pastoralem alumnorum necnon circa singulas disciplinas tradendas atque ordinationem cursuum et examinum.

Art. I

DE SEMINARIIS ERIGENDIS ET REGENDIS

Can. 331 - § 1, In seminario minore instituuntur imprimis ii, qui indicia vocationis ad ministeria sacra exhibere videntur, ut facilius et clarius eam sibi dignoscere deditoque animo excolere possint ; ad normam iuris particularis institui etiam possunt ii, qui, etsi ad statum clericalem vocati non videntur, ad quaedam ministeria vel opera apostolatus implenda formari possunt. Alia vero* instituta, quae ex propriis statutis eisdem finibus inserviunt, etsi nomine differunt, seminario minore aequiparantur.

§ 2. In seminario maiore plenius excolitur, probatur atque confirmatur vocatio eorum, qui certis signis idonei iam aestimantur ad ministeria sacra stabiliter suscipienda.

Can. 332 - § 1, Seminarium minus erigatur in unaquaque eparchia, si id postulat bonum Ecclesiae et vires opesque sinunt.

§ 2. Erigendum est seminarium maius, quod inserviat aut uni amplissimae eparchiae aut, si non toti Ecclesiae sui iuris, saltem conventionibus initis pluribus eparchiis eiusdem Ecclesiae sui iuris, immo et diversarum Ecclesiarum sui iuris, quae in eadem regione vel natione eparchiam habent, ita, ut tum congruo alumnorum numero tum ea, qua par est, moderatorum ac magistrorum probe paratorum copia necnon subsidiis sufficientibus optimisque viribus coniunctis institutioni provideatur, cui nihil desideratur.

Can. 333 - Etsi optandum est, ut alumnis unius Ecclesiae sui iuris seminarium, praecipue minus, reservetur, ob speciales circumstantias in idem seminarium alumni etiam aliarum Ecclesiarum sui iuris admitti possunt.

Can. 334 - § 1. Seminarium pro propria eparchia erigitur ab Episcopo eparchiali; seminarium pluribus eparchiis commune ab Episcopis eparchialibus earundem eparchiarum vel ab auctoritate superiore, tamen de consensu Consilii Hierarcharum, si de Metropolita Ecclesiae metropolitanae sui iuris agitur, aut de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, si de Patriarcha.

§ 2. Episcopi eparchiales, pro quorum subditis seminarium Commune erectum est, non possunt aliud seminarium valide erigere sine consensu auctoritatis, quae seminarium commune erexit, aut, si de seminario ab ipsis Episcopis eparchialibus erecto agitur, sine unanimi consensu partium convenientium vel sine consensu auctoritatis superioris.

Can. 335 - § 1. Seminarium legitime erectum ipso iure persona iuridica est.

§ 2. In omnibus negotiis iuridicis rector seminarii eiusdem personam gerit, nisi ius particulare vel statuta seminarii aliud statuunt.

Can. 336 - § 1. Seminarium pluribus eparchiis commune subiectum est Hierarchae designato ab eis, qui seminarium erexerunt.

§ 2. Exemptum a regimine paroeciali seminarium est; pro omnibus, qui in seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo can. 734, impleat rector seminarii eiusve delegatus.

Can. 337 - § 1. Seminarium propria statuta habeat, in quibus determinentur imprimis finis specialis seminarii et competentia auctoritatum; statuantur praeterea modus nominationis vel electionis, duratio in officio, iura et obligationes atque iusta remuneratio moderai-

torum, officialium et magistrorum ac consiliorum necnon rationes, quibus ipsi immo et alumni curam rectoris in disciplina seminarii praesertim servanda participent.

§ 2. Seminarium habeat quoque proprium directorium, quo normae rationis institutionis clericorum adiunctis specialibus accommodatae in effectum ducantur necnon pressius determinentur potiora disciplinae seminarii capita, quae firmis statutis ad institutionem alumnorum ac vitam cottidianam totiusque seminarii ordinem spectant.

§ 3. Statuta seminarii approbatione indigent auctoritatis, quae seminarium erexit cuique etiam competit. si casus fert, ea mutare ; haec circa directorium spectant ad auctoritatem in statutis determinatam.

Can. 338 - § 1. In quolibet seminario habeantur rector et, si casus fert, oeconomus aliique moderatores et officiales.

§ 2. Rectoris est ad normam statutorum moderamen generale seminarii curare, statutis et directorio seminarii ab omnibus observandis instare, opera aliorum moderatorum et officialium coordinare totiusque seminarii unitatem ac collaborationem fovere.

Can. 339 - § 1. Assit quoque saltem unus pater spiritualis a rectore distinctus, praeter quem alumni quemlibet alium presbyterum a rectore ad eorundem directionem spiritualem approbatum libere petere possunt.

§ 2. Praeter confessarios ordinarios alii quoque confessarii sint designati vel invitati integro alumnorum iure quemlibet confessarium, etiam extra seminarium, salva disciplina seminarii petendi.

§ 3. In iudicandis personis non licet confessariorum vel patrum spiritualium votum exquirere.

Can. 340 - § 1. Si cursus traderidarum disciplinarum in ipso seminario instituuntur, assit congruus numerus magistrorum apte selectorum in sua quisque scientia vepe peritorum, in seminario maiore quidem congruis gradibus academicis ornatorum.

§ 2. Praeparatione propria constanter ad diem perducta magistri conferant inter se et cum seminarii moderatoribus concorditer cooperantes ad integram futurorum Ecclesiae ministrorum institutionem, inter varietates disciplinarum unitati fidei ac formationi intenti.

§ 3. Magistri scientiarum sacrarum vestigia sanctorum Patrum ac ab Ecclesia collaudatorum Doctorum praesertim Orientis secuti ex praeclaro thesauro ab eisdem tradito doctrinam illustrare nitantur.

Can. 341 - § 1. Auctoritatis, quae seminarium erexit, est curare, ut provideatur seminarii expensis etiam per tributa vel oblationes, de quibus in cann. 1012 et 1014.

§ 2. Tributo pro seminario obnoxiae sunt etiam domus religiosorum, nisi solis eleemosynis sustentantur aut in eis sedes studiorum, de qua in cann. 471, § 2 et 536, § 2, actu habetur.

Art. II

DE INSTITUTIONE AD MINISTERIA

Can. 342 - § 1. Ii tantum in seminarium admittantur alumni, qui probantur ex documentis ad normam statutorum requisitis habiles esse.

§ 2. Nemo recipiatur, nisi certo constat de susceptis sacramentis baptismi et chrismationis sancti myri.

§ 3. Qui antea in alio seminario vel in aliquo instituto religioso vel societate vitae communis ad instar religiosorum alumni fuerunt, ne admittantur nisi obtento testimonio rectoris aut Superioris praesertim de causa dimissionis vel discessus.

Can. 343 - Alumni, etsi in seminarium alterius Ecclesiae sui iuris vel plurium Ecclesiarum sui iuris commune admissi, proprio ritu instituantur reprobata contraria consuetudine.

Can. 344 - § 1. Adulescentes et iuvenes in seminario minore degentes congruentem servent consuetudinem cum propriis familiis et coaetaneis, qua indigent ad sanam evolutionem psychologicam, praesertim affectivam ; sedulo autem vitentur omnia, quae secundum sanas psychologiae et paedagogiae normas liberam electionem status quocumque modo minuere possunt.

§ 2. Apta directione spirituali adiuti assuescant alumni ad decisiones personales et responsabiles in luce Evangelii faciendas et ad suas varias ingenii dotes iugiter excolendas non praetermissis ullis virtutibus humanae naturae congruentibus.

§ 3. Curriculum studiorum seminarii minoris comprehendat ea, quae in unaquaque natione ad studia superiora incohanda requiruntur et, quatenus ratio studiorum permittit, etiam ea, quae praesertim ad ministeria sacra suscipienda utilia sunt; communiter curetur, ut alumni civilem studiorum titulum consequantur et perinde studia etiam alibi prosequi possint, si ad id eligendum perventum est.

§ 4. Alumni provectioris aetatis instituantur sive in seminario sive in instituto speciali ratione habita etiam praecedentis uniuscuiusque formationis.

Can. 345 - Institutio alumnorum in seminario maiore perficiatur suppletis eis, quae forte in singulis casibus institutioni seminario

minori propriae defuerunt, formatione spirituali, intellectuali et pastorali inter se integrantibus ita, ut efficiantur ministri Christi in medio Ecclesiae, lux et sal mundi huius temporis.

Can. 346 - § 1. Aspirantes ad ministeria sacra formentur, ut in Spiritu Sancto consortium familiare cum Christo colant et in omnibus Deum quaerant ita, ut Christi Pastoris caritate impulsi omnes homines dono suae ipsorum vitae regno Dei lucrifacere solliciti fiant.

§ 2. Ex verbo Dei et sacramentis imprimis vim pro sua vita spirituali et apostolico labore robur in dies hauriant :

1° verbi Dei vigili atque constanti meditatione et secundum Patres fideli illustratione assuescant alumni ad suam vitam magis vitae Christi configurandam et in fide, spe et caritate firmati se exerceant ad vivendum secundum formam Evangelii ;

2° participent assidue Divinae Liturgiae, quae appareat et seminarii vitae, sicut est totius vitae christianae, fons et culmen;

3° laudes divinas iugiter celebrare secundum proprium ritum addiscant et ex eis vitam spiritualem alant;

4° directione spirituali magni habita addiscant conscientiam suam recte discutere et sacramentum paenitentiae frequenter suscipiant;

5° Sanctam Mariam semper Virginem, Dei Matrem, quam Christus omnium hominum Matrem constituit, filiali pietate prosequantur;

6° foveantur quoque pietatis exercitia, quae ad spiritum orationis vocationisque apostolicae robur ac munimen conducunt, ea imprimis, quae a veneranda traditione propriae Ecclesiae sui iuris commendata sunt; utcumque suadetur recessus spiritualis et instructio de ministeriis sacris, exhortatio in via spiritus ;

7° ad sensum Ecclesiae et servitii eius educantur alumni necnon ad virtutem oboedientiae et ad sociam cum fratribus cooperationem ;

8° ad ceteras quoque virtutes, quae ad vocationem suam maxime conferunt, excolendas adiuventur sicut discretio spirituum, castitas, animi fortitudo ; illas quoque virtutes aestiment atque excolant, quae inter homines pluris fiunt et Christi ministrum commendant, quarum sunt animi sinceritas, assidua iustitiae cura, spiritus paupertatis, in promissis servata fides, in agendo urbanitas, in colloquendo modestia cum caritate coniuncta.

§ 3. Disciplinares seminarii normae secundum alumnorum maturitatem ita applicentur, ut alumni, dum gradatim sibi moderari addiscunt, libertate sapienter uti, sponte et diligenter agere assuescant.

Can. 347 - Institutio doctrinalis eo pendat, ut alumni cultura generali loci et temporis callentes ingeniique humani conata et peracta scrutantes amplam atque solidam doctrinam in scientiis sacris acqui-

rant ita, ut fidei pleniore intellectu eruditi et firmati Christi Magistri luce homines sui temporis efficacius illuminare ac veritati inservire possint.

Can. 348 - § 1. Pro eis, qui ad sacerdotium destinantur, studia seminarii maioris firmo can. 345 complectantur cursus philosophicos et theologicos, qui aut successive aut coniuncte peragi possunt ; eadem studia completum saltem sexennium comprehendant ita quidem, ut tempus philosophicis disciplinis dedicatum integrum biennium, tempus vero studiis theologicis integrum quadriennium adaequet.

§ 2. Cursus philosophico-theologici initium sumant introductione in mysterium Christi et oeconomiam salutis nec concludantur, quin ostendatur ratione habita ordinis seu hierarchiae veritatum doctrinae catholicae omnium disciplinarum inter se relatio atque cohaerens compositio.

Can. 349 - § 1. Philosophica institutio eo tendat, ut formationem in scientiis humanis perficiat; quare, ratione habita sapientiae tum antiquae tum recentis aetatis sive universae familiae humanae sive praesertim propriae culturae, quaeratur imprimis patrimonium philosophicum perenniter validum.

§ 2. Cursus historici et systematici ita tradantur, ut alumni discretione intellectuali acuta vera et falsa facilius secernere possint et mente Deo loquenti aperta investigationes theologicas rite prosequi possint et aptiores fiant ad ministeria obeunda colloquio inito cum excultis quoque hominibus huius temporis.

Can. 350 - § 1. Disciplinae theologicae in lumine fidei ita tradantur, ut alumni doctrinam catholicam ex divina Revelatione haustam profunde pénètrent atque in sua cultura exprimant ita, ut sit et alimentum propriae vitae spiritualis et ad ministerium efficacius obeundum perutile instrumentum.

§ 2. Universae theologiae veluti anima sit oportet Sacra Scriptura, quae omnes disciplinas sacras informare debet; unde doceantur praeter exegeseos accuratam methodum capita oeconomiae salutis principalia necnon potiora themata theologiae biblicae.

§ 3. Liturgia edoceatur ratione habita eius specialis momenti utpote necessarius fons doctrinae et spiritus vere christiani.

§ 4. Donec unitas, quam Christus Ecclesiae suae vult, non plene in actum deducatur, oecumenismus sit una ex necessariis rationibus cuiuscumque disciplinae theologicae.

Can. 351 - Magistri scientiarum sacrarum, cum de mandato auctoritatis ecclesiasticae doceant, doctrinam ab ipsa propositam fideliter

tradant et in omnibus magisterio constanti ac moderationi Ecclesiae humiliter obsequantur.

Can. 352 - § 1. Formatio pastoralis aptanda est ad loci et temporis condiciones, ad dotes alumnorum sive caelibum sive coniugatorum et ad necessitates ministeriorum, ad quae se praeparant.

§ 2. Instituantur alumni imprimis in arte catechetica et homiletica, celebratione liturgica, administratione paroeciae, dialogo evangelizationis cum non credentibus vel non christianis vel christifidelibus minus fervidis, apostolatu sociali et instrumentorum communicationis socialis non posthabitis disciplinis auxiliaribus sicut psychologia et sociologia pastoralis.

§ 3. Etsi se praeparant alumni ad ministeria in propria Ecclesia sui iuris obeunda, ad spiritum vere universalem formentur, quo ubique terrarum in servitium animarum occurrere animo parati sint; edoceantur ideo de universae Ecclesiae necessitatibus et praesertim de apostolatu oecumenismi et evangelizationis.

Can. 353 - Habeantur ad normam iuris particularis exercitationes et probationes ad formationem praecipue pastoralem firmandam conferentes, sicut servitium sociale vel caritativum, institutio catechetica, praesertim vero tirocinium pastorale decursu formationis philosophico-theologicae et tirocinium diaconale ante ordinationem presbyteralem.

Can. 354 - Institutio diaconis ad sacerdotium non destinatis propria ex normis supra datis aptetur ita, ut curriculum studiorum saltem per triennium protrahatur prae oculis habitis propriae Ecclesiae sui iuris traditionibus de diaconia liturgiae, verbi et caritatis.

Can. 355 - Ordinandi debite edoceantur de obligationibus clericorum atque ad eas magno animo suscipiendas et implendas educentur.

Can. 356 - § 1. Rector seminarii singulis annis relationem de profectu formationis alumnorum mittat ad eorundem Episcopum eparchialem aut, si casus fert, Superiorem maiorem; de statu autem seminarii ad eos, qui seminarium erexerunt.

§ 2. Episcopus eparchialis vel Superior maior suorum alumnorum formationi consulturi frequenter seminarium visitent, praesertim si agitur de promovendis ad ordines sacros.

CAPUT II
DE ASCRIPTIONE CLERICORUM ALICUI EPARCHIAE

Can. 357 - § 1. Quilibet clericus debet esse ut clericus ascriptus aut alicui eparchiae aut exarchiae aut instituto religioso aut societati vitae communis ad instar religiosorum aut instituto vel consociationi, quae ius clericos sibi ascribendi adepta sunt a Sede Apostolica vel intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis.

§ 2. Quod de clericorum alicui eparchiae ascriptione et de dimissione ab ea statuitur, valet congrua congruis referendo etiam de aliis supra dictis personis iuridicis necnon iure particulari ita ferente de ipsa Ecclesia patriarchali, nisi aliter iure expresse cautum est.

Can. 358 - Per ordinationem diaconalem aliquis ut clericus ascribitur eparchiae, pro cuius servitio ordinatur, nisi ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris eidem eparchiae iam ascriptus est.

Can. 359 - Ut clericus alicui eparchiae iam ascriptus ad aliam eparchiam valide transire possit, a suo Episcopo eparchiali obtinere debet litteras dimissionis ab eodem subscriptas et pariter ab Episcopo eparchiali eparchiae, cui ascribi desiderat, litteras ascriptionis ab eodem subscriptas.

Can. 360 - § 1. Transmigratio clerici in aliam eparchiam retenta ascriptione fit ad tempus determinatum, etiam pluries renovandum, per conventionem scripto factam inter utrosque Episcopos eparchiales, qua iura et obligationes clerici vel partium stabiliantur.

§ 2. Quinquennio elapso post legitimam transmigrationem clericus ipso iure eparchiae hospiti ascribitur, si huic voluntati eius utrique Episcopo eparchiali scripto manifestatae neuter intra quattuor menses scripto contradixit.

Can. 361 - Clerico praesertim evangelizationis causa universae Ecclesiae sollicito transitus vel transmigratio in aliam eparchiam gravi clericorum penuria laborantem, dummodo sit ad ministeria ibi peragenda paratus atque aptus, ne denegetur nisi ob veram necessitatem propriae eparchiae vel Ecclesiae sui iuris.

Can. 362 - § 1. Iusta de causa clericus ex transmigratione revocari potest a proprio Episcopo eparchiali vel remitti ab Episcopo eparchiali hospite conventionibus initis necnon aequitate servatis.

§ 2. Ex transmigratione in propriam eparchiam legitime redennti salva et tecta sint omnia iura, quae haberet, si in ea sacro ministerio addictus esset.

Can. 363 - Clericum eparchiae ascribere vel ab ea dimittere vel licentiam transmigrandi clerico concedere valide non possunt :

I° Administrator Ecclesiae patriarchalis sine consensu Synodi permanentis; Exarchus patriarchalis et Administrator eparchiae sine consensu Patriarchae ;

2° in ceteris casibus Administrator eparchiae nisi post annum a sedis eparchialis vacatione et de consensu collegii consultorum eparchialium.

Can. 364 - Ascriptio clerici alicui eparchiae non cessat nisi alteri eparchiae valida a scriptione vel amissione status clericalis.

Can. 365 - § 1. Ad licitum transitum vel transmigrationem requiruntur iustae causae, quales sunt Ecclesiae utilitas vel bonum ipsius clerici; licentia autem ne denegetur nisi exstantibus gravibus causis.

§ 2. Iure particulari Ecclesiae sui iuris ita ferente ad licitum transitum ad eparchiam alterius Ecclesiae sui iuris requiritur etiam, ut Episcopus eparchialis clericum dimittens consensum auctoritatis ab eodem iure particulari determinatae obtineat.

Can. 366 - § 1. Episcopus eparchialis suae eparchiae alienum clericum ne ascribat, nisi :

I° necessitates vel utilitas eparchiae id exigunt;

2° sibi constat de aptitudine clerici ad ministeria peragenda, praesertim si clericus ab alia Ecclesia sui iuris pervenit ;

3° sibi ex legitimo documento constat de legitima dimissione ex eparchia et habet ab Episcopo eparchiali dimittente opportuna testimonia de curriculo vitae et moribus clerici, etiam, si opus est, sub secreto.

I° clericus scripto declaravit se novae eparchiae servitio devovere ad normam iuris.

§ 2. Episcopus eparchialis de peracta suae eparchiae aseríptíone clerici priorem Episcopum eparchialem quam primum certiorem faciat.

CAPUT III

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

Can. 367 - Clerici primam habent obligationem Regnum Dei omnibus annuntiandi et amorem Dei erga homines in ministerio verbi et sacramentorum, immo et tota vita repraesentandi ita, ut omnes invicem et super omnia Deum diligentes in Corpus Christi, quod est Ecclesia, aedificentur atque crescant.

Can. 368 - Ad perfectionem, quam Christus suis discipulis proponit, speciali ratione tenentur clerici, cum Deo sacra ordinatione.novo modo sint consecrati, ut Christi aeterni Sacerdotis in servitium populi Dei aptiora instrumenta efficiantur et simul sint gregi forma exemplaris.

Can. 369 - § 1. Clerici in lectionem et meditationem verbi Dei cottidie incumbant ita, ut Christi auditores fideles atque attenti facti evadant veraces ministri praedicationis ; in oratione, in celebrationibus liturgicis et praesertim in devotione erga mysterium Eucharistiae assidui sint; conscientiam suam cottidie discutiant et sacramentum paenitentiae frequenter suscipiant; Sanctam Mariam semper Virginem, Dei Matrem colant et ab ea gratiam se conformandi eius Filio implorent aliaque propriae Ecclesiae sui iuris exercitia pietatis peragant.

§ 2. Directionem spiritualem magni faciant et statutis temporibus secundum iuris particularis praescripta recessibus spiritualibus vacent.

Can. 370 - Clerici speciali obligatione tenentur Romano Pontifici, Patriarchae et Episcopo eparchiali reverentiam et oboedientiam exhibendi.

Can. 371 - § 1. Ius habent clerici obtinendi a proprio Episcopo eparchiali praemissis iure requisitis aliquod officium, ministerium vel munus in servitium Ecclesiae exercendum.

§ 2. Suscipiendum est clericis ac fideliter implendum omne officium, ministerium vel munus ab auctoritate competenti eis commissum, quandocumque id de eiusdem auctoritatis iudicio necessitates Ecclesiae exigunt.

§ 3. Ut vero professionem civilem exercere possint, requiritur licentia proprii Hierarchae.

Can. 372 - § 1. Institutione, quae ad ordines sacros requiritur, peracta in scientias sacras incumbere ne desinant clerici, immo profundiorem et ad diem accommodatam earundem cognitionem et usum

acquirere satagant per cursus formativos a proprio Hierarcha approbatos.

§ 2. Frequentent quoque collationes, quas Hierarcha opportunas iudicavit ad scientias sacras et res pastorales promovendas.

§ 3. Scientiarum profanarum quoque, earum praesertim, quae cum scientiis sacris artius cohaereant, talem sibi copiam comparare ne neglegant, qualem excultos homines habere decet.

Can. 373 - Caelibatus clericorum propter regnum coelorum delectus et sacerdotio tam congruus ubique permagni faciendus est, prout fert universae Ecclesiae traditio; item status clericorum matrimonio iunctorum praxi Ecclesiae primaevae et Ecclesiarum orientalium per saecula sancitus in honore habendus est.

Can. 374 - Clerici caelibes et coniugati castitatis decore elucere debent; iuris particularis est statuere opportuna media ad hunc finem assequendum adhibenda.

Can. 375 - In vita familiari ducenda atque filiis educandis clerici coniugati ceteris christifidelibus praeclarum exemplum praebeant.

Can. 376 - Vita communis inter clericos caelibes laudanda, quatenus fieri potest, foveatur, ut ipsi in vita spirituali et intellectuali colenda mutuo adiuventur et aptius in ministerio cooperari possint.

Can. 377 - Omnes clerici laudes divinas celebrare debent secundum ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 378 - Divinam Liturgiam clerici frequenter ad normam iuris particularis celebrent praesertim diebus dominicis et festis de praecepto; immo enixe commendatur celebratio cottidiana.

Can. 379 - Clerici confratribus cuiuslibet Ecclesiae sui iuris vinculo caritatis uniti ad unum omnes conspirent, ad aedificationem nempe Corporis Christi, et proinde, cuiuscumque sunt condicionis, etsi diversis officiis fungentes, inter se cooperentur seque invicem adiuvent.

Can. 380 - Sollicitudinem habeant clerici omnes vocationes ad ministeria sacra et ad vitam in institutis vitae consecratae ducendam promovendi non solum praedicatione, catechesi aliisve opportunis mediis, sed imprimis vitae ac ministerii testimonio.

Can. 381 - § 1. Zelo apostolico ardentes clerici omnibus exemplo sint in beneficentia et hospitalitate praesertim erga aegrotantes, afflictos, persecutionem patientes, exiliatos et prófugos.

§ 2. Obligatione tenentur clerici, nisi iusto impedimento sunt detenti, suppeditandi ex spiritualibus Ecclesiae bonis verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta christifidelibus, qui opportune petunt, rite sunt dispositi nec iure a sacramentis suscipiendis prohibentur.

§ 3. Clerici laicorum dignitatem atque propriam partem, quam in missione Ecclesiae habent, agnoscant et promoveant praesertim charismata laicorum multiformia probantes necnon competentiam et experientiam eorum in bonum Ecclesiae vertentes speciatim modis iure praevisis.

Can. 382 - Abstineant prorsus clerici ab eis omnibus, quae statum eorum secundum normas iure particulari pressius determinatas dedecent, et etiam évitent ea, quae ab eo aliena sunt.

Can. 383 - Clerici, etsi non secus ac ceteri cives iura civilia et politica aequo iure habeant oportet, tamen :

I° ofiicia publica, quae participationem in exercitio potestatis civilis secumferunt, assumere vetantur ;

2° cum servitium militare statui clericali minus congruat, illud ne capessant voluntarii nisi de sui Hierarchae licentia;

3° utantur exceptionibus, quas ab exercendis muneribus et officiis publicis a statu clericali alienis necnon servitio militari in eorum favorem concedunt leges civiles aut conventiones vel consuetudines.

Can. 384 - § 1. Ministri reconciliationis omnium in Christi caritate satagant clerici pacem, unitatem et concordiam iustitia innixam inter homines fovere.

§ 2. In factionibus politicis atque in moderandis consociationibus syndicalibus activam partem ne habeant, nisi iudicio Episcopi eparchialis vel iure particulari ita ferente Patriarchae aut alterius auctoritatis iura Ecclesiae tuenda aut bonum commune promovendum id requirunt.

Can. 385 - § 1. Spiritu paupertatis Christi imbuti clerici studeant simplicitate vitae supernorum bonorum coram mundo testes esse et bona temporalia discretione spirituali recto usui destinent; bona autem, quae occasione exercitii officii, ministerii vel muneris ecclesiastici sibi comparant, provisa ex eis sua congrua sustentatione et obligationum proprii status impletione, operibus apostolatus vel caritatis impertiant atque communicent.

§ 2. Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem nisi de licentia auctoritatis iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris determinatae aut Sedis Apostolicae.

§ 3. A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur nisi consulto proprio Episcopo eparchiali vel, si casus fert, Superiore maiore.

Can. 386 - § 1. Clerici, etsi officium residentiale non habent, a sua tamen eparchia per notabile tempus iure particulari determinandum sine licentia saltem praesumpta Hierarchae loci proprii ne discedant.

§ 2. Clericus, qui extra propriam eparchiam commoratur, Episcopo eparchiali loci in eis, quae eiusdem clerici status obligationes respiciunt, subditus est ; si ibi per tempus non breve commoraturus est, Hierarcham loci sine mora certiorem faciat.

Can. 387 - Quod ad vestis habitum clericorum spectat, ius particulare servetur.

Can. 388 - Clerici iuribus et insignibus, quae adnexa sunt dignitatibus sibi collatis, uti non possunt extra loca, ubi suam potestatem exercet auctoritas, quae dignitatem concessit vel ad eiusdem dignitatis concessionem nihil excipiens scripto consensit, aut nisi auctoritatem, quae dignitatem concessit, comitantur vel eiusdem personam gerunt aut nisi consensum Hierarchae loci obtinuerunt.

Can. 389 - Clerici quaslibet contentiones evitare studeant ; si tamen quaedam contentio exsurrexit inter eos, ad forum Ecclesiae deferatur et hoc, si fieri potest, etiam fiat, si de contentionibus inter clericos et alios christifideles agitur.

Can. 390 - § 1. Clerici ius habent ad congruam sustentationem et ideo pro implendo eis commisso officio vel munere iustam remunerationem percipiendi, quae, si agitur de clericis coniugatis, consulere debet etiam eorum familiae sustentandae, nisi aliter iam sufficienter provisum est.

§ 2. Item ius habent, ut sui suaeque familiae, si coniugati sunt, congruenti praecaventiae et securitati sociali necnon assistentiae sanitariae provideatur ; ut hoc ius ad effectum deduci possit, obligatione tenentur clerici instituto, de quo in can. 1021, § 2, ad normam iuris particularis pro sua parte conferre.

Can. 391 - Integrum est clericis firmo can. 578, § 3 se cum aliis consociare ad fines consequendos statui clericali congruentes ; competit autem Episcopo eparchiali de hac congruentia authentice iudicare.

Can. 392 - Ius clericorum est ad debitum quotannis feriarum tempus iure particulari determinandum.

Can. 393 - Clericis, cuiuscumque sunt condicionis, cordi sit sollicitudo omnium Ecclesiarum et ideo se ad inserviendum, ubicumque

urget necessitas, promptos exhibeant et praesertim permittente vel exhortante proprio Episcopo eparchiali vel Superiore ad suum ministerium in missionibus vel regionibus clericorum penuria laborantibus exercendum.

CAPUT IV

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS

Can. 394 - Sacra ordinatio semel valide suscepta numquam irrita fit ; clericus tamen statum clericalem amittit :

1° sententia iudiciali aut decreto administrativo, quo invaliditas sacrae ordinationis declaratur ;

2° poena depositionis legitime irrogata ;

3° rescripto Sedis Apostolicae vel ad normam can. 397 Patriarchae ; hoc vero rescriptum diaconis sine gravibus, presbyteris vero sine gravissimis causis a Patriarcha licite concedi non potest nec a Sede Apostolica conceditur.

Can. 395 - Clericus, qui statum clericalem ad normam iuris amittit, cum eo amittit iura statui clericali propria nec ullis iam tenetur obligationibus status clericalis firmo tamen can. 396; potestatem ordinis exercere prohibetur salvis cann. 725 et 735, § 2; ipso iure privatur omnibus officiis, ministeriis, muneribus et qualibet potestate delegata.

Can. 396 - Praeter casus, in quibus invaliditas sacrae ordinationis declarata est, amissio status clericalis non secumfert dispensationem ab obligatione caelibatus, quae a solo Romano Pontifice conceditur.

Can. 397 - Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel, si periculum in mora est, Synodi permanentis, amissionem status clericalis concedere potest clericis intra fines territorii propriae Ecclesiae patriarchalis domicilium vel quasi-domicilium habentibus, qui obligatione caelibatus non tenentur aut, si tenentur, dispensationem ab hac obligatione non petunt ; in ceteris casibus res ad Sedem Apostolicam deferatur.

Can. 398 - Qui rescripto Sedis Apostolicae statum clericalem amisit, inter clericos a sola Sede Apostolica denuo admitti potest ; qui vero a Patriarcha amissionem status clericalis obtinuit, etiam a Patriarcha inter clericos denuo admitti potest.

TITULUS XI

DE LAICIS

Can. 399 - Nomine laicorum in hoc Codice intelleguntur christifideles, quibus indoles saecularis propria ac specialis est quique in saeculo viventes missionem Ecclesiae participant neque in ordine sacro constituti neque statui religioso ascripti sunt.

Can. 400 - Laici praeter ea iura et obligationes, quae cunctis christifidelibus sunt communia et ea, quae in aliis canonibus statuuntur, eadem iura et obligationes habent ac in canonibus huius tituli recensentur.

Can. 401 - Laicorum imprimis est ex vocatione propria res temporales gerendo et secundum Deum ordinando Regnum Dei quaerere ideoque in vita privata, familiari et politico-sociali testes Christo esse ac ipsum aliis manifestare, leges iustas in societate propugnare atque fide, spe et caritate fulgentes fermenti instar ad mundi sanctificationem conferre.

Can. 402 - Ius est laicis, ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas, quae omnibus civibus competit; eadem tamen libertate utentes curent, ut suae actiones spiritu evangelico imbuantur, et ad doctrinam attendant ab Ecclesiae magisterio propositam caventes tamen, ne in quaestionibus opinabilibus propriam sententiam ut doctrinam Ecclesiae proponant.

Can. 403 - § 1. Firmo iure et obligatione proprium ritum ubique servandi laici ius habent actuose in celebrationibus liturgicis cuiuscumque Ecclesiae sui iuris participandi secundum praescripta librorum liturgicorum.

§ 2. Si Ecclesiae necessitates vel vera utilitas id suadent et ministri sacri desunt, possunt laicis quaedam ministrorum sacrorum functiones committi ad normam iuris.

Can. 404 - § 1. Praeter institutionem catecheticam inde ab infantia habendam laici ius et obligationem habent acquirendi cognitionem uniuscuiusque ingenii dotibus et condicioni aptatam doctrinae a Christo revelatae et a magisterio authentico Ecclesiae traditae non solum, ut secundum eiusdem doctrinam vivere valeant, sed etiam, ut ipsi eam enuntiare atque, si opus est, defendere possint.

§ 2. Ius quoque habent acquirendi pleniorem illam cognitionem in scientiis sacris, quae in ecclesiasticis studiorum universitatibus vel facultatibus aut in institutis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentando et gradus academicos consequendo.

§ 3. Item servatis praescriptis circa idoneitatem requisitam statutis habiles sunt ad mandatum docendi disciplinas sacras ab auctoritate competenti ecclesiastica recipiendum.

Can. 405 - Patrimonio liturgico, theologico, spirituali et, disciplinari etiam laici sedulo studeant ita tamen, ut mutua benevolentia ac aestimatio atque unitas actionis inter laicos diversarum Ecclesiarum sui iuris foveantur nec varietas rituum noceat bono communi societatis, in qua vivunt, sed potius ad idem bonum in dies magis conducat.

Can. 406 - Laici memores obligationis, de qua in can. 14, sciant illam eo magis urgere in eis adiunctis, in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

Can. 407 - Laici, qui in statu coniugali vivunt, secundum propriam vocationem speciali obligatione tenentur per matrimonium et familiam ad aedificationem populi Dei allaborandi.

Can. 408 - § 1. Habiles sunt laici debita scientia, experientia et honestate praestantes, ut tamquam periti aut consultores ab auctoritatibus ecclesiasticis audiantur sive singuli sive ut membra variorum consiliorum et conventuum, ut paroecialium, eparchialium, patriarchalium.

§ 2. Praeterquam ad munera ecclesiastica, ad quae laici iure communi admittuntur, ipsi ab auctoritate competenti ad alia quoque munera assumi possunt eis exceptis, quae ordinem sacrum requirunt vel quae iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris laicis expresse vetantur.

§ 3. Circa muneris ecclesiastici exercitium laici plene subduntur auctoritati ecclesiasticae.

Can. 409 - § 1. Laici, qui permanenter aut ad tempus speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur, ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implendum requisitam utque hoc munus conscie, impense et diligenter impleant.

§ 2. Ipsi ius habent ad iustam remunerationem suae condicioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere possint; itemque ius habent, ut sui suaeque familiae congruenti praecaventiae et securitati sociali necnon assistentiae sanitariae provideatur.

TITULUS XII

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS ET DE SODALIBUS ALIORUM INSTITUTORUM VITAE CONSECRATAE

CAPUT I

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS

Art. I

CANONES GENERALES

Can. 410 - Status religiosus est stabilis in communi vivendi modus in aliquo instituto ab Ecclesia approbato, quo christifideles Christum, Magistrum et Exemplum Sanctitatis, sub actione Spiritus Sancti pressius sequentes novo ac speciali titulo consecrantur per vota publica oboedientiae, castitatis et paupertatis sub legitimo Superiore ad normam statutorum servanda, saeculo renuntiant ac totaliter se devovent caritatis perfectioni assequendae in servitium Regni Dei pro Ecclesiae aedificatione et mundi salute utpote signa coelestem gloriam praenuntiantia.

Can. 411 - Status religiosus ab omnibus fovendus et promovendus est.

I° De dependentia religiosorum ab Episcopo eparchiali, a Patriarcha, a Sede Apostolica

Can. 412 - § 1. Religiosi omnes subduntur Romano Pontifici ut suo supremo Superiori, cui obligatione parendi tenentur etiam vi voti oboedientiae.

§ 2. Quo melius institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, Romanus Pontifex ratione sui primatus in universam Ecclesiam intuitu utilitatis communis instituta vitae consecratae ab Episcopi eparchialis regimine eximere potest sibique soli vel alii auctoritati ecclesiasticae subicere.

Can. 413 - Ad regimen internum et disciplinam religiosam quod attinet, instituta religiosa, nisi aliter iure cavetur, si sunt iuris pontificii, immediate et exclusive Sedi Apostolicae subiecta sunt; si vero sunt iuris patriarchalis vel eparchialis, immediate subiecta sunt Patriarchae vel Episcopo eparchiali firmo can. 418, § 2.

Can. 414 - § 1. Ad monasteria et congregationes iuris eparchialis quod attinet, Episcopo eparchiali competit:

1° typica monasteriorum et statuta congregationum atque immutationes in ea ad normam iuris introductas approbare salvis eis, quae ab auctoritate superiore approbata sunt;

2° dispensationes ab eisdem typicis vel statutis, quae potestatem Superiorum religiosorum excedunt et ab ipso legitime petuntur, singulis in casibus et per modum actus dare;

3° visitare monasteria, etiam dependentia, necnon singulas domos congregationum in suo territorio, quoties visitationem canonicam ibi peragit aut quoties rationes vere speciales eius iudicio id suadent.

§ 2. Haec iura Patriarchae competunt circa ordines et congregationes iuris patriarchalis, quae intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, domum principem habent; secus eadem iura circa ordines omnes necnon circa monasteria et congregationes, quae non sunt iuris eparchialis, competunt soli Sedi Apostolicae.

§ 3. Si congregatio iuris eparchialis ad alias eparchias propagatur, nihil in ipsis statutis valide mutari potest nisi de consensu Episcopi eparchialis eparchiae, in qua sita est domus princeps, consultis tamen Episcopis eparchialibus, in quorum eparchiis ceterae domus sitae sunt.

Can. 415 - § 1. Religiosi omnes subsunt potestati Hierarchae loci in eis, quae spectant ad publicam celebrationem cultus divini, ad verbi Dei praedicationem populo tradendam, ad christifidelium praesertim puerorum religiosam et moralem educationem, ad institutionem catecheticam et liturgicam, ad status clericalis decorem necnon ad varia opera in eis, quae apostolatum respiciunt.

§ 2. Episcopo eparchiali ius et obligatio est singula monasteria atque domos ordinum et congregationum in eius territorio sita visitare his in rebus, quoties visitationem canonicam ibi peragit aut quoties graves causae eius iudicio id suadent.

§ 3. Episcopus eparchialis nonnisi de consensu Superiorum competentium potest religiosis opera apostolatus vel munera eparchiae propria committere firmo iure communi ac servata institutorum disciplina religiosa, indole propria atque fine specifico.

§ 4. Religiosi, qui extra domum delictum commiserunt nec a proprio Superiore ab Hierarcha loci praemonito puniuntur, ab hoc puniri possunt, etsi domo legitime exierunt et domum reversi sunt.

Can. 416 - Patriarchae necnon Hierarchae loci conventus promoveant cum Superioribus religiosorum, statis temporibus et quoties id opportunum videtur, ut pro operibus apostolatus, quae a sodalibus exercentur, collatis consiliis concorditer procedant.

Can. 417 - Si in domus institutorum iuris patriarchalis vel pontificii eorumve ecclesias abusus irrepserunt et Superior ab Hierarcha loci monitus prospicere neglexit, idem Hierarcha loci obligatione tenetur rem statim deferendi ad auctoritatem, cui institutum ipsum immediate subiectum est.

**2° De Superioribus
et de sodalibus institutorum religiosorum**

Can. 418 - § 1. Superiores maiores sunt Praeses confoederationis monasticae, Superior monasterii sui iuris, Superior generalis ordinis vel congregationis, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes itemque ii, qui, si praedicti desunt, interim legitime succedunt in officium.

§ 2. Nomine Superioris monachorum ceterorumque religiosorum non venit Hierarcha loci nec Patriarcha firmis canonibus, qui Patriarchae vel Hierarchae loci potestatem in ipsos tribuunt.

Can. 419 - § 1. Praeses confoederationis monasticae, Superior monasterii sui iuris non confoederati et Superior generalis ordinis vel congregationis relationem de statu institutorum, quibus praesunt, quinto saltem quoque anno ad auctoritatem, cui immediate subditi sunt, mittere debent secundum formulam ab eadem auctoritate statutam.

§ 2. Superiores institutorum iuris eparchialis vel patriarchalis exemplar relationis etiam Sedi Apostolicae mittant.

Can. 420 - § 1. Superiores maiores, quos ad munus visitatoris typicum monasterii aut statuta ordinis vel congregationis designant, temporibus in eisdem determinatis omnes domos sibi subiectas visitent per se vel per alios, si sunt legitime impediti.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interroganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero licet quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis finem aliter impedire.

§ 3. Hierarcha loci debet omnes domos religiosas visitare, si Superior maior, cui visitatio iure competit, intra quinque annos eas non visitavit et monitus ab Hierarcha loci eas visitare neglexit.

Can. 421 - Superiores gravi obligatione tenentur curandi, ut sodales sibi commissi vitam secundum typicum vel statuta propria componant ; Superiores sodales exemplo et hortatione iuvent in fine status religiosi assequendo, eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sedulo curent ac visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, patientes sint erga omnes.

Can. 422 - § 1. Superiores permanens habeant consilium ad normam typici vel statutorum constitutum, cuius opera in officio exercendo utantur; in casibus iure praescriptis eius consensum aut consilium ad normam can. 934 exquirere tenentur.

§ 2. Iure particulari statuatur, utrum in domibus, in quibus minus quam sex sodales degunt, consilium haberi debeat necne.

Can. 423 - Monasterium, confoederatio monastica, ordo et congregatio eorumque provinciae et domus legitime erecta ipso iure sunt personae iuridicae; capacitatem vero eorum acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi bona temporalia typicum vel statuta excludere aut coartare possunt.

Can. 424 - In typico vel statutis normae statuantur de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, exprimendam et tuendam.

Can. 425 - Bona temporalia institutorum religiosorum reguntur cann. 1007 - 1054, nisi aliter iure communi cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 426 - Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent non solum, quae emiserunt vota, fideliter integreque servare, sed etiam secundum typicum vel statuta mente et propositis fundatoris fideliter servatis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

Can. 427 - Omnes et singuli religiosi tenentur obligationibus, quae clericis iure communi praescribuntur, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 428 - Instituto religioso sodalis a votis perpetuis ut clericus ascribitur ordinatione diaconali vel in casu clerici alicui eparchiae iam ascripti professione perpetua.

Can. 429 - Litterae religiosorum ad Superiores eorum necnon ad Hierarcham loci, Patriarcham, Legatum Romani Pontificis et Sedem Apostolicam missae itemque litterae, quas ipsi ab eisdem recipiunt, nulli inspectioni obnoxiae sunt.

Can. 430 - Non licet titulos mere honoríficos dignitatum vel officiorum religiosis conferre, nisi agitur typico vel statutis id permittentibus de titulis officiorum Superiorum maiorum, quae religiosi iam exercuerunt.

Can. 431 - § 1. Religiosus sine consensu scripto dato proprii Superioris maioris non potest inde a prima professione ad dignitatem vel

officium extra proprium institutum promoveri eis exceptis, quae per electionem a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis peractam conferuntur, et firmo can. 89, § 2; expleto munere ad monasterium, ordinem vel congregationem redire debet.

§ 2. Religiosus, qui fit Patriarcha, Episcopus vel Exarchus :

1° manet votis ligatus ceterisque suae professionis obligationibus adhuc tenetur eis exceptis, quae cum sua dignitate ipse prudenter iudicat componi non posse ; voce activa et passiva in proprio monasterio, ordine vel congregatione caret ; a potestate Superiorum eximitur et vi voti oboedientiae soli Romano Pontifici manet obnoxius ;

2° expleto munere vero, qui ad monasterium, ordinem vel congregationem firmis de cetero cann. 62 et 211 redit, vocem activam et passivam habere potest, si typicum vel statuta id permittunt.

§ 3. Religiosus, qui fit Patriarcha, Episcopus vel Exarchus :

1° si per professionem capacitatem acquirendi dominii bonorum amisit, bonorum, quae ipsi obveniunt, habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem vero Patriarcha, Episcopus eparchialis, Exarchus acquirit Ecclesiae patriarchali, eparchiae, exarchiae; ceteri monasterio vel ordini ;

2° si per professionem dominium bonorum non amisit, bonorum, quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniunt, sibi plene acquirit ;

3° in utroque casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem.

Can. 432 - Monasterium dependens, domus vel provincia instituti religiosi cuiusvis Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, quod de consensu Sedis Apostolicae alii Ecclesiae sui iuris ascribitur, ius huius Ecclesiae servare debet salvis praescriptis typici vel statutorum, quae internum regimen eiusdem instituti respiciunt, et privilegiis a Sede Apostolica concessis.

Art. II

DE MONASTERIIS

Can. 433 - § 1. Monasterium dicitur domus religiosa, in qua sodales ad evangelicam perfectionem tendunt servatis regulis et traditionibus vitae monasticae.

§ 2. Monasterium sui iuris est illud, quod ab alio monasterio non dependet et regitur proprio typico ab auctoritate competenti approbato.

Can. 434 - Monasterium est iuris pontificii, si a Sede Apostolica erectum aut per eiusdem decretum ut tale agnitum est ; iuris patriar-

chalis, si est stauropegiacum ; iuris eparchialis, si ab Episcopo erectum, decretum agnitionis Sedis Apostolicae consecutum non est.

I° De erectione et de suppressione monasteriorum

Can. 435 - § 1. Episcopi eparchialis est erigere monasterium sui iuris consulto intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis Patriarcha aut in ceteris casibus consulta Sede Apostolica.

§ 2. Patriarchae reservatur erectio monasterii stauropegiaci.

Can. 436 - § 1. Quodvis monasterium sui iuris monasteria dependentia habere potest, quorum alia sunt filialia, si ex ipso actu erectionis vel ex decreto secundum typicum lato ad condicionem monasterii sui iuris tendere possunt, alia vero sunt subsidiaria.

§ 2. Ad valide erigendum monasterium dependens requiritur consensus scripto datus auctoritatis, cui monasterium sui iuris subiectum est, et Episcopi eparchialis loci, ubi hoc monasterium erigitur.

Can. 437 - § 1. Licentia erigendi monasterium, etiam dependens, secumfert ius habendi ecclesiam et ministeria sacra peragendi itemque pia opera, quae monasterii ad normam typici sunt propria, exercendi salvis clausulis legitime appositis.

§ 2. Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis aedes separata a monasterio, requiritur pro quovis monasterio consensus scripto datus Episcopi eparchialis.

§ 3. Ut monasterium in alios usus convertatur, eadem sollemnia requiruntur ac ad erigendum illud, nisi agitur de conversione, quae ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat refertur.

Can. 438 - § 1. Patriarchae est supprimere intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, monasterium sui iuris vel filiale iuris eparchialis vel stauropegiacum gravi de causa, de consensu Synodi permanentis et rogante vel consulto Episcopo eparchiali, si monasterium est iuris eparchialis, et consulto Superiore monasterii et Praeside confoederationis, si monasterium est confoederatum, salvo recursu in suspensivo ad Romanum Pontificem.

§ 2. Cetera monasteria sui iuris vel filialia sola Sedes Apostolica supprimere potest.

§ 3. Monasterium subsidiarium supprimi potest decreto dato a Superiore monasterii, a quo dependet, ad normam typici et de consensu Episcopi eparchialis.

§ 4. Bona monasterii sui iuris suppressi cedunt confoederatione si fuit confoederatum; secus eparchiae vel, si fuit stauropegiacum, Ecclesiae patriarchali ; bona autem monasterii dependentis suppressi ce-

dunt monasterio sui iuris; de bonis vero suppressi monasterii iuris pontificii Sedi Apostolicae reservatur statuere salva omni in casu offerentium voluntate.

Can. 439 - § 1. Plura eiusdem eparchiae monasteria sui iuris Episcopo eparchiali subiecta confoederationem inire possunt de consensu scripto dato eiusdem Episcopi eparchialis, cuius est etiam confoederationis statuta approbare.

§ 2. Confoederatio inter plura monasteria sui iuris diversarum eparchiarum vel stauropegiaca intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sita iniri potest consultis Episcopis eparchialibus, quorum interest, et de consensu Patriarchae, cui reservatur quoque confoederationis statuta approbare.

§ 3. In ceteris casibus de confoederatione ineunda Sedes Apostolica adeatur.

Can. 440 - § 1. Monasterii sui iuris non confoederati aggregatio et confoederati a confoederatione separatio eidem auctoritati reservatur, de qua in can. 439.

§ 2. Confoederatio autem intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis supprimi non potest nisi a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, consultis Episcopis eparchialibus, quorum interest, ac Praeside confoederationis salvo recursu in suspensivo ad Romanum Pontificem ; ceterarum confoederationum suppressio reservatur Sedi Apostolicae.

§ 3. De bonis, quae ad ipsam confoederationem suppressam pertinent, statuere reservatur auctoritati, quae confoederationem suppressit, salva offerentium voluntate ; Patriarcha hoc in casu indiget consensu Synodi permanentis.

2° De monasteriorum Superioribus, Synaxibus et oeconomis

Can. 441 - § 1. In monasteriis Superiores et Synaxes eam potestatem habent, quae iure communi et typico determinatur.

§ 2. Superiores in monasteriis sui iuris habent potestatem regiminis, quatenus ipsis a iure vel ab auctoritate, cui subditi sunt, expresse conceditur, firmo can. 979.

§ 3. Potestas Praesidis confoederationis monasticae praeter ea, quae iure communi determinata sunt, in statutis eiusdem confoederationis determinanda est.

Can. 442 - Firmo monasterii sui iuris typico, quod potiora exigit, ut quis habilis sit ad officium Superioris monasterii sui iuris suscipiendum, requiritur, ut professionem perpetuam emiserit, per decem saltem annos professus sit et annos quadraginta expleverit.

Can. 443 - § 1. Superior monasterii sui iuris eligitur in Synaxi ad normas typici coadunata et servatis cann. 947 - 960, salvo iure Episcopi eparchialis ut Synaxi electionis per se vel per alium praesit.

§ 2. In electione vero Superioris monasterii sui iuris • confoederati Synaxi electionis praeest per se vel per alium Praeses eiusdem confoederationis.

Can. 444 - § 1. Officium Superioris monasterii sui iuris confertur ad tempus indeterminatum, nisi aliud fert typicum.

§ 2. Nisi typicum aliud praescribit, Superiores monasteriorum dependentem constituuntur ad tempus in ipso typico determinatum a Superiore monasterii sui iuris de consensu sui consilii, si monasterium est filiale, consulto vero eodem consilio, si est subsidiarium.

§ 3. Superiores vero, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverunt vel qui ob infirmam valetudinem aliave gravi de causa officio suo implendo minus apti evaserunt, renuntiationem ab officio Synaxi, cuius est eam acceptare, exhibeant.

Can. 445 - Sodales Synaxis electionis eos eligere satagant, quos in Domino vere dignos et idoneos ad officium Superioris agnoscunt, se abstinentes a quovis abusu et praesertim a suffragiorum procuratione tam pro se ipsis quam pro aliis.

Can. 446 - In proprio monasterio Superior resideat neque ab eodem discedat nisi ad normam typici.

Can. 447 - § 1. Pro administratione bonorum temporalium sit in monasterio oeconomus, qui officio suo fungatur sub moderamine Superioris.

§ 2. Superior monasterii sui iuris officium oeconomi eiusdem monasterii simul ne gerat; officium vero oeconomi monasterii dependentis, etsi melius ab officio Superioris distinguitur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigit.

§ 3. Oeconomus nominatur a Superiore monasterii sui iuris de consensu sui consilii, nisi typicum aliud fert.

3° De admissione in monasterium sui iuris et de novitiatu

Can. 448 - Ut quis in monasterium sui iuris admittatur, requiritur, ut recta intentione moveatur, ad vitam monasticam ducendam sit idoneus nec ullo detineatur impedimento iure statuto.

Can. 449 - Candidatus, antequam ad novitiatum admittitur, per temporis spatium in typico determinatum in monasterio degere debet sub speciali cura probati sodalis.

Can. 450 - Firmis praescriptis typici, quae potiora exigunt, ad novitiatum valide admitti non possunt:

1° acatholici;

2° qui poena canonica puniti sunt exceptis poenis, de quibus in can. 1426, § 1;

3° ii, quibus imminet gravis poena ob delictum, de quo legitime accusati sunt;

4° qui duodevicesimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi agitur de monasterio, in quo habetur professio temporaria, quo in casu sufficit aetas septemdecim annorum;

5° qui monasterium ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti vel ii, quos Superior eodem modo inductus recipit;

6° coniuges durante matrimonio;

7° qui ligantur vinculo professionis religiosae vel alio sacro vinculo in instituto vitae consecratae, nisi de legitimo transitu agitur.

Can. 451 - Nemo licite ad novitiatum monasterii alterius Ecclesiae sui iuris admitti potest sine licentia Sedis Apostolicae, nisi de candidato agitur, qui destinatus est monasterio dependenti, de quo in can. 432, propriae Ecclesiae.

Can. 452 - § 1. Clerici eparchiae ascripti ad novitiatum licite admitti non possunt nisi consulto proprio Episcopo eparchiali; nec licite admitti possunt, si Episcopus eparchialis contradicit ex eo, quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedit, quod aliter vitari minime potest, aut si de iis agitur, qui ad ordines sacros in monasterio destinati aliquo impedimento iure statuto detinentur.

§ 2. Item licite in monasterium admitti non possunt parentes, quorum opera est ad filios alendos et educandos necessaria, aut filii, qui patri vel matri, avo vel aviae in gravi necessitate constitutis subvenire debent, nisi monasterium aliter de re providit.

Can. 453 - § 1. Superioris monasterii sui iuris est admittere ad novitiatum consulto suo consilio.

§ 2. Ipsi Superiori constare debet opportunis mediis adhibitis de idoneitate atque de plena libertate candidati in statu monastico eligendo.

§ 3. Circa documenta a candidatis praestanda necnon circa diversa testimonia de eorum bonis moribus et idoneitate colligenda serventur praescripta typici.

Can. 454 - In typico determinandae sunt normae circa dotem, si requiritur, a candidatis praestandam et sub speciali vigilantia Hierarchae loci administrandam necnon de integra dote sine fructibus iam maturis quavis de causa a monasterio discedenti restituenda.

Can. 455 - Novitiatus incipit a susceptione habitus monastici vel alio modo in typico praescripto.

Can. 456 - § 1. Monasterium sui iuris habere potest proprios novitios, qui in eodem monasterio sub ductu idonei sodalis vitae monasticae initiantur.

§ 2. Novitiatus, ut validus sit, peragi debet in ipso monasterio sui iuris aut Superioris decisione consulto eius consilio in alio monasterio sui iuris eiusdem confoederationis.

§ 3. Si vero aliquod monasterium sui iuris sive confoederatum sive non confoederatum praescripta de institutione novitiorum implere non potest, Superior tenetur obligatione novitios mittendi in aliud monasterium, in quo eadem praescripta religiose servantur.

Can. 457 - § 1. Novitiatus, ut validus sit, per triennium integrum et continuum peragi debet; in monasteriis vero, in quibus professio temporaria praemittitur professioni perpetuae, sufficit unus annus novitiatus.

§ 2. In unoquoque anno novitiatus absentia tribus mensibus sive continuis sive intermissis brevior valididatem non afficit, sed tempus deficiens, si quindecim dies superat, suppleri debet.

§ 3. Novitiatus ultra triennium ne extendatur firmo can. 461, § 2.

Can. 458 - § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est ut magister ad normam typici sodalis prudentia, caritate, pietate, scientia et vitae monasticae observantia praestans, decem saltem annos professus.

§ 2. Iura et obligationes huius magistri in eis praesertim, quae ad modum institutionis novitiorum necnon ad relationes ad Synaxim et Superiorem monasterii spectant, determinentur in typico.

Can. 459 - § 1. Tempore novitiatus iugiter incumbendum est, ut sub ductu magistri informetur novitii animus studio typici, piis meditationibus assiduaque prece, eis perdiscendis, quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitia exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Tempore novitiatus ne destinentur novitii operibus exterioribus monasterii nec dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium.

Can. 460 - Novitius non potest valide suis bonis quovis modo renuntiare aut eadem obligare firmo can. 467, § 1.

Can. 461 - § 1. Novitius potest monasterium sui iuris libere deserere aut a Superiore vel a Synaxi secundum typicum iusta de causa dimitti.

§ 2. Exacto novitiatu, si iudicatur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si vero dubium superest de eius idoneitate, potest novitiatus tempus ad normam typici prorogari, non tamen ultra annum.

4° De consecratione seu professione monastica

Can. 462 - § 1. Status monasticus definitive assumitur professione perpetua, in qua comprehenduntur tria vota perpetua oboedientiae, castitatis et paupertatis.

§ 2. In emittenda professione serventur praescripta typici et librorum liturgicorum.

Can. 463 - Quod attinet ad diversos professionis monasticae gradus, standum est typico monasterii salva vi iuridica professionis secundum ius commune.

Can. 464 - Ad validitatem professionis monasticae perpetuae requiritur, ut:

1° novitiatus valide peractus sit;

2° novitius admittatur ad professionem a Superiore proprii monasterii sui iuris de consensu sui consilii necnon recipiatur professio ab eodem Superiore per se vel per alium;

3° professio sit expressa nec vi, metu gravi aut dolo emissa vel recepta;

4° cetera ad validitatem professionis in typico requisita impleantur.

Can. 465 - Ea, quae iure communi de professione temporaria praescribuntur, valent etiam de monasteriis, in quibus talis professio secundum typicum professioni perpetuae praemittitur.

Can. 466 - Professio monastica perpetua actus votis contrarios reddit inválidos, si actus irriti fieri possunt.

Can. 467 - § 1. Candidatus ad professionem monasticam perpetuam debet intra sexaginta dies ante professionem omnibus bonis, quae actu habet, cui mavult, sub condicione secuturae professionis renuntiare; renuntiatio ante hoc tempus facta ipso iure nulla est.

§ 2. Emissa professione ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt, ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

Can. 468 - § 1. Quaecumque bona temporalia quovis titulo sodali post professionem perpetuam obveniunt, a monasterio acquiruntur.

§ 2. De debitis et obligationibus, quae sodalis post professionem perpetuam contraxit de licentia Superioris, respondere debet mona-

sterium; si vero sine licentia Superioris debita contraxit, ipse sodalis respondere debet.

§ 3. Firmum tamen est contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui.

Can. 469 - Sodalis emissa professione perpetua amittit ipso iure quaelibet officia, si quae habet, et propriam eparchiam atque pleno iure monasterio aggregatur.

Can. 470 - Documentum emissae professionis perpetuae ab ipso sodali et ab eo, qui professionem etiam ex delegatione recepit, subscriptum asservetur in archivo monasterii ; Superior proprii monasterii sui iuris debet de eadem quam primum certiorem facere parochum, apud quem baptismus sodalis adnotatus est.

5° De institutione sodalium et de disciplina monastica

Can. 471 - § 1. Modus institutionis sodalium in typico ita determinetur, ut ad vitam sanctitatis plenius assequendam permanenter excitentur necnon ut ipsorum ingenii dotes evolvantur studio sacrae doctrinae et acquisitione humanae culturae pro temporum necessitatibus et sic aptiores evadant in exercitio artium atque operum, quae a monasterio legitime assumuntur.

§ 2. Institutio monachorum, qui ad ordines sacros destinantur, praeterea fieri debet secundum rationem institutionis clericorum, de qua in can. 330, in ipso monasterio, si sedem studiorum ad normam can. 340, § 1 instructam habet, aut sub ductu probati moderatoris in alio seminario vel instituto studiorum superiorum ab auctoritate ecclesiastica approbato.

Can. 472 - Superior monasterii sui iuris ad normam typici dare potest suis sodalibus a votis perpetuis litteras dimissorias ad sacram ordinationem; hae litterae mittendae sunt Episcopo eparchiali loci, ubi monasterium, etiam dependens, situm est vel, si de monasterio stauropegiaco agitur, Episcopo a Patriarcha designato.

Can. 473 - § 1. In singulis monasteriis laudes divinae cottidie celebrentur ad normam typici et legitimarum consuetudinum ; item omnibus diebus celebretur Divina Liturgia eis exceptis, qui praescriptis librorum liturgicorum excipiuntur.

§ 2. Curent Superiores monasteriorum, ut omnes sodales ad normam typici :

1° legitime non impediti cottidie laudibus divinis atque Divinae Liturgiae, quoties celebratur, participent, contemplationi rerum divinarum vacent et in alia pietatis exercitia sedulo incumbant;

2° libere ac frequenter ad patres spirituales et confessarios accedere possint;

3° quotannis per aliquot dies recessui spirituali vacent.

Can. 474 - § 1. Sodales monasteriorum frequenter ad normam typici sacramentum paenitentiae suscipiant.

§ 2. Firmo typico, quod confessionem suadet apud determinatos confessarios, omnes sodales monasterii sacramentum paenitentiae suscipere possunt a quocumque sacerdote facultate hoc sacramentum ministrandi praedito firma disciplina monastica.

Can. 475 - § 1. In singulis monasteriis plures pro sodalium numero patres spirituales et confessarii designentur ab ipso Superiore monasterii, si de presbyteris-monachis eiusdem monasterii agitur, qui facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praediti sunt, secus vero ab Hierarcha loci audito Superiore monasterii sui iuris, qui praevie communitatem, cuius interest, consulere debet.

§ 2. Pro monasteriis, in quibus presbyteri-monachi non sunt, Hierarcha loci eodem modo designet sacerdotem, cuius est regulariter in monasterio Divinam Liturgiam celebrare et verbum Dei praedicare firmo can. 612, § 2.

Can. 476 - Sodales monasterii tam intra quam extra monasterium habitum monasticum a proprio typico praescriptum induant.

Can. 477 - § 1. In monasterio servetur clausura modo in typico praescripto, salvo iure Superioris per modum actus et gravi de causa in partes clausurae obnoxias admittendi personas alterius sexus praeter illas, quae secundum typicum clausuram ingredi possunt.

§ 2. Partes monasterii clausurae obnoxiae manifesto indicentur.

§ 3. Clausurae fines accurate praescribere aut iusta de causa mutare est Superioris monasterii sui iuris de consensu sui consilii atque certiore facto Episcopo eparchiali.

Can. 478 - Superior monasterii potest permittere, ut sodales extra monasterium degant ad tempus in typico determinatum ; ad absentiam vero, quae unum annum excedit, nisi causa studiorum vel infirmitatis intercedit, requiritur licentia auctoritatis, cui monasterium subiectum est.

Can. 479 - Si de iudicio Hierarchae loci auxilium monasteriorum ad institutionem catecheticam populi necessarium est, omnes Superiores ab eodem Hierarcha requisiti debent per se vel per alios illam populo tradere in propriis ecclesiis.

Can. 480 - In ecclesia monasterii paroecia erigi non potest nec monachi parochi nominari possunt sine consensu Patriarchae intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, aut in ceteris casibus Sedis Apostolicae.

6° De eremitis

Can. 481 - Eremita est sodalis monasterii sui iuris, qui in coelestium contemplatione se totum collocat et ab hominibus mundoque ex toto segregatus

Can. 482 - Ad vitam eremiticam legitime aggrediendam requiritur, ut sodalis licentiam Superioris monasterii sui iuris, ad quod pertinet, de consensu eius consilii obtinuerit et saltem sex annos a die perpetuae professionis computandos vitam in monasterio peregerit.

Can. 483 - Locus, ubi eremita vivit, sit a Superiore monasterii designatus atque speciali modo a saeculo et a ceteris partibus monasterii segregatus; si vero locus extra saepta monasterii invenitur, requiritur insuper consensus scripto datus Episcopi eparchialis.

Can. 484 - Eremita a Superiore monasterii dependet atque canonibus de monachis et typico monasterii obligatur, quatenus cum vita eremitica componi possunt.

Can. 485 - Superior monasterii sui iuris potest de consensu sui consilii imponere finem vitae eremiticae iusta de causa, etiam invito eremita.

7° De monasterio stauropegiaco

Can. 486 - § 1. Patriarcha gravi de causa, consulto Episcopo eparchiali atque de consensu Synodi permanentis potest in ipso actu erectionis monasterio sui iuris statum monasterii stauropegiaci concedere.

§ 2. Monasterium stauropegiacum Patriarchae immediate subiectum est ita, ut ipse solus eadem iura et obligationes habet ac Episcopus eparchialis circa monasterium, sodales eidem ascriptos necnon personas, quae diu noctuque in monasterio degunt; ceterae vero personae monasterio addictae immediate et exclusive Patriarchae subduntur in eis solummodo, quae ad eorum munus vel officium spectant.

8° De transitu ad aliud monasterium

Can. 487 - § 1. Sodalis non potest transire a monasterio sui iuris ad aliud eiusdem confoederationis sine consensu scripto dato Praesidis confoederationis.

§ 2. Ad transitum a monasterio non confoederato ad aliud monasterium eidem auctoritati subiectum requiritur consensus eiusdem

auctoritatis; si vero monasterium, ad quod transitus fit, alii auctoritati subiectum est, requiritur etiam consensus huius auctoritatis.

§ 3. Patriarcha, Episcopus eparchialis et Praeses confoederationis hunc consensum dare non possunt nisi consulto Superiore monasterii sui iuris, a quo transitus fit.

§ 4. Ad validitatem transitus ad monasterium alterius Ecclesiae sui iuris requiritur insuper consensus Sedis Apostolicae.

§ 5. Transitus fit admissione a Superiore novi monasterii sui iuris de consensu Synaxis concessa.

Can. 488 - § 1. Transiens ad aliud monasterium sui iuris eiusdem confoederationis nec novitiatum peragit nec novam professionem emittit et a die transitus amittit iura et solvitur ab obligationibus prioris monasterii, alterius iura et obligationes suscipit et, si clericus est, eidem etiam ut clericus ascribitur.

§ 2. Transiens a monasterio sui iuris ad aliud monasterium sui iuris ad nullam vel ad diversam confoederationem pertinens servet praescripta typici monasterii, ad quod fit transitus, circa obligationem peragendi novitiatum et emittendi professionem; si vero in typico de re non cavetur, nec novitiatum peragit nec novam professionem emittit, sed effectus transitus locum habent a die, quo transitus fit, nisi Superior monasterii ab eo exigit, ut aliquod tempus non ultra annum experimenti causa in monasterio transigat ; transacto experimenti tempore aut a Superiore de consensu sui consilii vel Synaxis ad normam typici stabiliter novo monasterio ascribatur aut ad pristinum monasterium redeat.

§ 3. In transitu a monasterio sui iuris ad ordinem vel congregationem serventur congrua congruis referendo cann. 544 et 545.

§ 4. Monasterium sui iuris, a quo sodalis discedit, bona servat, quae ipsius sodalis ratione iam ei quaesita sunt; quod spectat ad dotem, ea debetur sine fructibus iam maturis a die transitus monasterio, ad quod transitus fit.

9° De exclaustratione et de discessu a monasterio

Can. 489 - § 1. Indultum exclaustrationis a monasterio sui iuris nonnisi sodali a votis perpetuis concedere potest ad petitionem ipsius sodalis auctoritas, cui monasterium subiectum est, audito Superiore monasterii sui iuris una cum suo consilio.

§ 2. Episcopus eparchialis hoc indultum nonnisi ad triennium concedere potest.

Can. 490 - Petente Superiore monasterii sui iuris de consensu sui consilii exclaustratio imponi potest ab auctoritate, cui monasterium subiectum est, gravi de causa servata aequitate et caritate.

Can. 491 - Sodalis exclaustratus manet votis ligatus atque ceteris obligationibus professionis monasticae, quae cum suo statu componi possunt, adhuc tenetur; habitum monasticum debet deponere; perdurante tempore exclaustrationis caret voce activa et passiva; Episcopo eparchiali loci, ubi commoratur, loco Superioris proprii monasterii subditus est etiam vi voti oboedientiae.

Can. 492 - § 1. Sodalis a votis perpetuis indultum discedendi a monasterio et redeundi ad vitam saecularem ne petat nisi gravissimis de causis coram Domino perpensis ; petitionem suam deferat Superiori monasterii sui iuris, qui eam una cum voto suo suique consilii ad Sedem Apostolicam mittat.

§ 2. Huiusmodi indultum Sedi Apostolicae reservatur.

Can. 493 - § 1. Indultum discedendi a monasterio et redeundi ad vitam saecularem legitime concessum et sodali intimatum, nisi in actu intimationis ab ipso sodali reiectum est, ipso iure secumfert dispensationem a votis necnon ab omnibus obligationibus ex professione ortis, non vero ab illis ordini sacro adnexis, si sodalis in ordine sacro constitutus est.

§ 2. Si sodalis, qui a monasterio discessit et ad vitam saecularem rediit, in monasterium rursus recipitur, novitiatum ac professionem instaurat, perinde ac si numquam vitae religiosae addictus esset.

Can. 494 - § 1. Monachus a votis perpetuis et in ordine sacro constitutus, si indultum discedendi a monasterio et redeundi ad saeculum obtinuit, non potest ordines sacros exercere, donec Episcopum eparchialem benevolum receptorem invenerit.

§ 2. Episcopus eparchialis eum recipere potest sive absolute sive experimenti causa ad quinquennium ; in primo casu monachus est ipso iure eparchiae ascriptus, in altero vero exacto quinquennio, nisi antea expresse dimissus est.

Can. 495 - Sodalis, qui post emissam professionem monasterium illegitime deseruit, debet sine mora ad monasterium redire; Superiores debent eum sollicite requirere et, si vera paenitentia motus redit, suscipere; secus vero ad normam iuris puniatur vel etiam dimittatur.

Can. 496 - § 1. Qui perdurante professione temporaria gravi de causa a monasterio discedere et ad vitam saecularem redire vult, petitionem suam Superiori monasterii sui iuris deferat.

§ 2. Superior hanc petitionem una cum voto suo suique consilii ad Episcopum eparchialem mittat, cuius est, etsi de monasteriis iuris pontificii agitur, hoc in casu indultum discedendi a monasterio et ad

vitam saecularem redeundi concedere, nisi ius particulare id pro monasteriis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitis Patriarchae reservat.

10° De dimissione monachorum

Can. 497 - § 1. Ipso iure dimissus a monasterio habendus est sodalis qui :

I° fidem catholicam publice abiecit;

2° matrimonium celebravit vel etiam civiliter tantum attentavit.

§ 2. His in casibus Superior monasterii sui iuris consulto suo consilio sine mora collectis probationibus declarationem facti emittat, ut iuridice constet de dimissione, atque quam primum de re auctoritatem, cui monasterium immediate subiectum est, certiorem faciat.

Can. 498 - § 1. Sodalis^ qui causa est imminentis et gravissimi sive exterioris scandali sive erga monasterium damni, a Superiore monasterii sui iuris de consensu eius consilii statim ex monasterio eici potest habitu monastico statim deposito.

§ 2. Superior monasterii sui iuris, si casus fert, curet, ut processus dimissionis ad normam iuris promoveatur, aut rem auctoritati, cui monasterium subiectum est, deferat.

§ 3. Sodalis ex monasterio eiectus, qui in ordine sacro constitutus est, ab exercitio ordinis sacri prohibetur, nisi auctoritas, cui monasterium subiectum est, aliter decernit.

Can. 499 - Perdurante professione temporaria sodalis dimitti potest a Superiore monasterii sui iuris de consensu eius consilii secundum can. 552, §§ 2 et 3, sed dimissio, ut valeat, confirmari debet ab Episcopo eparchiali vel, si ius particulare ita fert pro monasteriis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitis, a Patriarcha.

Can. 500 - § 1. Ad dimittendum sodalem a votis perpetuis firmo can. 497 competens est Praeses confoederationis monasticae vel Superior monasterii sui iuris non confoederati, uterque de consensu sui consilii, quod in casu simul cum Superiore praeside ex quinque saltem membris ad validitatem constare debet ita, ut, si desunt vel absunt ordinarii consiliarii, alii ad normam typici vel statutorum confoederationis advocentur; suffragatio autem secreto fieri debet.

§ 2. Ad dimissionem valide decernendam praeter alias condiciones in typico forte statutas requiritur, ut :

I° causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae una cum defectu emendationis ;

2° dimissioni praecesserint, nisi natura causae dimissionis id excludit, duae monitiones cum formali comminatione dimissionis, quae in cassum cesserunt;

3° causae dimissionis sodali scripto manifestatae sint data ei post singulas monitiones plena opportunitate se defendendi;

4° tempus utile in typico statutum ab ultima monitione elapsum sit.

§ 3. Responsiones sodalis scripto datae alligantur actis, quae eis, de quibus in § 1, submittenda sunt.

§ 4. Decretum dimissionis exsecutioni mandari non potest, nisi est ab auctoritate, cui monasterium subiectum est, approbatum.

Can. 501 - § 1. Decretum dimissionis quam primum sodali, cuius interest, intimetur.

§ 2. Sodalis vero potest adversus decretum dimissionis intra quindecim dies cum effectu suspensivo sive recursum interponere sive, nisi decretum dimissionis a Sede Apostolica confirmatum est, postulare, ut causa via iudiciali tractetur.

§ 3. De recursu adversus decretum dimissionis videt Sedes Apostolica vel, si de sodali agitur, qui domicilium intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis habet, Patriarcha.

§ 4. Si vero causa via iudiciali tractanda est, de ea videt tribunal auctoritatis immediate superioris ei, qui decretum dimissionis confirmavit ; Superior vero, qui decretum dimissionis tulit, acta in re collecta tradat eidem tribunali et procedatur secundum canones de iudicio poenali appellatione remota.

Can. 502 - Legitima dimissione, ea exclusa, de qua in can. 497, ipso iure cessant omnia vincula necnon obligationes ex professione monastica orta et, si sodalis in ordine sacro constitutus est, servari debet can. 494.

Can. 503 - § 1. Qui a monasterio legitime discedit vel ab eo legitime dimissus est, nihil ab eo repetere potest ob quamlibet operam in eo praestitam.

§ 2. Monasterium tamen aequitatem et caritatem servet erga sodalem, qui ab eo separatur.

Art, III

DE ORDINIBUS ET CONGREGATIONIBUS

Can. 504 - § 1. Ordo est societas ab auctoritate competenti ecclesiastica erecta, in qua sodales, etsi non sunt monachi, professionem emittunt, quae professioni monasticae aequiparatur.

§ 2. Congregatio est societas ab auctoritate competenti ecclesiastica erecta, in qua sodales professionem emittunt cum tribus votis publi-

eis oboedientiae, castitatis et paupertatis, quae tamen professioni monasticae non aequiparatur, sed propriam vim habet ad normam iuris.

Can. 505 - § 1. Ordo est iuris pontificii, si a Sede Apostolica erectus aut per eiusdem decretum ut talis agnitus est ; iuris patriarchalis vero, si a Patriarcha erectus decretum agnitionis Sedis Apostolicae consecutus non est.

§ 2. Congregatio est :

1° iuris pontificii, si a Sede Apostolica erecta aut per eiusdem decretum ut talis agnita est;

2° iuris patriarchalis, si a Patriarcha erecta aut per eiusdem decretum ut talis agnita est nec decretum agnitionis Sedis Apostolicae consecuta est ;

3° iuris eparchialis, si ab Episcopo eparchiali erecta decretum agnitionis Sedis Apostolicae vel Patriarchae consecuta non est.

§ 3. Ordo vel congregatio est clericalis, si ratione finis seu propositi a fundatore intenti vel vi legitimae consuetudinis sub moderamine est presbyterorum, ministeria ordini sacro propria assumit et ut talis ab auctoritate ecclesiastica agnoscitur.

1° De erectione et de suppressione ordinis, congregationis, provinciae, domus

Can. 506 - § 1. Episcopus eparchialis erigere potest tantum congregationes; sed eas ne erigat nisi consulta Sede Apostolica et insuper intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis nisi consulto Patriarcha.

§ 2. Patriarcha erigere potest ordines et congregationes de consensu Synodi permanentis atque Sede Apostolica consulta.

§ 3. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis congregatio iuris eparchialis, quae in plures eparchias eiusdem territorii diffusa est, fieri potest iuris patriarchalis decreto Patriarchae consultis eis, quorum interest, et de consensu Synodi permanentis.

Can. 507 - § 1. Ordo, etiam iuris patriarchalis, legitime erectus, etsi ex una tantum domo constat, supprimi non potest nisi a Sede Apostolica, cui etiam reservatur de bonis suppressi ordinis statuere salva offerentium voluntate.

§ 2. Congregationem iuris patriarchalis vel eparchialis legitime erectam, etsi ex una tantum domo constat, supprimere potest praeter Sedem Apostolicam Patriarcha intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, consultis eis, quorum interest, et de consensu Synodi permanentis necnon Sedis Apostolicae.

Can. 508 - § 1. Provincia indicat partem eiusdem ordinis vel congregationis ex pluribus domibus constantem, quam Superior maior immediate regit.

§ 2. Ordinem vel congregationem in provincias dividere; provincias coniungere, aliter circumscribere vel supprimere novasque erigere, pertinet ad auctoritatem a statutis ordinis vel congregationis determinatam.

§ 3. De bonis suppressae provinciae statuere salva iustitia et offerentium voluntate spectat, nisi statuta aliter cavent, ad Synaxim generalem vel urgente necessitate ad Superiorem generalem de consensu sui consilii.

Can. 509 - § 1. Ordo vel congregatio domum valide erigere non potest nisi de consensu scripto dato Episcopi eparchialis; si agitur de erigenda prima domo ordinis vel congregationis iuris patriarchalis in aliqua eparchia, requiritur intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis consensus Patriarchae vel in ceteris casibus Sedis Apostolicae.

§ 2. Quae dicuntur in can. 437, valent etiam de domibus ordinum et congregationum.

Can. 510 - Domus ordinis vel congregationis valide supprimi non potest nisi consulto Episcopo eparchiali; suppressio vero unicae domus ordinis vel congregationis eidem auctoritati reservatur, cuius est secundum can. 507 ipsum ordinem vel congregationem supprimere.

2° De Superioribus, de Synaxibus et de oeconomis in ordinibus et congregationibus

Can. 511 - § 1. In ordinibus et congregationibus Superiores et Synaxes eam potestatem habent, quae iure communi et statutis determinatur.

§ 2. In ordinibus et congregationibus clericalibus iuris pontificii vel patriarchalis autem Superiores et Synaxes insuper habent potestatem regiminis pro foro externo et interno ad normam statutorum.

Can. 512 - § 1. Synaxis generalis, quae superior auctoritas ad normam statutorum est, efformetur ita, ut totum ordinem vel congregationem repraesentans verum signum eiusdem unitatis in caritate fiat.

§ 2. Non solum provinciae et domus, sed etiam omnis sodalis optata sua modo in statutis determinato Synaxi generali libere mittere potest.

Can. 513 - § i. Ut sodales ad officium Superioris valide nominentur aut eligantur, requiritur congruum tempus post professionem perpetuam a statutis determinandum, quod, si de Superioribus maioribus agitur, debet esse saltem decennium a prima professione computandum.

§ 2. Si de Superiore generali agitur, praeterea ad validitatem requiritur, ut annos triginta quinque expleverit.

Can. 514 - § 1. Superiores ad tempus determinatum et conveniens temporis spatium constituantur, nisi pro Superiore generali aliud ferunt statuta.

§ 2. Possunt tamen antequam tempus determinatum elapsum est ab officio amoveri vel ad aliud transferri ob causas et secundum modum a statutis determinata.

§ 3. In statutis aptis normis provideatur, ne sodales diutius sine intermissione Superiores sint.

Can. 515 - § 1. Superior generalis electione designetur ad normam statutorum.

§ 2. Ceteri Superiores ad normam statutorum designentur, ita tamen, ut, si eliguntur, confirmatione Superioris maioris competentis indigeant ; si vero nominantur, apta consultatio praecedat.

§ 3. In electionibus sedulo serventur cann. 947 - 960 necnon can. 445.

Can. 516 - § 1. Sint pro administratione bonorum temporalium in ordinibus et congregationibus oeconomi : oeconomus generalis, qui bona totius ordinis vel congregationis administret, oeconomus provincialis, qui provinciae, oeconomus localis, qui singularum domorum ; qui omnes officio suo fungantur sub moderamine Superioris.

§ 2. Oeconomi generalis et oeconomi provincialis officium implere Superior maior ipse non potest ; officium vero oeconomi localis, etsi melius ab officio Superioris distinguitur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigit.

§ 3. Si de modo oeconomos designandi statuta silent, ii a Superiore maiore de consensu sui consilii nominentur.

3° De admissione in ordines et congregationes et de novitiatu

Can. 517 - § 1. Aetas ad validam admissionem in novitiatum ordinis vel congregationis requisita est decimus septimus annus expletus ; circa cetera requisita ad admissionem in novitiatum serventur cann. 448, 450, 452 et 454.

§ 2. Ad novitiatum instituti religiosi alterius Ecclesiae sui iuris nemo licite admitti potest sine licentia Sedis Apostolicae, nisi de candidato agitur, qui destinatus est provinciae vel domui, de qua in can. 432, propriae Ecclesiae.

Can. 518 - Antequam candidatus ad novitiatum admittitur, sit congruenter praeparatus sub speciali cura probati sodalis per tempus et secundum modum a statutis determinatum.

Can. 519 - Ius admittendi candidatos ad novitiatum pertinet ad Superiores maiores ad normam statutorum servato can. 453, §§ 2 et 3.

Can. 520 - Novitiatus incipit modo a statutis praescripto.

Can. 521 - Sedis novitiatus erectio, translatio et suppressio fit per decretum Superioris generalis de consensu eius consilii.

Can. 522 - § 1. Novitiatus ut validus sit, peragi debet in domo, in qua est sedes novitiatus; in casibus specialibus et ad modum exceptionis ex concessione Superioris generalis de consensu eius consilii novitiatus peragi potest in alia eiusdem ordinis vel congregationis domo sub moderamine alicuius probati sodalis, qui vices magistri novitiorum gerit.

§ 2. Superior maior permittere potest, ut novitiorum coetus per certum temporis spatium in alia proprii ordinis vel congregationis domo a se designata commoretur.

Can. 523 - § 1. Ad validitatem novitiatus requiritur, ut annum integrum et continuum complectatur ; absentia vero tribus mensibus sive continuis sive intermissis brevior validitatem non afficit, sed tempus deficiens, si quindecim dies superat, suppleri debet, etsi exercitationibus apostolicis ad novitiorum institutionem perficiendam deditum erat.

§ 2. Si longius tempus novitiatus in statutis praescribitur, illud non requiritur, ut valeat professio.

Can. 524 - § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est ut magister ad normam statutorum sodalis prudentia, caritate, pietate, scientia et status religiosi observantia praestans, decem saltem annos professus et, si de ordine vel congregatione clericali agitur, in ordine presbyteratus constitutus.

§ 2. Magistro, si opus est, cooperatores dentur, qui in omnibus ei subsint circa moderamen novitiatus et institutionem novitiorum.

§ 3. Solius magistri est consulere novitiorum institutioni et ad ipsum solum novitiatus moderamen spectat ita, ut nemini liceat his se quovis praetextu immiscere exceptis illis Superioribus, quibus id a statutis permittitur, ac visitatoribus; ad disciplinam religiosam vero totius domus quod attinet, magister, quemadmodum et novitii, Superiori subditus est.

§ 4. Novitius potestati magistri ac Superiorum subest eisque oboedire tenetur.

Can. 525 - § 1. Ea, quae praescribuntur in cann. 459 - 461, valent etiam de ordinibus et congregationibus.

§ 2. Antequam professionem temporariam emittit, novitius debet ad totum tempus, quo eadem professione ligatus est, bonorum suorum, quae actu habet et quae ipsi forte postea supervenient, administrationem cedere, cui mavult, et de eorundem usu et usufructu libere disponere.

4° De professione in ordinibus et congregationibus

Can. 526 - § 1. Professio temporaria cum tribus votis oboedientiae, castitatis et paupertatis emittatur ad tempus in statutis determinatum.

§ 2. Haec professio ad normam statutorum pluries renovari potest ita tamen, ut complexive numquam ad tempus, quod triennio brevius vel sexennio longius est, extendatur.

Can. 527 - Ad validitatem professionis temporariae requiritur, ut :

1° novitiatus valide peractus sit;

2° novitius admittatur ad professionem a Superiore competenti secundum statuta de consensu sui consilii necnon recipiatur professio ab eodem Superiore per se vel per alium;

3° professio sit expressa nec vi, metu gravi aut dolo emissa vel recepta ;

4° cetera ad validitatem professionis in statutis requisita impleantur.

Can. 528 - Sodalis a votis temporariis eadem obligatione ac sodalis a votis perpetuis tenetur observandi statuta; voce activa et passiva caret, nisi aliter in statutis expresse cavetur.

Can. 529 - § 1. Professio temporaria actus votis contrarios reddit illicitos, sed non inválidos.

§ 2. Haec professio non aufert sodali proprietatem bonorum suorum neque capacitatem alia bona acquirendi ; sodali tamen non licet per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare.

§ 3. Quidquid autem sodalis a votis temporariis industria sua aut intuitu ordinis vel congregationis acquirit, ipsi ordini vel congregationi acquirit; nisi contrarium legitime probatur, sodalis praesumitur acquirere intuitu ordinis vel congregationis.

§ 4. Cessionem vel dispositionem, de quibus in can. 525, § 2, sodalis a votis temporariis mutare potest non quidem proprio arbitrio, sed de Superioris maioris consensu, dummodo mutatio saltem de notabili

bonorum parte ne fiat in favorem ordinis vel congregationis; per discessum autem ab ordine vel congregatione eiusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit.

§ 5. Si sodalis a votis temporariis debita et obligationes contraxit, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium ordinis vel congregationis gessit.

§ 6. Emissa professione temporaria ipso iure vacant quaelibet professi officia.

Can. 530 - In congregationibus sodalis saltem ante professionem perpetuam testamentum, quod etiam in iure civili validum sit, libere condat.

Can. 531 - Per professionem perpetuam sodalis statum religiosum definitive assumit, propriam eparchiam amittit ac ordini vel congregationi pleno iure aggregatur.

Can. 532 - Ad validitatem professionis perpetuae praeter requisita, de quibus in can. 464, requiritur, ut praecesserit professio temporaria ad normam can. 526.

Can. 533 - In ordinibus professio perpetua professioni perpetuae monasticae aequiparatur, proinde valent de ea cann. 466 - 468.

Can. 534 - In congregationibus :

1° effectus canonici professionis perpetuae iidem manent ac in can. 529 de professione temporaria determinantur, nisi aliter iure communi cavetur;

2° Superior maior de consensu sui consilii potest sodali a votis perpetuis id petenti licentiam bona sua cedendi salvis normis prudentiae concedere;

3° Synaxis generalis est in statuta introducere, si opportunum videtur, renuntiationem obligatoriam patrimonii a sodali acquisiti vel acquirendi, quae tamen ante professionem perpetuam fieri non potest.

Can. 535 - § 1. In emittenda quavis professione serventur praescripta statutorum.

§ 2. Documentum emissae professionis ab ipso sodali et ab eo, qui professionem, etiam ex delegatione, recepit, subscriptum asservetur in archivo ordinis vel congregationis; si de professione perpetua agitur, Superior maior debet de eadem quam primum certiorem facere parochum, apud quem sodalis baptismus adnotatus est.

5° De institutione sodalium et de disciplina religiosa in ordinibus et congregationibus

Can. 536 - § 1. Modus institutionis sodalium servato can. 471, § 1 determinatur in statutis.

§ 2. Institutio sodalium, qui ad ordines sacros destinantur, praeterea fieri debet secundum rationem institutionis clericorum, de qua in can. 330, in sede studiorum ordinis vel congregationis a Synaxi generali vel a Superioribus maioribus ad normam statutorum approbata ; si vero sedes studiorum propria ad normam can. 340, § 1 haberi non potest, sodales institui debent sub ductu probati moderatoris in alio seminario vel instituto studiorum superiorum ab auctoritate ecclesiastica approbato.

Can. 537 - § 1. Superiores maiores ad normam statutorum dare possunt litteras dimissorias ad sacram ordinationem sodalibus a votis perpetuis.

§ 2. Episcopus, ad quem Superior litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus eparchialis loci, ubi ordinandus domicilium habet; ad alium Episcopum vero, si Episcopus eparchialis licentiam dedit aut est alterius Ecclesiae sui iuris ac ordinandus aut est absens aut denique, si sedes eparchialis vacat et eam regit, qui Episcopus ordinatus non est; de quibus necesse est Episcopo ordinanti in singulis casibus constet authentico curiae eparchialis documento.

Can. 538 - § 1. In singulis domibus ordinum et congregationum laudes divinae celebrentur ad normam statutorum et legitimarum consuetudinum.

§ 2. Curent Superiores, ut omnes sodales ad normam statutorum ea, quae in can. 473, § 2 praescribuntur, impleant.

§ 3. Sodales ordinum et congregationum sacramentum paenitentiae frequenter suscipiant et servetur can. 474, § 2.

Can. 539 - § 1. Superiores curent, ut sodalibus idonei confessarii praesto sint.

§ 2. Confessarii in ordinibus et congregationibus clericalibus iuris pontificii vel patriarchalis a Superiore maiore ad normam statutorum designentur; in ceteris casibus vero ab Hierarcha loci audito Superiore, qui praevie communitatem, cuius interest, consulere debet.

Can. 540 - Ad habitum sodalium quod spectat, standum est praescriptis statutorum et extra proprias domus etiam normis Episcopi eparchialis.

Can. 541 - Normae circa clausuram in statutis singulorum ordinum et congregationum secundum propriam indolem determinentur firmo iure Superiorum, etiam localium, per modum actus et iusta de causa aliud permittendi.

Can. 542 - Curent Superiores, ut sodales a se designati praesertim in eparchia, in qua degunt, si ab Hierarcha loci vel parocho eorum auxilium requiritur ad consulendum necessitatibus christifidelium, illud intra et extra proprias ecclesias salvis instituti indole et disciplina religiosa libenter praestent.

Can. 543 - Sodalis ordinis vel congregationis, qui parochus est, manet votis ligatus atque ceteris suae professionis obligationibus necnon statutis adhuc tenetur, quatenus horum observantia cum sui officii obligationibus consistere potest; ad disciplinam religiosam quod attinet, subest Superiori, in eis vero, quae ad officium parochi spectant, eadem iura et obligationes habet ac ceteri parochi eodemque modo Episcopo eparchiali subest.

6° De transitu ad alium ordinem vel congregationem aut ad monasterium sui iuris

Can. 544 - § 1. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sodalis ad aliud institutum religiosum valide transire potest de consensu scripto dato Patriarchae et de consensu proprii Superioris generalis et Superioris generalis ordinis vel congregationis, ad quem transire vult, aut, si de transitu ad monasterium agitur, Superioris monasterii sui iuris; ad hunc consensum praestandum Superiores indigent praevio consensu sui consilii vel, si de monasterio agitur, Synaxis.

§ 2. Sodalis valide transire potest a congregatione iuris eparchialis ad aliud institutum religiosum iuris eparchialis de consensu scripto dato Episcopi eparchialis loci, ubi est domus princeps instituti religiosi, ad quod fit transitus, consulto Superiore generali congregationis, a qua fit transitus, et consentiente Superiore generali congregationis aut Superiore monasterii sui iuris, ad quod fit transitus; ad hunc consensum praestandum Superiores indigent praevio consensu sui consilii vel, si de monasterio agitur, Synaxis.

§ 3. Ceteris in casibus sodalis non potest ad aliud institutum religiosum valide transire nisi de consensu Sedis Apostolicae.

§ 4. Ad validitatem transitus ad institutum religiosum alterius Ecclesiae sui iuris requiritur consensus Sedis Apostolicae.

Can. 545 - § 1. Transiens novitiatum ex toto peragere debet, nisi Superior generalis vel Superior monasterii sui iuris, uterque de consensu sui consilii, tempus novitiatus ob specialia adiuncta reducit, sed

non infra sex menses ; novitiatu durante manentibus votis iura et obligationes particulares, quae sodalis in priore ordine vel congregatione habuit, suspensa sunt et ipse Superioribus et magistro novitiorum novi instituti religiosi subest etiam vi voti oboedientiae.

§ 2. Post peractum novitiatum transiens, qui iam professus a votis perpetuis est, publice professionem perpetuam emittat secundum praescripta statutorum novi instituti religiosi, qua professione novo instituto plene aggregatur et, si clericus est, ei etiam ut clericus ascribitur ; qui vero adhuc professus a votis temporariis est, eodem modo professionem temporariam emittat saltem per triennium duraturam, nisi totum triennium novitiatus in monasterio sui iuris, ad quod transit, peregit.

§ 3. Si in novo instituto religioso sodalis professionem non emittit, ad pristinum redire debet, nisi interim tempus professionis elapsum est.

§ 4. Circa bona et dotem servetur can. 488, § 4.

7° De exclaustratione
et de discessu ab ordine vel congregatione

Can. 546 - § 1. Professus a votis temporariis elapso professionis tempore libere potest institutum religiosum derelinquere.

§ 2. Qui perdurantibus votis temporariis gravi de causa petit, ut ordinem vel congregationem derelinquat, a Superiore generali de consensu eius consilii consequi potest indultum definitive ab ordine vel congregatione discedendi et ad vitam saecularem redeundi cum effectibus, de quibus in can. 493; in congregationibus iuris eparchialis indultum ut valeat confirmari debet ab Episcopo eparchiali loci, ubi est domus princeps eiusdem congregationis.

Can. 547 - § 1. Superior maior iusta de causa consulto suo consilio sodalem a votis temporariis a renovandis eisdem votis vel ab emittenda professione perpetua excludere potest.

§ 2. Infirmitas physica vel psychica, etiam post professionem temporariam contracta, quae de iudicio peritorum sodalem a votis temporariis reddit ineptum ad vitam in instituto religioso ducendam, causam constituit eum non admittendi ad professionem temporariam renovandam vel ad professionem perpetuam emittendam, nisi ob neglegentiam instituti vel ob laborem in instituto peractum infirmitas contracta est.

§ 3. Si vero sodalis perdurantibus votis temporariis amens evasit, etsi novam professionem emittere non potest, ab instituto tamen dimitti non potest.

Can. 548 - § 1. Indultum exclaustrationis concedi potest ab auctoritate, cui ordo vel congregatio subiectus est, audito Superiore gene-

rali una cum suo consilio; impositio vero exclaustrationis ab eadem auctoritate fit petente Superiore generali de consensu sui consilii.

§ 2. De cetero circa exclaustrationem serventur cann. 489 - 491.

Can. 549 - § 1. Sodalis a votis perpetuis indultum discedendi ab ordine vel congregatione et ad vitam saecularem redeundi ne petat nisi gravissimis de causis ; petitionem suam deferat Superiori generali, qui eam una cum voto suo suique consilii ad auctoritatem competentem mittat.

§ 2. Huiusmodi indultum in ordinibus Sedi Apostolicae reservatur; in congregationibus vero praeter Sedem Apostolicam id concedere potest etiam :

1° Patriarcha omnibus sodalibus, qui domicilium intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, habent, consulto, si de congregationibus iuris eparchialis agitur, Episcopo eparchiali;

2° Episcopus eparchialis eparchiae, in qua sodalis domicilium habet, si agitur de congregatione iuris eparchialis.

§ 3. Indultum discedendi ab ordine vel congregatione eosdem effectus canonicos habet ac in can. 493 statuuntur; de sodali vero, qui in ordine sacro constitutus est, valet praeterea can. 494.

Can. 550 - Sodalis, qui ex domo proprii ordinis vel congregationis illegitime abest cum animo se subducendi a potestate Superiorum, sollicite ab eisdem Superioribus quaeratur; si vero intra tempus a statutis praescriptum non redit, ad normam iuris puniatur vel etiam dimittatur.

8° De dimissione ab ordine vel congregatione

Can. 551 - Quae de dimissione vel de eiectione in cann. 497 et 498 praescribuntur, valent etiam de sodalibus ordinum vel congregationum ; auctoritas competens vero est Superior maior consulto suo consilio aut, si de eiectione agitur, de consensu eiusdem consilii; si periculum est in mora nec tempus suppetit adeundi Superiorem maiorem, etiam Superior localis de consensu sui consilii et statim certiore facto Superiore maiore sodalem eicere potest.

Can. 552 - § 1. Sodalis a votis temporariis dimitti potest a Superiore generali de consensu sui consilii, nisi in statutis dimissio reservatur Episcopo eparchiali vel alii auctoritati, cui ordo vel congregatio subiectus est.

§ 2. Ad dimissionem decernendam praeter alias condiciones a statutis forte praescriptas serventur :

1° causae dimissionis debent esse graves et ex parte sodalis etiam externae et culpabiles;

2° defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo esse potest, est sufficiens dimissionis causa, si repetita- monitio una cum salutari paenitentia in cassum cessit;

3° auctoritati dimittenti causae dimissionis certo innotescere debent, etsi necesse non est, ut eaedem formaliter comprobentur ; sed sodali semper manifestari debent data ei plena opportunitate se defendendi, eiusque responsiones auctoritati dimittenti fideliter subiciantur.

§ 3. Recursus contra decretum dimissionis effectum suspensivum habet.

Can. 553 - Ad dimittendum sodalem a votis perpetuis competens est Superior generalis ; de cetero observandi sunt cann. 500 - 503.

CAPUT II

DE SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS AD INSTAR RELIGIOSORUM

Can. 554 - § 1. Institutum, in quo sodales consilia evangelica aliquo sacro vinculo, non vero votis religiosis profitentur atque vivendi rationem status religiosi imitantur sub regimine Superiorum secundum statuta, est societas vitae communis ad instar religiosorum.

§ 2. Haec societas est iuris pontificii, iuris patriarchalis vel eparchialis ad normam can. 505, § 2 ; est vero clericalis ad normam can. 505, § 3 ; dependet ab auctoritate ecclesiastica ut congregationes ad normam cann. 413 - 415, 419, 420, § 3 et, salvo iure particulari a Sede Apostolica statuto, can. 418, § 2.

§ 3. Sodales harum Societatum, ad effectus canonicos quod attinet, religiosis aequiparantur, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 555 - Sodales omnes harum societatum subduntur Romano Pontifici ut suo supremo Superiori, cui parendi obligatione tenentur etiam vi sacri vinculi oboedientiae.

Can. 556 - Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum eadem valent ac quae de congregationibus in cann. 506 - 510 statuta sunt.

Can. 557 - Regimen determinatur statutis societatis, sed in omnibus applicentur, nisi rei natura obstat, quae de congregationibus in cann. 422 et 511 - 515 statuta sunt.

Can. 558 - § 1. Societas eiusque provinciae et domus legitime erectae ipso iure sunt personae iuridicae ad normam can. 423.

§ 2. Administratio bonorum regitur cann. 424, 425 et 516.

§ 3. Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, societati acquiritur; cetera bona sodales secundum statuta retinent, acquirunt ac administrant.

Can. 559 - § 1. In admittendis candidatis in societatem serventur statuta salvis cann. 450 et 451.

§ 2. Circa institutionem sodalium item serventur statuta ; in instituendis vero illis, qui ad ordines sacros destinantur, serventur praeterea canones de institutione clericorum.

Can. 560 - § 1. Superior maior societatis ad normam statutorum dare potest suis sodalibus perpetuo cooptatis litteras dimissorias ad sacram ordinationem; hae litterae mittendae sunt Episcopo, de quo in can. 537, § 2.

§ 2. Sodalis perpetuo cooptatus ut clericus societati ascribitur ordinatione diaconali vel in casu clerici alicui eparchiae iam ascripti perpetua cooptatione.

Can. 561 - Sodales societatis tenentur obligationibus, quae clericis iure communi praescribuntur, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat, firmis iuribus et obligationibus in statutis determinatis.

Can. 562 - § 1. Circa transitum ad aliam societatem vitae communis ad instar religiosorum vel institutum religiosum requiritur consensus Superioris generalis societatis, a qua transitus fit, et, si de transitu ad societatem vel institutum alterius Ecclesiae sui iuris agitur, etiam consensus Sedis Apostolicae.

§ 2. Sodalis, qui transit ad institutum religiosum, integrum novitiatum peragere debet et ceteris novitiis eiusdem instituti aequiparatur ; circa professionem standum est statutis novi instituti.

§ 3. Firmis cann. 497 et 498 ad dimittendum sodalem perpetuo cooptatum competens est Superior generalis servatis de cetero cann. 500 - 503; sodalis temporarie cooptatus vero dimittitur ad normam can. 552.

§ 4. In statutis societatis determinetur auctoritas, cuius est sacrum vinculum solvere.

CAPUT III

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Can. 563 - § 1. Institutum saeculare est societas, in qua sodales:

1° ad seipsos Deo totos dedicandum per professionem trium consiliorum evangelicorum secundum statuta aliquo sacro vinculo ab Ecclesia recognito firmatam tendunt;

2° actuositatem apostolicam ad instar fermenti in saeculo et ex saeculo exercent ita, ut omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuantur;

3° vivendi rationem religiosorum non imitantur, sed vitam communionis inter se secundum propria statuta agunt;

4° clerici vel laici, ad omnes effectus canonicos quod attinet, in suo quisque statu manent.

§ 2. Instituta saecularia sunt iuris pontificii, iuris patriarchalis vel iuris eparchialis ad normam can. 505, § 2.

Can. 564 - Sodales institutorum saecularium subduntur Romano Pontifici ut suo supremo Superiori, cui parendi obligatione tenentur etiam vi sacri vinculi oboedientiae.

Can. 565 - Sodalis instituti saecularis per ordinationem diaconalem ut clericus ascribitur eparchiae, pro cuius servitio ordinatus est, nisi vi concessionis Sedis Apostolicae vel, si de instituto saeculari iuris patriarchalis agitur, Patriarchae eidem instituto ascribitur.

Can. 566 - Circa erectionem et suppressionem institutorum saecularium, eorum statuta necnon dependentiam ab auctoritate ecclesiastica serventur, quae de congregationibus in cann. 414, 506, 507, § 2, 509 et 510 statuta sunt.

Can. 567 - § 1. Instituta saecularia eorumque provinciae et domus legitime erectae ipso iure sunt personae iuridicae ad normam can. 423.

§ 2. Administratio bonorum regitur cann. 424 et 425.

Can. 568 - § 1. In admittendis candidatis serventur statuta firmo can. 450.

§ 2. Sodalis instituto saeculari perpetuo cooptatus dimittitur decreto ad normam statutorum dato, quod exsecutioni mandari non potest, nisi est ab Episcopo eparchiali vel ab auctoritate superiore competenti approbatum; eiusdem Episcopi eparchialis vel auctoritatis est etiam sacrum vinculum solvere.

Can. 569 - Iuris particularis uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris, est pressius de institutis saecularibus statuere.

CAPUT IV

DE ALIIS FORMIS VITAE CONSECRATAE ATQUE DE SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

Can. 570 - Iure particulari aliae species constitui possunt ascetarum, qui vitam eremiticam imitantur, sive ad instituta vitae consecratae pertinent sive non; item virgines et viduae consecratae seorsum in saeculo castitatem professione publica profitentes constitui possunt.

Can. 571 - Novas formas vitae consecratae approbare soli Sedi Apostolicae reservatur; Patriarchae autem atque Episcopi eparchiales nova vitae consecratae dona a Spiritu Sancto Ecclesiae concredita discernere satagant et promotores adiuvent, quo melius proposita exprimant et aptis statutis protegant.

Can. 572 - Societates vitae apostolicae, quarum sodales sine votis religiosis finem apostolicum societatis proprium prosequuntur et, vitam fraternam in communi ducentes secundum propriam vitae rationem, per observantiam constitutionum ad perfectionem caritatis tendunt, quaeque institutis vitae consecratae accedunt, reguntur tantum iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris vel a Sede Apostolica statuto.

TITULUS XIII

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

Can. 573 - § 1. Consociationes ab auctoritate competenti ecclesiastica erectae vel ab ipsa per decretum approbatae sunt personae iuridicae in Ecclesia et vocantur consociationes publicae.

§ 2. Ceterae consociationes, etsi ab auctoritate ecclesiastica laudantur vel commendantur, consociationes privatae vocantur; hae consociationes in Ecclesia non agnoscuntur, nisi earum statuta ab auctoritate competenti recognoscuntur, de cetero vero reguntur tantummodo iure particulari firmo can. 577.

Can. 574 - Salvo de cetero can. 18 solius auctoritatis ecclesiasticae competentis est erigere christifidelium consociationes, quae sibi proponunt doctrinam christianam nomine Ecclesiae tradere aut cultum publicum promovere vel quae alios intendunt fines, quorum prosecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur.

Can. 575 - § 1. Auctoritas competens ad erigendas vel approbandas christifidelium consociationes est pro consociationibus et earundem confoederationibus :

1° eparchialibus Episcopus eparchialis, non vero Administrator eparchiae, eis tamen consociationibus exceptis, quarum erectio ex privilegio apostolico vel patriarchali aliis reservata est;

2° quae omnibus christifidelibus alicuius Ecclesiae patriarchalis vel metropolitanae sui iuris patent quaeque sedem principem intra fines territorii eiusdem Ecclesiae habent, Patriarcha consulta Synodo permanenti vel Metropolita consultis duobus Episcopis eparchialibus ordinatione episcopali senioribus;

3° alterius speciei Sedes Apostolica.

§ 2. Ad erectionem sectionis cuiuscumque consociationis non eparchialis requiritur consensus scripto datus Episcopi eparchialis; consensus tamen ab Episcopo eparchiali praestitus pro erectione domus instituti religiosi valet etiam ad erigendam in eadem domo vel ecclesia ei adnexa consociationem, quae illius instituti est propria.

Can. 576 - § 1. Omnis consociatio sua habeat statuta, quibus determinantur consociationis nomen, finis, sedes, regimen et condiciones requisitae ad ascriptionem ; praeterea in statutis determinantur agendi rationes attentis ritu propriae Ecclesiae sui iuris, necessitatibus loci et temporis vel utilitate.

§ 2. Statuta eorumque immutatio approbatione indigent auctoritatis ecclesiasticae, quae consociationem erexit vel approbavit.

Can. 577 - § 1. Quaelibet consociatio subest vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae, quae eam erexit vel approbavit; huius auctoritatis est curare, ut in eadem integritas fidei et mx>rum servetur, et vigilare, ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant.

§ 2. Episcopi eparchialis est vigilare omnibus consociationibus in suo territorio activitatem exercentibus et, si casus fert, auctoritatem, quae consociationem erexit vel approbavit, certiorem facere et insuper, si actio consociationis in grave damnum cedit doctrinae vel disciplinae ecclesiasticae aut scandalo est christifidelibus, remedia opportuna interim adhibere.

Can. 578 - § 1. Membrorum receptio fiat ad normam iuris communis ac statutorum consociationis.

§ 2. Eadem persona ascribi potest pluribus consociationibus.

§ 3. Sodales institutorum religiosorum possunt consociationibus ad normam typici vel statutorum de consensu sui Superioris nomen dare.

Can. 579 - Nulla consociatio christifidelium propria membra ut clericos sibi ascribere potest nisi ex speciali concessione a Sede Apostolica vel, si de consociatione, de qua in can. 575, § 1, n. 2, agitur, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis data.

Can. 580 - Qui fidem catholicam publice abiecit vel a communione cum Ecclesia catholica publice defecit vel excommunicatione maiore irretitus est, valide in consociationes recipi non potest; si vero iam legitime ascriptus est, ab Hierarcha loci ipso iure dimissus declaretur.

Can. 581 - Nemo legitime ascriptus a consociatione dimittatur nisi iusta de causa ad normam iuris communis et statutorum.

Can. 582 - Consociatio legitime erecta vel approbata bona temporalia ad normam cann. 1007 -1054 et statutorum administrat sub vigilantia auctoritatis, quae eam erexit vel approbavit, cui quotannis administrationis rationem reddere debet.

Can. 583 - § 1. Consociationes a Sede Apostolica erectae vel approbatae nonnisi ab eadem supprimi possunt.

§ 2. Ceterae consociationes, firmo can. 927, § 2 et salvo iure recursus in suspensivo ad normam iuris, praeterquam a Sede Apostolica supprimi possunt :

1° a Patriarcha de consensu Synodi permanentis vel a Metropolita, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, de consensu duorum Episcoporum eparchialium ordinatione episcopali seniorum ;

2° ab Episcopo eparchiali, si ab eo erectae vel approbatae sunt.

TITULUS XIV

DE EVANGELIZATIONE GENTIUM

Can. 584 - § 1. Christi mandato omnes gentes evangelizandi obsequens et Spiritus Sancti gratia caritateque mota Ecclesia se totam missionariam agnoscit.

§ 2. Evangelizatio gentium ita fiat, ut servata integritate fidei et morum Evangelium se in cultura singulorum populorum exprimere possit, in catechesi scilicet, in ritibus propriis liturgicis, in arte sacra, in iure particulari ac demum in tota vita ecclesiali.

Can. 585 - § 1. Singularum Ecclesiarum sui iuris est iugiter curare, ut per praecones apte praeparatos et ab auctoritate competenti ad normam iuris communis missos Evangelium praedicetur in universum mundum sub moderamine Romani Pontificis.

§ 2. Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilio Hierarcharum assit commissio ad omnium eparchiarum efficaciorem collaborationem provehendam in activitate Ecclesiae missionali.

§ 3. In singulis eparchiis sacerdos designetur ad incepta pro missionibus efficaciter promovenda.

§ 4. Christifideles cognitionem et amorem missionum in se ipsis et in aliis foveant, pro illis orent atque vocationes excitent illasque suis subsidiis liberaliter sustineant.

Can. 586 - Severe prohibetur, ne quis ad Ecclesiam amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur; omnes vero christifideles curent, ut vindicetur ius ad libertatem religiosam, ne quis iniquis vexationibus ab Ecclesia deterreatur.

Can. 587 - § 1. Qui se Ecclesiae coniungere volunt, caerimoniis liturgicis admittantur ad catechumenatum, qui non sit mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium debite protractum.

§ 2. Qui catechumenatui ascripti sunt, ius habent, ut admittantur ad liturgiam verbi aliasque celebrationes liturgicas christifidelibus non reservatas.

§ 3. Iuris particularis est normas ferre, quibus catechumenatus ordinetur determinando, quaenam a catechumenis sint praestanda et quaenam eis agnoscantur praerogativae.

Can. 588 - Integrum est catechumenis ascribi cuivis Ecclesiae sui iuris ad normam can. 30; caveatur tamen, ne quid ipsis suadeatur, quod obstare possit eorundem ascriptioni Ecclesiae, quae eorum culturae magis consentanea est.

Can. 589 - Missionarii sive exteri sive autochthoni sint congruis dotibus et ingenio idonei; sint apte instituti in missiologia et in spiritualitate missionaria necnon instructi in historia et cultura populorum, qui evangelizandi sunt.

Can. 590 - In activitate missionali curandum est, ut novellae Ecclesiae quam primum maturitatem consequantur atque plene constituantur ita, ut sub ductu propriae hierarchiae sibi providere et opus evangelizandi assumere atque continuare possint.

Can. 591 - Missionarii sedulo curent, ut:

1° vocationes ad ministeria sacra inter neophytos prudenter promoveantur ita, ut novellae Ecclesiae quam primum autochthonis clericis floreant;

2° catechistae ita instituantur, ut tamquam validi cooperatores ministrorum sacrorum munus suum in evangelizatione necnon in actione liturgica quam optime exsequi possint; iure particulari provideatur, ut catechistae iustam remunerationem habeant.

Can. 592 - § 1. Speciali cura in territoriis missionum aptae formae apostolatus laicorum foveantur; instituta vitae consecratae, ratione habita singulorum populorum ingenii et indolis, promoveantur; scholae et alia huiusmodi educationis christianae et progressus culturalis instituta, ut opus est, constituantur.

§ 2. Item dialogus et cooperatio cum non-christianis sedulo et prudenter foveantur.

Can. 593 - § 1. Omnes presbyteri cuiuscumque condicionis in territoriis missionum operam praestantes utpote unum presbyterium efformantes ardenter in evangelizatione cooperentur.

§ 2. Ipsi cum ceteris missionariis christianis, ut unum pro Christo Domino testimonium reddant, libenter collaborent ad normam can. 908.

Can. 594 - Territoria missionum sunt, quae Sedes Apostolica ut talia agnovit.

TITULUS XV

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

CAPUT I

DE ECCLESIAE MUNERE DOCENDI IN GENERE

Can. 595 - § 1. Ecclesiae, cui Christus Dominus depositum fidei concredidit, ut Spiritu Sancto assistente veritatem revelatam sancte custodiret, penitus perscrutaretur, fideliter annuntiaret atque exponeret, ius nativum a qualibet humana potestate independens et obligatio est omnibus hominibus Evangelium praedicandi.

§ 2. Ecclesiae competit semper et ubique principia moralia, etiam ad ordinem socialem spectantia, annuntiare necnon iudicium ferre de quibuslibet rebus humanis, quatenus dignitas personae humanae eiusque iura fundamentalia aut salus animarum id exigunt.

Can. 596 - In nomine Ecclesiae docendi munus solis Episcopis competit; in eodem tamen munere partem habent ad normam iuris sive ii, qui Episcoporum per ordinem sacrum effecti sunt cooperatores, sive ii, qui in ordine sacro non constituti mandatum docendi receperunt.

Can. 597 - § 1. Infallibitate in magisterio vi muneris sui gaudet Romanus Pontifex, si ut supremus omnium christifidelium Pastor et Doctor, cuius est fratres suos in fide confirmare, doctrinam de fide vel de moribus tenendam definitivo actu proclamat.

§ 2. Infallibilitate in magisterio pollet quoque Collegium Episcoporum, si magisterium exercent Episcopi in Concilio Oecumenico coadunati, qui ut fidei et morum doctores et iudices pro universa Ecclesia doctrinam de fide vel de moribus ut definitive tenendam declarant, aut si per orbem dispersi communionis nexum inter se et cum sancti Petri successore servantes una cum eodem Romano Pontifice authentice res fidei vel morum docentes in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt.

§ 3. Infallibiliter definita nulla intellegitur doctrina, nisi id manifesto constat.

Can. 598 - Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet deposito fidei Ecclesiae commisso, continentur et simul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni sive ab eius magisterio ordinario et uni-

versali, quod quidem communi adhaesione christifidelium sub ductu sacri magisterii manifestatur; tenentur igitur omnes christifideles quascumque devitare doctrinas eisdem contrarias.

Can. 599 - Non quidem fidei assensus, religiosum tamen intellectus et voluntatis obsequium praestandum est doctrinae de fide et de moribus, quam sive Romanus Pontifex sive Collegium Episcoporum enuntiant, cum magisterium authenticum exercent, etsi definitivo actu eandem proclamare non intendunt; christifideles ergo curent, ut devitent, quae cum eadem non congruunt.

Can. 600 - Episcopi, qui sunt in communione cum Collegii capite et membris, sive singuli sive in Synodis aut in Conciliis particularibus congregati, etsi infallibilitate in docendo non pollent, christifidelium suae curae commissorum authentici sunt fidei doctores et magistri ; cui magisterio authentico suorum Episcoporum christifideles religioso animi obsequio adhaerere tenentur.

Can. 601 - Singulis Ecclesiis onus incumbit imprimis a Patriarchis et Episcopis exercendum modo unicuique generationi et culturae accommodato ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae respondendi necnon christianae solutioni problematum urgentiorum sub luce Evangelii signa temporum perscrutando consulendi ita, ut clarescat ubique magis lux Christi illuminans omnes homines.

Can. 602 - In cura pastorali non tantum principia scientiarum sacrarum, sed etiam inventa aliarum scientiarum agnoscantur et ita adhibeantur, ut christifideles ad magis consciam et reflexam vitam fidei ducantur.

Can. 603 - Litterarum artiumque cultus pro earum vi ad sensum fidei singulari efficacia exprimendum et communicandum agnitis iusta libertate et diversitate culturali provehatur.

Can. 604 - Ecclesiae Pastorum imprimis est sedulo curare, ut inter varietates enuntiationum doctrinae in variis Ecclesiis idem sensus fidei servetur atque promoveatur ita, ut integritas et unitas fidei damnum non patiatur, immo catholicitas Ecclesiae per legitimam diversitatem in meliorem lucem ponatur.

Can. 605 - Ad Episcopos praesertim in Synodis vel Consiliis coadunatos, singulariter vero ad Sedem Apostolicam pertinet integritatem et unitatem fidei bonosque mores auctoritative promovere, custodire et religiose defendere, etiam reprobando, quatenus opus est, sententias, quae eisdem contrariae sunt, vel monendo de eis, quae eadem in discrimen ponere possunt.

Can. 606 - § 1. Theologorum est pro sua mysterii salutis profundiore intellegentia et scientiarum sacrarum animumque necnon novarum quaestionum peritia fideliter magisterio Ecclesiae authentico obsequentes simulque ea, qua par est, libertate utentes fidem Ecclesiae illustrare et defendere progressuique doctrinali consulere.

§ 2. In veritatibus theologicis investigandis et exprimendis eorum est communitatis fidei aedificandae sollicitos esse atque cum Episcopis in eorum munere docendi sollerter cooperari.

§ 3. Qui in theologicas disciplinas praesertim in seminariis, studiorum universitatibus et facultatibus incumbunt, cum hominibus, qui in aliis scientiis excellunt, collatis consiliis atque viribus cooperari studeant.

CAPUT II

DE VERBI DEI MINISTERIO

Can. 607 - Verbi Dei ministerium, praedicatio nempe, catechesis omnisque instructio christiana, inter quae homilia liturgica eximium locum habeat oportet, Sacra Scriptura salubriter nutriatur atque sacra traditione innitatur; celebratio verbi Dei vero opportune foveatur.

Can. 608 - Episcopi, presbyteri et diaconi pro suo cuiusque ordinis sacri gradu primi munus verbi Dei ministerii habent ad normam iuris exercendum; ceteri vero christifideles pro sua cuiusque idoneitate, statu vitae et mandato accepto libenter hoc ministerium participent.

Art. I

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

Can. 609 - Verbi Dei praedicationem moderari in suo territorio competit Episcopo eparchiali firmo iure communi.

Can. 610 - § 1. Episcopis ius est verbum Dei ubique terrarum praedicare, nisi Episcopus eparchialis in casu speciali expresse renuit.

§ 2. Presbyteri facultate praediti sunt praedicandi ibi, quo legitime mittuntur vel invitantur.

§ 3. Eadem facultate praedicandi praediti sunt etiam diaconi, nisi ius particulare aliud statuit.

§ 4. In extraordinariis adiunctis maxime ad supplendam penuriam clericorum ceteris quoque christifidelibus dari potest ab Episcopo eparchiali mandatum praedicandi etiam in ecclesia firmo can. 614, § 4.

Can. 611 - Vi officii facultate praedicandi praediti sunt omnes, quibus cura animarum commissa est, qui etiam invitare possunt ad praedicandum suae curae commissis quemlibet presbyterum vel firmo can. 610, § 3 diaconum, nisi legitime prohibiti sunt.

Can. 612 - § 1. In institutis religiosis vel societatibus vitae communis ad instar religiosorum clericalibus iuris pontificii vel patriarchalis praedicationem moderari pertinet ad Superiores maiores.

§ 2. Invitare vero ad praedicandum propriis sodalibus quemlibet presbyterum vel firmo can. 610, § 3 diaconum, nisi legitime prohibiti sunt, possunt omnes Superiores, etiam locales, cuiuslibet instituti vitae consecratae.

Can. 613 - Contra decretum Hierarchae, quo quis prohibetur praedicare, datur recursus in devolutivo tantum, qui sine mora definiendus est.

Can. 614 - § 1. Homilia, qua per anni liturgici cursum ex Sacra Scriptura mysteria fidei et normae vitae christianae exponuntur, ut pars ipsius liturgiae valde commendatur.

§ 2. Parochis et rectoribus ecclesiarum incumbit obligatio curandi, ut saltem diebus dominicis et festis de praecepto intra Divinam Liturgiam homilia habeatur, quae ne omittatur nisi gravi de causa.

§ 3. Parocho non licet obligationem populo eius curae pastorali commisso praedicandi per alium habitualiter persolvere nisi iusta de causa ab Hierarcha loci approbata.

§ 4. Homilia sacerdoti aut, ad normam iuris particularis, etiam diacono reservatur.

Can. 615 - Episcopi eparchiales normis datis curent, ut opportunis temporibus ad populi christiani renovationem spiritualem specialis series sacrae praedicationis habeatur.

Can. 616 - § 1. Verbi Dei praedicatores sepositis humanae sapientiae verbis abstrusisque argumentis christifidelibus praedicent integrummysterium Christi, qui est via et veritas et vita; ostendant res terrestres et instituta humana secundum Dei Creatoris consilium ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum conferre posse.

§ 2. Edoceant ideo etiam doctrinam Ecclesiae de dignitate personae humanae eiusque iuribus fundamentalibus, de vita familiari, de consortio civili et sociali necnon de sensu iustitiae in vita oeconomica et laboris persequendo, qui confert ad pacem in terris construendam et ad progressum populorum consequendum.

Art. II

DE INSTITUTIONE CATECHETICA

Can. 617 - Singularum Ecclesiarum sui iuris praesertim vero earum Episcoporum est gravis obligatio catecheseos tradendae, qua fides ad maturitatem adducatur et formetur Christi discipulus per cognitionem profundiorem et magis ordinatam doctrinae Christi et per adhaesionem in dies artiorem ipsius Personae.

Can. 618 - Parentes primi obligatione tenentur verbo et exemplo filios in fide et vitae christianae praxi efformandi ; pari obligatione tenentur ii, qui parentum locum tenent, atque patrini.

Can. 619 - Praeter familiam christianam ipsa paroecia atque quaevis communitas ecclesialis curare debent membrorum suorum institutionem catecheticam atque eorum integrationem in ipsam communitatem illas praebendo condiciones, in quibus ea, quae didicerunt, quam plenissime vivere possunt.

Can. 620 - Consociationes et motus et circuli christifidelium, sive ad fines pietatis et apostolatum sive ad opera caritatis et adiumenti intendunt, formationem religiosam membrorum suorum curent sub ductu Hierarchae loci.

Can. 621 - § 1. Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilio Hierarcharum competit intra fines territorii propriae Ecclesiae normas de institutione catechetica in directorium catecheticum apte componendas ferre servatis eis, quae a suprema Ecclesiae auctoritate praescripta sunt.

§ 2. In directorio catechetico ratio habeatur indolis specialis Ecclesiarum orientalium ita, ut momentum biblicum et liturgicum necnon traditiones propriae Ecclesiae sui iuris in patrologia, hagiographia et ipsa iconographia in catechesi tradenda eluceant.

§ 3. Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilii Hierarcharum est curare, ut catechismi ad varios coetus christifidelium accommodati simul cum subsidiis ac instrumentis provideantur necnon varia incepta catechetica provehantur atque inter se componantur.

Can. 622 - § 1. In quavis Ecclesia sui iuris assit commissio de re catechetica, quae etiam cum aliis Ecclesiis sui iuris pro eodem territorio vel regione socio-culturali constitui potest.

§ 2. Commissioni de re catechetica praesto sit etiam centrum catecheticum, cuius est subsidio esse eisdem Ecclesiis ad incepta catechetica coordinate et efficacius persolvenda atque inservire catechistarum formationi etiam permanenti.

Can. 623 - § 1. Episcopi eparchialis est institutionem catecheticam in sua eparchia summa cum sollicitudine provehere, dirigere atque moderari.

§ 2. Ad quem finem assit curiae eparchiali centrum catecheticum eparchiale.

Can. 624 - § 1. Parochus summam operam dare debet attentis normis ab auctoritate competenti statutis ad catechesim tradendam omnibus suae curae "pastorali commissis, cuiuscumque sunt aetatis vel condicionis.

§ 2. Parochis adiutricem operam praestare tenentur presbyteri et diaconi paroeciae addicti ; sodales autem institutorum religiosorum ad normam cann. 479 et 542.

§ 3. Alii christifideles rite formati libenter suam adiutricem operam catechesi tradendae conferant.

Can. 625 - Rationem oecumenicam habeat oportet catechesis rectam imaginem aliarum Ecclesiarum atque Communitatum ecclesialium praebendo; curandum tamen omnino est, ut in tuto ponatur recta ratio catecheseos catholicae.

Can. 626 - Meminerint omnes, qui catechesi tradendae inserviunt, se Ecclesiae partes gerere et ad verbum Dei revelatum, non proprium communicandum missos esse; proinde doctrinam Ecclesiae integram modo catechizandis quidem accommodato eorumque culturae exigentiis respondenti proponant.

CAPUT III

DE EDUCATIONE CATHOLICA

Can. 627 - § 1. Cura filios educandi imprimis spectat ad parentes vel ad eorum locum tenentes; quare eorundem est in familiae christianae ambitu fide illuminato atque amore mutuo animato filios educare praesertim ad pietatem erga Deum et dilectionem proximi.

§ 2. Si propriae vires transcenduntur, ut consulatur integrae filiorum educationi, parentum quoque est aliis partem muneris educationis concredere necnon eligere instrumenta educationis necessaria vel utilia,

§ 3. Parentes in instrumentis educationis eligendis iustam libertatem habeant oportet firmo can. 633; quare operam dent christifideles, ut hoc ius a societate civili agnoscatur et secundum exigentias iustitiae congruis etiam subsidiis foveatur.

Can. 628 - § 1. Ecclesiae, cum novas creaturas per baptismum generaverit, est simul cum parentibus earundem educationem catholicam curare.

§ 2. Omnes, quibus cura animarum commissa est, debent auxilio esse parentibus ad filios educandos, eosdem proprii iuris et obligationis conscios reddere et educationi religiosae praesertim iuventutis providere.

Can. 629 - Curent omnes educatores, ut attendatur integrae personae humanae formationi ita, ut dotibus physicis, intellectualibus et moralibus harmonice excultis iuvenes virtutibus christianis instructi conformentur ad Deum perfectius cognoscendum et diligendum, ad valores humanos et morales recta conscientia aestimandos et vera libertate amplectendos et simul exculto sensu iustitiae et responsabilitatis socialis ad fraternum cum aliis consortium prosequendum.

Can. 630 - § 1. Magno animo operam dent christifideles, ut congrua educationis et instructionis beneficia ad omnes homines ubique terrarum citius extendi possint speciali cura habita illorum, qui sunt tenuioris fortunae.

§ 2. Faveant omnes christifideles inceptis Ecclesiae ad educationem provehendam aptis, praecipue ad scholas erigendas, dirigendas et sustinendas.

Art. I

DE SCHOLIS, PRAESERTIM CATHOLICIS

Can. 631 - § 1. Inter varia instrumenta educationis speciali cura fovenda est schola catholica, in quam convergat oportet sollicitudo parentum, magistrorum necnon communitatis ecclesialis.

§ 2. Ecclesiae ius est scholas cuiusvis generis et gradus erigendi ac moderandi.

Can. 632 - Schola in iure non reputatur catholica, nisi ut talis erecta est ab Episcopo eparchiali vel ab auctoritate superiore ecclesiastica aut ab eisdem ut talis agnita.

Can. 633 - § 1. Episcopo eparchiali competit de scholis quibuslibet iudicare et decernere, utrum exigentiis educationis christianae respondeant necne; item eidem competit gravi de causa frequentiam alicuius scholae christifidelibus prohibere.

§ 2. Parentes filios in scholas catholicas ceteris paribus mittendos curent.

Can. 634 - § 1. Scholae catholicae est obligatio propria communitatis scholaris ambitum spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adulescentes adiuvare, ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam, quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis ordinare ita, ut cognitio, quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur.

§ 2. Haec adiunctis propriis accommodare moderante auctoritate competenti ecclesiastica est ipsius scholae catholicae, si maiore ex parte ab alumnis acatholicis frequentatus

§ 3. Scholae catholicae est non minus quam aliarum scholarum fines culturales et humanam socialemque iuvenum formationem prosequi.

Can. 635 - Episcopi eparchialis praecipue est curare, ut habeantur scholae catholicae, praesertim ubi aliae scholae desunt vel adaequatae non sunt, etiam scholae professionales et technicae, quatenus pro loci et temporis adiunctis speciali ratione requiruntur.

Can. 636 - § 1. Institutio catechetica in scholis quibuslibet Episcopi eparchialis auctoritati et vigilantiae subiecta est.

§ 2. Episcopi eparchialis quoque est nominare aut approbare magistros religionis catholicae eosque, si ratio fidei vel morum id requirit, amovere vel exigere, ut amoveantur.

Can. 637 - In scholis, in quibus institutio catholica deest vel ad iudicium Episcopi eparchialis non sufficit, supplenda est vera formatio catholica omnium alumnorum catholicorum.

Can. 638 - § 1. Episcopo eparchiali competit ius canonice visitandi omnes scholas catholicas in eius eparchia exsistentes exceptis scholis, quae exclusive patent propriis alumnis instituti vitae consecratae iuris pontificii vel patriarchalis, et salva omni in casu institutorum vitae consecratae autonomia circa proprias scholas moderandas.

§ 2. Ubi sunt plures Episcopi eparchiales, ius canonice visitandi competit illi, qui scholam fundavit vel approbavit, nisi aliter in statutis fundationis aut conventione speciali inter eosdem inita cavetur.

Can. 639 - Magistri, cum maxime sint auctores, ut schola catholica sua proposita et incepta ad rem deducere possit, debent esse doctrina praestantes atque vitae testimonio exemplares et sociam imprimis cum parentibus, sed et cum aliis scholis praestent operam.

Art. II

DE CATHOLICIS STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Can. 640 - § 1. Catholica studiorum universitas hunc finem prosequitur, ut publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in totius culturae altioris promovendae studio; ideo constituit investigationis, reflexionis et instructionis superioris ordinis institutionem, in qua Evangelii luce multifaria cognitio humana illustretur.

§ 2. Alia instituta studiorum superiorum vel facultates catholicae autonomae, quae eundem finem prosequuntur, catholicae studiorum universitati aequiparantur, non autem ecclesiasticae studiorum universitates et facultates, de quibus in cann. 646 - 650.

Can. 641 - In catholicis studiorum universitatibus singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate ita excolantur, ut profundior in dies earum disciplinarum intellegentia obtineatur et, novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur, quomodo fides et ratio in unum verum conspirent, atque formentur homines doctrina vere praestantes ad graviora officia in societate obeunda parati atque fidei in mundo testes.

Can. 642 - § 1. Catholica studiorum universitas est institutum studiorum superiorum, quod ut talis erectum aut approbatum est sive a superiore auctoritate administrativa Ecclesiae sui iuris praevie consulta Sede Apostolica sive ab ipsa Sede Apostolica ; de quo constare debet publico documento.

§ 2. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis haec superior auctoritas est Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis.

Can. 643 - In catholicis studiorum universitatibus, in quibus nulla facultas theologiae exstat, saltem cursus theologici studentibus variarum facultatum accommodati tradantur.

Can. 644 - Qui disciplinas ad fidem et mores spectantes docent in catholicis studiorum universitatibus, muniti esse debent mandato auctoritatis ecclesiasticae designatae ab eis, de quibus in can. 642; eadem auctoritas hoc mandatum gravi de causa auferre potest praesertim si deficiunt idoneitas scientifica vel paedagogica, probitas vel doctrinae integritas.

Can. 645 - Hierarcharum est collatis consiliis providere, ut etiam apud alias universitates convictus et centra universitaria catholica

habeantur, in quibus christifideles accurate selecti et praeparati iuventuti universitariae spirituale et intellectuale adiutorium permanens praebeant.

Art. III

DE ECCLESIASTICIS STUDIORUM UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS

Can. 646 - Assidue provehendae sunt imprimis ab Hierarchis ecclesiasticae studiorum universitates et facultates, eae nempe, quae de divina Revelatione et de scientiis cum ea conexis praesertim agunt ac propterea cum evangelizandi munere Ecclesiae artius coniunguntur.

Can. 647 - Ecclesiasticae studiorum universitatis vel facultatis finis est :

1° divinam Revelationem et ea, quae cum eadem coniuncta sunt, profundius et scientifice investigare, divinae Revelationis veritates systematice enucleare ac ordinare, novas progredientis aetatis quaestiones in eius luce considerare et coaevis hominibus ratione propriae culturae accommodata exhibere;

2° studentes in variis disciplinis secundum doctrinam catholicam altius instituere eosque ad diversa opera apostolatus, ministerii vel magisterii in eisdem disciplinis congrue praeparare atque formationem continuam promovere.

Can. 648 - Ecclesiasticae studiorum universitates et facultates sunt, quae ab auctoritate competenti ecclesiastica canonice erectae vel approbatae scientias sacras et scientias cum eisdem conexas excolunt et tradunt et auctae sunt iure conferendi gradus academicos, qui effectus canonicos habent.

Can. 649 - Erectio vel approbatio ecclesiasticarum studiorum universitatum vel facultatum fit a Sede Apostolica aut a superiore auctoritate administrativa, de qua in can. 642, una cum Sede Apostolica.

Can. 650 - Circa statuta ecclesiasticae studiorum universitatis vel facultatis, praesertim quod attinet ad regimen, administrationem, docentium nominationem vel cessationem ab ofiicio, rationem studiorum et graduum academicorum collationem, servandae sunt normae a Sede Apostolica latae.

CAPUT IV

DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS ET IN SPECIE DE LIBRIS

Can. 651 - § 1. Ad Evangelium ubique terrarum annuntiandi munus obeundum Ecclesia aptis mediis uti tenetur et ideo ius instrumenta communicationis socialis adhibendi et in specie scripta libere typis edendi ei ubique vindicetur oportet.

§ 2. Omnes christifideles pro sua parte in tanta missione Ecclesiae collaborent inceptaque huius apostolatus sustineant ac foveant; insuper ii praesertim, qui in communicationibus efficiendis et transmittendis periti sunt, actioni pastorali Episcoporum adiutricem operam sollicite praestent atque omni studio satagant, ut eorundem instrumentorum usus spiritu Christi imbuatur.

Can. 652 - § 1. Episcopi eparchiales curent, ut auxilio praesertim institutorum de instrumentis communicationis socialis christifideles edoceantur de critico et proficuo usu eorundem instrumentorum ; inter varia haec instituta cooperationem foveant; peritorum formationi provideant ; denique, quod magis quam mala castigando et condemnando effici potest, incepta bona promoveant laudando et benedicendo imprimis bonos libros.

§ 2. Ad integritatem fidei et morum tuendam Episcopo eparchiali, Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, Consilio ' Hierarcharum atque Sedi Apostolicae competit prohibere, ne christifideles instrumentis communicationis socialis, quatenus eidem integritati detrimento sunt, utantur vel ea cum aliis communicent.

Can. 653 - Iuris particularis est normas pressius statuere de usu radiophonico, cinematographico, televisifico et eiusmodi in tractandis eis, quae ad doctrinam catholicam aut mores referunt.

Can. 654 - Normae iuris communis de libris valent etiam de quibuslibet aliis scriptis aut sermonibus per inventa technica quomodolibet reproductis et divulgationi publicae destinatis.

Can. 655 - § 1. Christifidelibus aditus ad sacram Scripturam late pateat oportet ; proinde aptae et rectae versiones sufficientibus explicationibus instructae, ubi desunt, conficiantur cura Episcoporum eparchialium, immo, quatenus id convenienter et utiliter fieri potest, communi cum aliis christianis opera.

§ 2. Omnibus christifidelibus, praesertim pastoribus animarum curae sit diffundere exemplaria Sacrae Scripturae aptis instructa adnotationibus ad usum etiam non-christianorum accommodatis.

§ 3. Ad usum liturgicum vel catecheticum eae tantum editiones Sacrae Scripturae adhibeantur, quae approbatione ecclesiastica praeditae sunt ; ceterae editiones saltem licentia ecclesiastica munitae esse debent.

Can. 656 - § 1. In celebrationibus liturgicis adhibeantur tantum libri approbatione ecclesiastica praediti.

§ 2. Libri precum vel devotionum ad usum publicum vel privatum christifidelium destinati indigent licentia ecclesiastica.

Can. 657 - § 1. Textuum liturgicorum approbatio praevia Sedis Apostolicae recognitione reservatur in Ecclesiis patriarchalibus Patriarchae de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis ; in Ecclesiis metropolitanis sui iuris Metropolitae de consensu Consilii Hierarcharum ; in ceteris Ecclesiis hoc ius est solius Sedis Apostolicae atque intra limites ab eadem statutos Episcoporum eorumque coetuum legitime constitutorum.

§ 2. Eisdem auctoritatibus quoque competit ius approbandi versiones eorundem librorum ad usum liturgicum destinatas facta relatione, si de Ecclesiis patriarchalibus vel metropolitanis sui iuris agitur, ad Sedem Apostolicam.

§ 3. Ad iterum edendos libros liturgicos vel eorum in aliam linguam versiones ad usum liturgicum destinatas vel eorum partes requiritur et sufficit, ut constet de concordantia cum editione approbata ex attestatione Hierarchae loci, de quo in can. 662, § 1.

$ 4. In mutationibus textuum liturgicorum attendatur can. 40, § 1.

Can. 658 - § 1. Catechismi necnon alia scripta ad institutionem catecheticam in scholis cuiusque generis et gradus destinata eorumve versiones approbatione ecclesiastica egent.

§ 2. Eadem norma applicanda est ad alios quoque libros de fide aut moribus tractantes, si adhibentur ut textus, quo institutio catechetica nitatur.

Can. 659 - Commendatur, ut scripta quaelibet, quae fidem catholicam aut mores illustrant, saltem licentia ecclesiastica munita sint, salvis praescriptis institutorum vitae consecratae, quae plus exigunt.

Can. 660 - In diariis, foliis aut libellis periodicis, qui religionem catholicam aut bonos mores manifesto impetere solent, ne quid scribant christifideles nisi iusta et rationabili de causa ; clerici autem et sodales institutorum religiosorum insuper nonnisi de licentia eorum, de quibus in can. 662.

Can. 661 - § 1. Licentia ecclesiastica cum solo verbo imprimatur expressa significat opus ab erroribus circa fidem catholicam et mores esse immune.

§ 2. Approbatio vero ab auctoritate competenti concessa ostendit textum ab Ecclesia acceptum aut opus doctrinae authenticae Ecclesiae consonum esse.

§ 3. Si opus insuper ab Episcopo eparchiali vel ab auctoritate superiore laudatum vel benedictum est, hoc significat illud doctrinam authenticam Ecclesiae bene exprimere ideoque commendandum esse.

Can. 662 - § 1. Approbatio vel licentia ecclesiastica ad libros edendos, nisi aliud iure expresse statuitur, concedi potest sive ab Hierarcha loci proprio auctoris sive ab Hierarcha loci, ubi publici iuris fiunt, sive denique ab auctoritate superiore, quae in personas vel locos potestatem regiminis exsecutivam exercet.

§ 2. Sodales institutorum religiosorum, ut scripta quaestiones de fide catholica aut moribus tractantia edere possint, licentia quoque egent sui Superioris maioris ad normam typici vel statutorum.

Can. 663 - § 1. Licentia aliquod opus edendi aut alicuius operis approbatio, laudatio vel benedictio valet pro textu originali, non autem pro novis editionibus vel versionibus.

§ 2. Si agitur de editionibus Sacrae Scripturae vel aliis libris, qui approbatione ecclesiastica ad normam iuris indigent, approbatio ab uno Hierarcha loci legitime concessa non sufficit, ut iidem in alia eparchia adhiberi possint, sed requiritur explicitus consensus Hierarchae loci eiusdem eparchiae.

Can. 664 - § 1. Iudicium de libris committi potest ab Hierarcha loci censoribus ex elencho a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilio Hierarcharum confecto aut pro eius prudentia aliis personis, quibus confidit ; denique constitui potest commissio specialis censorum, quam Hierarcha loci, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilium Hierarcharum consulere possunt.

§ 2. Censores eligantur scientia, recta doctrina et prudentia praestantes et in suo obeundo officio omni personarum acceptione seposita iudicium ferant secundum doctrinam catholicam, sicut a magisterio authentico Ecclesiae proponitur.

§ 3. Censores opinionem scripto dare debent; quae si favet, Hierarcha pro suo prudenti iudicio licentiam aut approbationem concedat expresso suo nomine; secus rationes denegationis cum operis auctore communicet.

Can. 665 - § 1. Caveant parochi et rectores ecclesiarum, ne in suis ecclesiis icones vel imagines ab arte sacra germana alienae aut libri religioni christianae vel moribus minus consonantes exponantur, vendantur aut distribuantur.

§ 2. Item parochorum et rectorum ecclesiarum necnon moderatorum scholarum catholicarum est curare, ut spectacula cuiusvis speciei sub eorum patrocinio volvenda sensu discretionis christianae seligantur.

§ 3. Caveant christifideles omnes, ne ea, de quibus in § 1, emendo, vendendo, legendo vel cum aliis communicando sibi aliisve damnum spirituale inferant.

Can. 666 - § 1. Opus intellectuale auctoris sub tutela iuris est sive, quatenus manifestat personalitatem illius, sive, quatenus fons est iurium patrimonialium.

§ 2. Sub tutela iuris sunt textus legum et actorum officialium cuiuscumque auctoritatis ecclesiasticae atque eorum collectiones authenticae ; ideoque ea iterum edere non licet nisi impetrata eiusdem vel auctoritatis superioris licentia et servatis condicionibus ab eadem praescriptis.

§ 3. Iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris normae magis determinatae de hac re ferantur servatis praescriptis iuris civilis circa iura auctoris.

TITULUS XVI

DE CULTU DIVINO ET PRAESERTIM DE SACRAMENTIS

Can. 667 - Per sacramenta, quae Ecclesia dispensare tenetur, ut sub signo visibili mysteria Christi communicet, Dominus noster Iesus Christus homines in virtute Spiritus Sancti sanctificat, ut singulari modo Dei Patris veri adoratores fiant, eosque sibi ipsi et Ecclesiae, suo Corpori, inserit; quare christifideles omnes, praesertim vero ministri sacri, eisdem sacramentis religiose celebrandis et suscipiendis praescripta Ecclesiae diligenter servent.

Can. 668 - § 1. Cultus divinus, si defertur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ab auctoritate ecclesiastica approbatos, dicitur publicus ; secus privatus.

§ 2. Ad cultus divini publici ordinationem auctoritas competens ea est, de qua in can. 657, firmo can. 199, § 1; nemo alius quidquam ab hac auctoritate statutis addat, ab eis demat aut eadem mutet.

Can. 669 - Cum sacramenta eadem sint pro universa Ecclesia et ad divinum depositum pertineant, solius supremae Ecclesiae auctoritatis est approbare vel definire, quae ad eorum validitatem sunt requisita.

Can. 670 - § 1. Christifideles catholici iusta de causa adesse possunt cultui divino aliorum christianorum et in eo partem habere servatis eis, quae habita ratione gradus communionis cum Ecclesia catholica ab Episcopo eparchiali aut ab auctoritate superiore statuta sunt.

§ 2. Si christianis acatholicis desunt loca, in quibus cultum divinum digne celebrent, Episcopus eparchialis usum aedificii catholici vel coemeterii vel ecclesiae concedere potest ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 671 - § 1. Ministri catholici sacramenta licite solis christifidelibus catholicis ministrant, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite suscipiunt.

§ 2. Si vero necessitas id postulat aut vera spiritualis utilitas id suadet et dummodo periculum vitetur erroris vel indifferentismi, licet christifidelibus catholicis, quibus physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum catholicum, sacramenta paenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum suscipere a ministris acatholicis, in quorum Ecclesiis valida exsistunt praedicta sacramenta.

§ 3. Item ministri catholici licite sacramenta paenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum ministrant christifidelibus Ecclesiarum orientalium, quae plenam communionem cum Ecclesia catholica non habent, si sua sponte id petunt et rite sunt dispositi ; quod etiam valet circa christifideles aliarum Ecclesiarum, quae iudicio Sedis Apostolicae, ad sacramenta quod attinet, in pari condicione ac praedictae Ecclesiae orientales versantur.

§ 4. Si vero adest periculum mortis aut de iudicio Episcopi eparchialis aut Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilii Hierarcharum alia urget gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta ministrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad ministrum propriae Communitatis ecclesialis accedere non possunt atque sua sponte id petunt, dummodo circa eadem sacramenta fidem manifestent fidei Ecclesiae catholicae consentaneam et rite sint dispositi.

§ 5. Pro casibus, de quibus in §§ 2, 3 et 4, normae iuris particularis ne ferantur nisi post consultationem cum auctoritate competenti saltem locali Ecclesiae vel Communitatis ecclesialis acatholicae, cuius interest.

Can. 672 - § 1. Sacramenta baptismi, chrismationis sancti myri et sacrae ordinationis iterari non possunt.

§ 2. Si vero prudens dubium exsistit, num re vera aut num valide celebrata sint, dubio quidem post seriam investigationem permanente sub condicione ministrentur.

Can. 673 - Celebratio sacramentorum, imprimis Divinae Liturgiae, utpote actio Ecclesiae, quatenus fieri potest, cum actuosa participatione christifidelium fiat.

Can. 674 - § 1. In sacramentis celebrandis accurate serventur ea, quae in libris liturgicis continentur.

§ 2. Minister sacramenta celebret secundum praescripta liturgica propriae Ecclesiae sui iuris, nisi aliud iure statuitur vel ipse specialem facultatem a Sede Apostolica obtinuit.

CAPUT I

DE BAPTISMO

Can. 675 - § 1. In baptismo homo per lavacrum aquae naturalis cum invocatione nominis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti a peccato liberatur, ad vitam novam regeneratur, Christum induit et Ecclesiae, quae eius Corpus est, incorporatur.

§ 2. Tantummodo baptismo in re suscepto homo fit capax ceterorum sacramentorum.

Can. 676 - In casu necessitatis urgentis ministrari licet baptismum ea tantum ponendo, quae sunt ad validitatem necessaria.

Can. 677 - § 1. Baptismus ministratur ordinarie a sacerdote; sed eius ministratio competit salvo iure particulari parocho proprio baptizandi aliive sacerdoti de eiusdem parochi vel Hierarchae loci licentia, quae gravi de causa legitime praesumitur.

§ 2. In casu autem necessitatis baptismum ministrare licet diacono aut eo absente vel impedito alii clerico, sodali instituti vitae consecratae vel cuilibet alii christifideli ; patri vero vel matri, si alius, qui baptizandi modum novit, praesto non est.

Can. 678 - § 1. In alieno territorio nemini licet sine debita licentia baptismum ministrare ; haec vero licentia a parocho diversae Ecclesiae sui iuris denegari non potest sacerdoti Ecclesiae sui iuris, cui baptizandus ascribendus est.

§ 2. In locis, ubi non pauci degunt christifideles parochum Ecclesiae sui iuris, cui ascripti sunt, non habentes, Episcopus eparchialis presbyterum eiusdem Ecclesiae designet, si fieri potest, qui baptismum ministret.

Can. 679 - Baptismi suscipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 680 - Foetus abortivus, si vivit et si id fieri potest, baptizetur.

Can. 681 - § 1. Ut infans licite baptizetur, oportet :

1° spes habeatur fundata eum in fide Ecclesiae catholicae educatum iri firma § 5;

2° parentes, saltem eorum unus, aut is, qui legitime eorundem locum tenet, consentiant.

§ 2. Infans expositus et inventus, nisi de eiusdem baptismo certe constat, baptizetur.

§ 3. Rationis usu ab infantia destituti baptizandi sunt ut infantes.

§ 4. **Infans sive parentum catholicorum sive etiam acatholicorum, qui in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingit, licite baptizatur.**

§ 5. Infans christianorum acatholicorum licite baptizatur, si parentes aut unus saltem eorum aut is, qui legitime eorundem locum tenet, id petunt et si eis physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum proprium.

Can. 682 - § 1. Ut infantia egressus baptizari possit, requiritur, ut voluntatem suam baptismum suscipiendi manifestet, sufficienter in ve-

ritatibus fidei sit instructus et in vita christiana probatus; admoneatur etiam, ut de peccatis suis doleat.

§ 2. Infantia egressus, qui in periculo mortis versatur, baptizari potest, si quam de praecipuis veritatibus fidei habet cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum suscipiendi manifestavit.

Can. 683 - Baptismus celebrari debet secundum praescripta liturgica Ecclesiae sui iuris, cui ad normam iuris baptizandus ascribendus est.

Can. 684 - § 1. Ex vetustissimo Ecclesiarum more baptizandus unum saltem habeat patrinum.

§ 2. Patrini ex suscepto munere est baptizando, qui infantia egressus est, in initiatione christiana astare vel baptizandum infantem praesentare atque operam dare, ut baptizatus vitam christianam baptismo congruam ducat et obligationes cum eo cohaerentes fideliter impleat.

Can. 685 - § 1. Ut quis patrini munere valide fungatur, requiritur, ut :

1° sit tribus sacramentis baptismi, chrismationis sancti myri et Eucharistiae initiatus ;

2° ad Ecclesiam catholicam pertineat firma § 3 ;

3° intentionem id munus gerendi habeat;

4° sit ab ipso baptizando aut eius parentibus vel tutoribus aut, si desunt, a ministro designatus ;

5° non sit pater aut mater aut coniux baptizandi ;

6° non sit poena excommunicationis, etiam minoris, suspensionis, depositionis vel privationis iuris patrini munus gerendi punitus.

§ 2. Ut quis patrini munere licite fungatur, insuper requiritur, ut aetatem iure particulari requisitam habeat atque vitam ducat fidei et muneri suscipiendo congruam.

§ 3. Iusta de causa licet admittere christifidelem alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae ad munus patrini, sed semper simul cum patrino catholico.

Can. 686 - § 1. Parentes obligatione tenentur, ut infans quam primum secundum legitimam consuetudinem baptizetur.

§ 2. Curet parochus, ut infantis baptizandi parentes itemque, qui munus patrini sunt suscepturi, de significatione huius sacramenti deque obligationibus cum eo cohaerentibus congrue edoceantur et ad celebrationem sacramenti apte praeparentur.

Can. 687 - § 1. Baptismus extra casum necessitatis in ecclesia paroeciali celebrandus est salvis legitimis consuetudinibus.

§ 2. In domibus autem privatis baptismus ministrari potest ad normam iuris particularis vel de Hierarchae loci licentia.

Can. 688 - Qui baptismum ministrat, curet, ut, nisi adest patrinus, habeatur saltem testis, a quo celebratio baptismi probari potest.

Can. 689 - § 1. Parochus loci, ubi baptismus celebratur, debet nomina baptizatorum mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis necnon, si assunt, testibus, de loco ac die baptismi, in librum baptizatorum sedulo et sine mora referre, simul indicatis loco nativitatis necnon Ecclesia sui iuris, cui baptizati ascribuntur.

§ 2. Si de filio agitur ex matre non nupta nato, nomen matris inserendum est, si publice de eius maternitate constat aut mater sua sponte scripto vel coram duobus testibus id petit ; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur aliquo documento publico aut ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus inscribatur nomen baptizati nulla indicatione de patris aut parentum nomine facta.

§ 3. **Si de filio adoptivo agitur, inscribantur nomina adoptantium necnon, saltem si ita fit in actu civili regionis, parentum naturalium ad normam §§ 1 et 2 attento iure particulari.**

Can. 690 - Si baptismus nec a parocho nec eo praesente ministratus est, minister de re certiorem facere debet parochum loci.

Can. 691 - Ad baptismum probandum, si nemini fit praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris aut declaratio ipsius baptizati argumentis indubiis fundata, praesertim si ipse infantia egressus baptismum suscepit.

CAPUT II
DE CHRISMATIONE SANCTI MYRI

Can. 692 - Oportet eos, qui baptizati sunt, sancto myro chrismari, ut sigillo doni Spiritus Sancti signati aptiores testes atque coaedificatores Regni Christi efficiantur.

Can. 693 - Sanctum myrum, quod ex oleo olivarum aut aliarum plantarum et ex aromatibus constat, a solo Episcopo conficitur salvo iure particulari, secundum quod haec potestas Patriarchae reservatur.

Can. 694 - Ex Ecclesiarum orientalium traditione chrismatio sancti myri sive coniunctim cum baptismo sive separatim ministratur a presbytero.

Can. 695 - § 1. Chrismatio sancti myri ministrari debet coniunctim cum baptismo, salvo casu verae necessitatis, in quo tamen curandum est, ut quam primum ministretur.

§ 2. Si celebratio chrismationis sancti myri non fit simul cum baptismo, minister tenetur de ea certiorem facere parochum loci, ubi baptismus ministratus est.

Can. 696 - § 1. Omnes presbyteri Ecclesiarum orientalium chrismationem sancti myri sive coniunctim cum baptismo sive separatim valide ministrare possunt omnibus christifidelibus cuiusque Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae.

§ 2. Christifideles Ecclesiarum orientalium chrismationem sancti myri valide suscipere possunt etiam a presbyteris Ecclesiae latinae secundum facultates, quibus praediti sunt.

§ 3. Quivis presbyter solis christifidelibus propriae Ecclesiae sui iuris chrismationem sancti myri licite ministrat; quod vero ad christifideles aliarum Ecclesiarum sui iuris attinet, hoc licite fit, si agitur de propriis subditis, de eis, quos ex alio titulo legitime baptizat, vel de eis, qui in periculo mortis versantur, et salvis semper conventionibus hac in re inter Ecclesias sui iuris initis.

Can. 697 - Initiatio sacramentalis in mysterium salutis susceptione Divinae Eucharistiae perficitur, ideoque Divina Eucharistia post baptismum et chrismationem sancti myri christifideli ministretur quam primum secundum normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

CAPUT III

DE DIVINA EUCHARISTIA

Can. 698 - In Divina Liturgia per ministerium sacerdotis in persona Christi super oblationem Ecclesiae agentis perpetuatur virtute Spiritus Sancti, quod ipse fecit in novissima Cena Dominus Jesus, qui discipulis dedit Corpus Suum in Cruce pro nobis offerendum Sanguinemque Suum pro nobis effundendum, verum mysticumque instaurans sacrificium, quo cruentum illud Crucis sacrificium cum gratiarum actione commemoratur, actuatur et ab Ecclesia participatur tum oblatione tum communione ad significandam et perficiendam unitatem populi Dei in aedificationem Corporis Sui, quod est Ecclesia.

Can. 699 - § 1. Potestatem celebrandi Divinam Liturgiam habent soli Episcopi et presbyteri.

§ 2. Diaconi cum Episcopis et presbyteris proprio ministerio secundum praescripta librorum liturgicorum in celebratione Divinae Liturgiae artiorem partem habent.

§ 3. Ceteri christifideles virtute baptismi atque chrismationis sancti myri in celebrationem Divinae Liturgiae concurrentes modo in libris liturgicis vel iure particulari determinato in Sacrificio Christi actuose participant et quidem plenius, si ex eodem Sacrificio Corpus et Sanguinem Domini sumunt.

Can. 700 - § 1. Quod ad modum Divinam Liturgiam celebrandi spectat, utrum singillatim an in concelebratione facienda sit, prae oculis habeantur imprimis pastorales christifidelium necessitates.

§ 2. Si tamen fieri potest, Divinam Liturgiam presbyteri una cum Episcopo praeside aut cum alio presbytero celebrent, cum ita opportune unitas sacerdotii ac sacrificii manifestetur; integrum tamen manet ius uniuscuiusque sacerdotis Divinam Liturgiam singillatim celebrandi, non autem eodem tempore, quo in eadem ecclesia concelebratio habetur.

Can. 701 - Concelebratio inter Episcopos et presbyteros diversarum Ecclesiarum sui iuris iusta de causa praesertim caritatem fovendi atque unionem inter Ecclesias manifestandi gratia de Episcopi eparchialis licentia fieri potest omnibus praescripta librorum liturgicorum primi celebrantis sequentibus, remoto quolibet syncretismo liturgico et retentis optabiliter vestibus liturgicis et insignibus propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 702 - Sacerdotes catholici vetiti sunt una cum sacerdotibus vel ministris acatholicis Divinam Liturgiam concelebrare.

Can. 703 - § 1. Sacerdos extraneus ad celebrandam Divinam Liturgiam non admittatur, nisi rectori ecclesiae litteras commendatitias sui Hierarchae exhibet aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constat.

§ 2. Integrum est Episcopo eparchiali hac de re normas magis determinatas ferre ab omnibus sacerdotibus, etiam quomodocumque exemptis, servandas.

Can. 704 - Divina Liturgia omnibus diebus laudabiliter celebrari potest exceptis eis, qui secundum praescripta librorum liturgicorum Ecclesiae sui iuris, cui sacerdos ascriptus est, excluduntur.

Can. 705 - § 1. Sacerdos catholicus Divinam Liturgiam celebrare potest super altare cuiusvis Ecclesiae catholicae.

§ .2. Ut sacerdos Divinam Liturgiam in ecclesia acatholicorum celebrare possit, licentia eget Hierarchae loci.

Can. 706 - In Divina Liturgia sacra dona, quae offeruntur, sunt panis mere triticeus recenter confectus ita, ut nullum sit periculum corruptionis, et vinum naturale de genimine vitis non corruptum.

Can. 707 - § 1. Circa panis eucharistici confectionem, preces a sacerdotibus ante celebrationem Divinae Liturgiae persolvendas, ieiunium eucharisticum servandum, vestes liturgicas, tempus et locum celebrationis et huiusmodi iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris normae accurate statui debent.

§ 2. Remota christifidelium admiratione licet uti vestibus liturgicis et pane alterius Ecclesiae sui iuris, si vestes liturgicae et panis propriae Ecclesiae sui iuris praesto non sunt.

Can. 708 - Curent Hierarchae loci ac parochi, ut omni diligentia christifideles instruantur de obligatione Divinam Eucharistiam suscipiendi in periculo mortis necnon temporibus a laudabilissima traditione vel iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris statutis, praesertim vero tempore Paschali, in quo Christus Dominus eucharistica mysteria tradidit.

Can. 709 - § 1. Divinam Eucharistiam distribuit sacerdos vel iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris ita ferente etiam diaconus.

§ 2. Integrum est Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilio Hierarcharum opportunas normas statuere, secundum quas etiam alii christifideles Divinam Eucharistiam distribuere possunt.

Can. 710 - Circa infantium in Divina Eucharistia participationem post baptismum et chrismationem sancti myri serventur opportunis adhibitis cautelis praescripta librorum liturgicorum propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 711 - Qui peccati gravis sibi conscius est, Divinam Liturgiam ne celebret neque Divinam Eucharistiam suscipiat, nisi adest gravis ratio et deest opportunitas sacramentum paenitentiae suscipiendi ; quo in casu elicere debet actum perfectae contritionis, qui includit propositum quam primum ad hoc sacramentum accedendi.

Can. 712 - Arcendi sunt a susceptione Divinae Eucharistiae publice indigni.

Can. 713 - § 1. Divina Eucharistia distribuenda est in celebratione Divinae Liturgiae, nisi iusta causa aliud suadet.

§ 2. Circa praeparationem participationis Divinae Eucharistiae per ieiunium, preces aliaque opera christifideles fideliter normas Ecclesiae sui iuris, cui ascripti sunt, servent non solum intra fines territorii eiusdem Ecclesiae, sed, quatenus fieri potest, ubique terrarum.

Can. 714 - § 1. In ecclesiis, ubi cultus divinus publicus et saltem aliquoties in mense Divina Liturgia celebratur, Divina Eucharistia custodiatur praesertim pro infirmis, praescriptis librorum liturgicorum propriae Ecclesiae sui iuris fideliter servatis, atque summa reverentia a christifidelibus adoretur.

§ 2. Custodia Divinae Eucharistiae subest vigilantiae ac moderamini Hierarchae loci.

Can. 715 - § 1. Sacerdotibus licet oblationes recipere, quas christifideles secundum probatum Ecclesiae morem pro celebratione Divinae Liturgiae ad proprias intentiones ipsis offerunt.

§ 2. Licet etiam, si ita fert legitima consuetudo, oblationes recipere pro Liturgia Praesanctificatorum et pro commemorationibus in Divina Liturgia.

Can. 716 - Firmo can. 1013 enixe commendatur, ut Episcopi eparchiales, quatenus fieri potest, praxim introducant, secundum quam solum eae oblationes occasione Divinae Liturgiae recipiantur, quas christifideles sua sponte offerunt ; singuli vero sacerdotes libenter etiam sine ulla oblatione Divinam Liturgiam ad intentionem christifidelium praecipue egentium celebrent.

Can. 717 - Sacerdotes, si oblationes ad Divinam Liturgiam celebrandam a christifidelibus alterius Ecclesiae sui iuris accipiunt, gravi obligatione tenentur de his oblationibus servandi normas illius Ecclesiae, nisi aliud constat ex parte offerentis.

CAPUT IV

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

Can. 718 - In sacramento paenitentiae christifideles, qui, peccatis post baptismum commissis, ad Deum a Spiritu Sancto ducti corde convertuntur et dolore de peccatis moti propositum novae vitae ineunt, per ministerium sacerdotis, facta ipsi confessione et dignae satisfactionis acceptatione, veniam a Deo obtinent simulque cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt, reconciliantur; quo modo hoc sacramentum quam maxime ad vitam christianam fovendam confert et ad Divinam Eucharistiam suscipiendam disponit.

Can. 719 - Qui gravis peccati sibi conscius est, quam primum fieri potest, sacramentum paenitentiae suscipiat ; omnibus vero christifidelibus enixe commendatur, ut frequenter et praesertim temporibus ieiunii et paenitentiae in propria Ecclesia sui iuris servandis hoc sacramentum suscipiant.

Can. 720 - § 1. Individualis et integra confessio atque absolutio solum constituunt modum ordinarium, quo christifidelis peccati gravis sibi conscius cum Deo et Ecclesia reconciliatur ; sola impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excusat, quo in casu aliis quoque modis reconciliatio haberi potest.

§ 2. Absolutio pluribus simul paenitentibus sine praevia individuali confessione generali modo impertiri non potest, nisi :

1° imminet periculum mortis et tempus non suppetit sacerdoti vel sacerdotibus ad ministrandum sacramentum paenitentiae singulis paenitentibus ;

2° est gravis necessitas, videlicet si attento paenitentium numero sacerdotum copia praesto non est ad ministrandum singulis paenitentibus sacramentum paenitentiae intra congruum tempus ita, ut sine propria culpa gratia sacramentali aut susceptione Divinae Eucharistiae diu carere cogantur ; necessitas vero non censetur sufficiens, cum confessarii praesto esse non possunt ratione solius magni concursus paenitentium, qualis haberi potest in magna aliqua sollemnitate aut peregrinatione.

§ 3. Decernere, num detur talis gravis necessitas, competit Episcopo eparchiali, qui collatis consiliis cum Patriarchis et Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem suam exercentibus casus talis necessitatis etiam generalibus praescriptis determinare potest.

Can. 721 - § 1, Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui possit, requiritur non solum, ut sit rite dispositus, sed etiam ut simul, sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia, quae in praesens ita confiteri non potest.

§ 2. Christifideles, quatenus fieri potest, de his requisitis edoceantur et praeterea, etiam in casu periculi mortis, exhortentur, ut actum contritionis unusquisque eliciat.

Can. 722 - § 1. Sacramentum paenitentiae a solo sacerdote ministratur.

§ 2. Episcopi omnes ubique terrarum sacramentum paenitentiae ipso iure ministrare possunt, nisi, ad liceitatem quod spectat, Episcopus eparchialis in casu speciali expresse renuit.

§ 3. Presbyteri vero ut valide agant, debent praeterea esse praediti facultate sacramentum paenitentiae ministrandi, quae facultas confertur sive ipso iure sive speciali collatione ab auctoritate competenti facta.

§ 4. Presbyteri, qui facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praediti sunt vi officii vel vi collationis Hierarchae loci eparchiae, cui ascripti sunt aut in qua domicilium habent, sacramentum paenitentiae valide ministrare possunt ubique terrarum quibuslibet christifidelibus, nisi quis Hierarcha loci in casu speciali expresse renuit; eadem facultate licite utuntur servatis normis ab Episcopo eparchiali latis necnon de licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae vel, si de domo instituti vitae consecratae agitur, Superioris.

Can. 723 - § 1. Vi officii pro sua quisque dicione facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praeditus est praeter Hierarcham loci etiam parochus aliusque, qui loco parochi est.

§ 2. Vi officii facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praeditus est etiam omnis Superior instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum iuris pontificii vel patriarchalis, si sacerdos est, erga sodales proprii instituti necnon erga illos, qui diu noctuque in eius domo degunt.

Can. 724 - § 1. Soli Hierarchae loci competit facultatem sacramentum paenitentiae quibuslibet christifidelibus ministrandi speciali collatione conferre presbyteris quibuscumque.

§ 2. Superior instituti vitae consecratae, dummodo potestate regiminis exsecutiva praeditus sit, facultatem, de qua in can. 723, § 2, conferre potest ad normam typici vel statutorum cuilibet presbytero.

Can. 725 - Omnis sacerdos quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvere potest a quibusvis peccatis, etsi praesens est alius sacerdos facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praeditus.

Can. 726 - § 1. Facultas sacramentum paenitentiae ministrandi ne revocetur nisi gravi de causa.

§ 2. Eevocata facultate sacramentum paenitentiae ministrandi collata ab Hierarcha, de quo in can. 722, § 4, presbyter eandem amittit ubique terrarum; revocata autem ab alia auctoritate competenti eandem amittit in dicione revocantis tantum.

§ 3. Praeterquam revocatione facultas sacramentum paenitentiae ministrandi, de qua in can. 722, § 4, cessat amissione officii, ascriptionis eparchiae vel domicilii.

Can. 727 - In nonnullis casibus ad salutem animarum providendam opportunum esse potest facultatem a peccatis absolvendi limitare atque determinatae auctoritati reservare; hoc tamen fieri non potest nisi de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilii Hierarcharum vel Sedis Apostolicae.

Can. 728 - § 1. Sedi Apostolicae reservatur absolvere a sequentibus peccatis :

1° directae violationis sigilli sacramentalis ;

2° absolutionis complicis in peccato contra castitatem.

§ 2. Episcopo eparchiali vero reservatur absolvere a peccato procurationis abortus effectu secuto.

Can. 729 - Quaevis reservatio absolutionis a peccato omni vi caret :

1° si confessionem peragit aegrotus, qui domo egredi non potest, vel sponsus matrimonii celebrandi causa;

2° si de prudenti iudicio confessarii absolvendi facultas ab auctoritate competenti peti non potest sine gravi paenitentis incommodo vel sine periculo violationis sigilli sacramentalis ;

3° extra fines territorii, in quo auctoritas reservans potestatem exercet.

Can. 730 - Absolutio complicis in peccato contra castitatem invalida est praeterquam in periculo mortis.

Can. 731 - Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiavisse de delicto sollicitationis ad peccatum contra castitatem, ne absolvatur, nisi antea falsam denuntiationem formaliter retractavit et paratus est damna, si quae habentur, reparare.

Can. 732 - § 1. Pro qualitate, gravitate et numero peccatorum, habita ratione paenitentis condicionis necnon eiusdem ad conversionem dispositionis, confessarius convenientem morbo afferat medicinam opportuna opera paenitentiae imponens.

§ 2. Meminerit sacerdos se divinae iustitiae et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ; tamquam pater spiritualis etiam opportuna consilia praebeat, ut quis progredi possit in sua vocatione ad sanctitatem.

Can. 733 - § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est ; quare caveat diligenter confessarius, ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus paenitentem.

§ 2. Obligatione secretum servandi tenentur quoque interpres, si datur, necnon omnes alii, ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenit.

Can. 734 - § 1. Omnino confessario prohibetur scientiae ex confessione acquisitae usus cum paenitentis gravamine, etiam quovis revelationis periculo excluso.

§ 2. Qui in auctoritate est constitutus, notitia, quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habet, ad externum regimen nullo modo uti debet.

§ 3. Moderatores instituti educationis sacramentum paenitentiae suis alumnis ordinarie ne ministrent.

Can. 735 - § 1. Omnis, cui cura animarum vi muneris est demandata, gravi tenetur obligatione providendi, ut sacramentum paenitentiae ministretur christifidelibus sibi commissis, qui opportune id petunt, eisdemque occasio praebeatur accedendi ad confessionem individualem diebus ac horis in eorum commodum statutis.

§ 2. Urgente necessitate omnis sacerdos, qui facultate sacramentum paenitentiae ministrandi praeditus est, in periculo mortis vero etiam quilibet alius sacerdos, hoc sacramentum ministrare debet.

Can. 736 - § 1. Locus proprius sacramentum paenitentiae celebrandi est ecclesia salvo iure particulari.

§ 2. Ob infirmitatem vel alia iusta de causa hoc sacramentum celebrari potest etiam extra locum proprium.

CAPUT V

DE UNCTIONE INFIRMORUM

Can. 737 - § 1. Sacramentali unctione infirmorum a sacerdote cum oratione peracta christifideles morbo gravi affecti cordeque contriti gratiam percipiunt, qua spe aeterni praemii roborati et a peccatis soluti ad emendationem vitae disponuntur et ad infirmitatem superandam patienterve sufferendam adiuvantur.

§ 2. In Ecclesiis, in quibus mos est, ut sacramentum unctionis infirmorum a pluribus sacerdotibus simul ministretur, curandum est, ut, quatenus fieri potest, hic mos servetur.

Can. 738 - Christifideles unctionem infirmorum libenter suscipiant, quandocumque graviter aegrotant; curent autem pastores animarum et infirmorum propinqui, ut tempore opportuno hoc sacramento infirmi subleventur.

Can. 739 - § 1. Unctionem infirmorum valide ministrant omnes et soli sacerdotes.

§ 2. Unctionem infirmorum ministrare pertinet ad parochum, vicarium paroecialem atque omnes alios sacerdotes circa illos, quorum cura eis ex ofiicio commissa est ; de licentia saltem praesumpta praedictorum quilibet sacerdos hoc sacramentum licite ministrare potest, in casu necessitatis vero etiam debet.

Can. 740 - Christifideles graviter aegrotantes, qui sensus vel usum rationis amiserunt, praesumuntur velle sibi hoc sacramentum ministrari in periculo mortis vel etiam ad iudicium sacerdotis alio tempore.

Can. 741 - Oleum in sacramento unctionis infirmorum adhibendum debet esse benedictum et quidem, nisi aliud fert ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris, ab ipso sacerdote, qui sacramentum ministrat.

Can. 742 - Unctiones verbis, ordine et modo praescriptis in libris liturgicis accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit una unctio cum propria formula.

CAPUT VI

DE SACRA ORDINATIONE

Can. 743 - Per sacramentalem ordinationem ab Episcopo peractam Spiritus Sancti operante virtute ministri sacri constituuntur, qui munere et potestate a Christo Domino Apostolis suis concreditis adaugentur et in variis gradibus fruuntur Evangelium annuntiandi, populum Dei pascendi et sanctificandi.

Art. I

DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Can. 744 - Solus Episcopus sacram ordinationem valide ministrat manuum impositione et oratione ab Ecclesia praescripta.

Can. 745 - Ordinatio episcopalis reservatur ad normam iuris Romano Pontifici, Patriarchae vel Metropolitae ita, ut nulli Episcopo liceat quemquam ordinare Episcopum, nisi antea constat de legitimo mandato.

Can. 746 - § 1. Episcopus ordinetur ab Episcopis tribus excepto casu extremae necessitatis.

§ 2. Episcopus secundus et tertius, si adesse non possunt Episcopi eiusdem Ecclesiae sui iuris ac primus Episcopus ordinans, possunt esse alterius Ecclesiae sui iuris.

Can. 747 - Candidatus ad diaconatum vel presbyteratum a proprio Episcopo eparchiali ordinetur aut ab alio Episcopo cum legitimis litteris dimissoriis.

Can. 748 - § 1. Episcopus eparchialis proprius, quod attinet ad sacram ordinationem eius, qui alicui eparchiae ascribatur, est Episcopus eparchiae, in qua candidatus habet domicilium, aut eparchiae, pro cuius servitio candidatus se devovere velle scripto declaravit; quod attinet ad sacram ordinationem eius, qui alicui eparchiae iam est ascriptus, est Episcopus illius eparchiae.

§ 2. Candidatum sibi subditum alii Ecclesiae sui iuris ascriptum Episcopus eparchialis ordinare non potest nisi de licentia Sedis Apostolicae; si vero de candidato agitur, qui Ecclesiae patriarchali ascriptus est et intra fines territorii eiusdem Ecclesiae domicilium vel quasi-domicilium habet, hanc licentiam etiam Patriarcha concedere potest.

Can. 749 - In aliena eparchia Episcopus prohibetur sacram ordinationem celebrare sine licentia Episcopi eparchialis, nisi ius particulare Ecclesiae patriarchalis, ad Patriarcham quod attinet, aliud statuit.

Can. 750 - § 1. Litteras dimissorias firmis cann. 472, 537 et 560, § 1 dare possunt:

1° Episcopus eparchialis proprius;

2° Administrator Ecclesiae patriarchalis atque de consensu collegii consultorum eparchialium Administrator eparchiae.

§ 2. Administrator Ecclesiae patriarchalis litteras dimissorias ne concedat eis, qui a Patriarcha reiecti sunt, nec Administrator eparchiae eis, qui ab Episcopo eparchiali reiecti sunt.

Can. 751 - Litterae dimissoriae ne concedantur nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur.

Can. 752 - Litterae dimissoriae mitti possunt ab Episcopo eparchiali proprio ad quemlibet eiusdem Ecclesiae sui iuris Episcopum, non autem ad Episcopum alterius Ecclesiae ac ordinandus, nisi de licentia eorum, de quibus in can. 748, § 2.

Can. 753 - Litterae dimissoriae ab ipso concedente aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari possunt, sed semel concessae non exstinguuntur resoluto iure concedentis.

Art. II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 754 - Sacram ordinationem valide suscipere potest solus vir baptizatus.

Can. 755 - Episcopus eparchialis et Superior maior nonnisi gravissima de causa, etsi occulta, diacono sibi subdito ad presbyteratum destinato ascensum ad ipsum presbyteratum prohibere possunt salvo iure recursus ad normam iuris.

Can. 756 - Non licet aliquem quovis modo qualibet de causa ad ordines sacros suscipiendos cogere vel ad normam iuris idoneum ab eisdem suscipiendis avertere.

Can. 757 - Is, qui superiorem ordinem sacrum suscipere recusat, non potest prohiberi a suscepti ordinis sacri exercitio, nisi impedimento canonico detinetur aliave gravis de iudicio Episcopi eparchialis vel Superioris maioris obest causa.

I° De requisitis in candidatis ad sacram ordinationem

Can. 758 - § 1. Ut quis licite ordinari possit, requiruntur :

1° chrismationis sancti myri susceptio ;

2° mores atque qualitates physicae et psychicae ordini sacro suscipiendo congruentes ;

3° aetas iure praescripta;

4° debita scientia;

5° ordinum inferiorum susceptio ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris ;

6° interstitiorum iure particulari praescriptorum observatio.

§ 2. Requiritur praeterea, ne candidatus impeditus sit ad normam can. 762.

§ 3. Circa coniugatos ad ordines sacros admittendos servetur ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris vel normae speciales a Sede Apostolica statutae.

Can. 759 - § 1. Aetas praescripta ad diaconatum est vicesimus tertius annus expletus, ad presbyteratum vicesimus quartus expletus firmo iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris provectiorem aetatem exigente.

§ 2. Dispensatio ultra annum ab aetate iure communi praescripta reservatur Patriarchae, si de candidato agitur, qui domicilium vel

quasi-domicilium intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis habet; secus Sedi Apostolicae.

Can. 760 - § 1. Diaconum ordinare licet tantum post feliciter expletum quartum curriculi studiorum philosophico-theologicorum annum, nisi Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Consilium Hierarcharum aliud statuit.

§ 2. Si vero de candidato ad sacerdotium non destinato agitur, eum diaconum ordinare licet tantum post feliciter expletum tertium annum studiorum, de quibus in can. 354; si vero forte in posterum ad sacerdotium admittitur, antea studia theologica opportune complere debet.

Can. 761 - Candidatus ad ordinem diaconatus vel presbyteratus, ut licite ordinetur, Episcopo eparchiali proprio aut Superiori maiori declarationem tradere debet manu propria subscriptam, qua testificatur se sua sponte ac libere ordinem sacrum et obligationes eidem ordini adnexas suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, simul petens, ut ad ordinem sacrum suscipiendum admittatur.

2° De impedimentis suscipiendi vel exercendi ordines sacros

Can. 762 - § 1. A suscipiendis ordinibus sacris est impeditus :

1° qui aliqua forma laborat amentiae aliusve infirmitatis psychicae, qua consultis peritis inhabilis iudicatur ad ministerium rite implendum ;

2° qui delictum apostasiae, haereseos aut schismatis commisit;

3° qui matrimonium, etiam civile tantum, attentavit, sive ipse vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico perpetuo castitatis a matrimonio celebrando impeditus, sive cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto ligata;

4° qui voluntarium homicidium perpetravit aut abortum procurava effectu secuto omnesque positive cooperantes;

5° qui se ipsum vel alium graviter et dolose mutuavit vel sibi vitam adimere tentavit ;

6° qui actum ordinis posuit in ordine episcopatus vel presbyteratus constitutis reservatum vel eodem carens vel ab eiusdem exercitio aliqua poena canonica prohibitus ;

7° qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam, cuius rationem reddere debet, donec deposito officio et administratione atque rationibus redditis liber factus erit;

8° neophytus, nisi iudicio Hierarchae sufficienter probatus est.

§ 2. Actus, ex quibus impedimenta, de quibus in § 1, nn. 2 - 6 oriri possunt, illa non pariunt, nisi fuerunt peccata gravia et externa post baptismum perpetrata.

Can. 763 - Ab exercendis ordinibus sacris est impeditus :

I° qui impedimento ordines sacros suscipiendi, dum afficiebatur, illegitime ordines sacros suscepit;

2° qui delicta vel actus commisit, de quibus in can. 762, § 1, nn. 2-6;

3° qui amentia aliave infirmitate psychica, de qua in can. 762, § 1, n. 1, afficitur, donec Hierarcha consulto perito eiusdem ordinis sacri exercitium permiserit.

Can. 764 - Impedimenta suscipiendi vel exercendi ordines sacros iure particulari statui non possunt; consuetudo vero novum impedimentum inducens aut impedimento iure communi statuto contraria reprobatur.

Can. 765 - Ignorantia impedimentorum ab eisdem non eximit.

Can. 766 - Impedimenta multiplicantur ex diversis suis causis, non autem ex repetita eadem causa, nisi agitur de impedimento ex homicidio voluntario aut ex procurato abortu effectu secuto.

Can. 767 - § 1. Episcopus eparchialis vel Hierarcha instituti vitae consecratae potest sibi subditos dispensare ab impedimentis suscipiendi vel exercendi ordines sacros sequentibus exceptis :

I° si factum, quo impedimentum innititur, ad forum iudiciale deductum est;

2° ab impedimentis, de quibus in can. 762, § 1, nn. 2 - 4.

§ 2. Dispensatio ab his impedimentis reservatur Patriarchae circa candidatos vel clericos, qui domicilium vel quasi-domicilium intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, habent ; secus Sedi Apostolicae.

§ 3. Eadem potestas dispensandi competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus auctoritas competens adiri non potest et periculum imminet gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat, ut paenitentes ordines sacros iam susceptos exercere licite possint firmo onere adeundi quam primum eandem auctoritatem.

Can. 768 - § 1. In precibus ad obtinendam dispensationem omnia impedimenta indicanda sunt; dispensatio generalis vero valet etiam pro impedimentis bona fide reticitis eis exceptis, de quibus in can. 762, § 1, n. 4, aliisve ad forum iudiciale deductis, non autem pro reticitis mala fide.

§ 2. Si agitur de impedimento ex voluntario homicidio aut ex procurato abortu, etiam numerus delictorum ad validitatem dispensationis exprimendus est.

§ 3. Dispensatio generalis ab impedimentis suscipiendi ordines sacros valet pro omnibus ordinibus.

Art. III

DE EIS, QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEMITTI DEBENT

Can. 769 - § 1. Auctoritas, quae candidatum ad sacram ordinationem admittit, obtineat :

1° declarationem, de qua in can. 761, necnon testimonium ultimae sacrae ordinationis aut, si de prima sacra ordinatione agitur, etiam testimonium baptismi et chrismationis sancti myri ;

2° si candidatus est matrimonio iunctus, testimonium matrimonii et consensum uxoris scripto datum ;

3° testimonium de peractis studiis ;

4° testimoniales litteras rectoris seminarii vel Superioris instituti vitae consecratae aut presbyteri, cui candidatus extra seminarium commendatus est, de bonis moribus eiusdem candidati ;

5° testimoniales litteras, de quibus in can. 771, § 3 ;

6° testimoniales litteras, si id expedire iudicat, aliorum Episcoporum eparchialium vel Superiorum institutorum vitae consecratae, ubi candidatus per aliquod tempus commoratus est, de candidati qualitatibus deque eius libertate ab omni impedimento canonico.

§ 2. Haec documenta asserventur in archivo eiusdem auctoritatis.

Can. 770 - Episcopus ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum ad ordinem sacrum suscipiendum idoneum esse, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur ; si vero pro sua conscientia censet candidatum non esse idoneum, eum ne ordinet.

Can. 771 - § 1. Nomina candidatorum ad ordines sacros promovendorum publice nota fiant in ecclesia paroeciali uniuscuiusque candidati ad normam iuris particularis.

§ 2. Omnes christifideles obligatione tenentur impedimenta, si qua noverunt, Episcopo eparchiali vel parocho ante sacram ordinationem revelandi.

§ 3. Parocho, qui publicationem peragit, et etiam alii presbytero, si id expedire videtur, Episcopus eparchialis committat, ut de candidatorum vita et moribus a personis fide dignis diligenter exquirat et testimoniales litteras illam investigationem et publicationem referentes ad curiam eparchialem mittat.

§ 4. Episcopus eparchialis alias investigationes, etiam privatas, si opportunum ducit, facere ne omittat.

Can. 772 - Omnis candidatus ad sacram ordinationem promovendus recessui spirituali vacet modo iure particulari determinato.

Art. IV

DE SACRAE ORDINATIONIS TEMPORE, LOCO, ADNOTATIONE ET TESTIMONIO

Can. 773 - Sacrae ordinationes cum christifidelium quam maxima frequentia celebrentur in ecclesia die dominico vel festo, nisi iusta causa aliud suadet.

Can. 774 - § 1. Celebrata sacra ordinatione nomina singulorum ordinatorum ac Episcopi ordinantis, locus et dies sacrae ordinationis adnotentur in speciali libro in archivo curiae eparchialis asservando.

§ 2. Singulis ordinatis det Episcopus ordinans authenticum sacrae ordinationis susceptae testimonium ; qui, si ab Episcopo cum litteris dimissoriis ordinati sunt, illud proprio Episcopo eparchiali vel Superiori maiori exhibeant pro sacrae ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo asservando.

Can. 775 - Episcopus eparchialis aut Superior maior notitiam sacrae ordinationis uniuscuiusque diaconi mittat ad parochum apud quem ordinati baptismus adnotatus est.

CAPUT VII

DE MATRIMONIO

Can. 776 - § 1. Matrimoniale foedus a Creatore conditum eiusque legibus instructum, quo vir et mulier irrevocabili consensu personali totius vitae consortium inter se constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum ac ad filiorum generationem et educationem ordinatur.

§ 2. Ex Christi institutione matrimonium validum inter baptizatos eo ipso est sacramentum, quo coniuges ad imaginem indefectibilis unionis Christi cum Ecclesia a Deo uniuntur gratiaque sacramentali veluti consecrantur et roborantur.

§ 3. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio inter baptizatos specialem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Can. 777 - Ex matrimonio oriuntur inter coniuges aequa iura et obligationes circa ea, quae ad consortium vitae coniugalis pertinent.

Can. 778 - Omnes possunt matrimonium inire, qui iure non prohibentur.

Can. 779 - Matrimonium gaudet favore iuris ; quare in dubio standum est pro validitate matrimonii, donec contrarium probetur.

Can. 780 - § 1. Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars est catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico salva competentia auctoritatis civilis circa effectus mere civiles matrimonii.

§ 2. Matrimonium inter partem catholicam et partem baptizatam acatholicam salvo iure divino regitur etiam :

1° iure proprio Ecclesiae vel Communitatis ecclesialis, ad quam pars acatholica pertinet, si haec Communitas ius matrimoniale proprium habet;

2° iure, quo pars acatholica tenetur, si Communitas ecclesialis, ad quam pertinet, iure matrimoniali proprio caret.

Can. 781 - Si quando Ecclesia iudicare debet de validitate matrimonii acatholicorum baptizatorum :

1° quod attinet ad ius, quo partes tempore celebrationis matrimonii tenebantur, servetur can. 780, § 2;

2° quod attinet ad formam celebrationis matrimonii, Ecclesia agnoscit quamlibet formam iure praescriptam vel admissam, cui partes tempore celebrationis matrimonii subiectae erant, dummodo consensus expressus sit forma publica et, si una saltem pars est christifidelis alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae, matrimonium ritu sacro celebratum sit.

Can. 782 - § 1. Sponsalia, quae laudabiliter matrimonio praemittuntur ex antiquissima Ecclesiarum orientalium traditione, reguntur iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debetur.

Art. I

DB CURA PASTORALI ET DE EIS, QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEMITTI DEBENT

Can. 783 - § 1. Pastores animarum obligatione **tenentur curandi, ut christifideles ad statum matrimonialem praeparentur :**

1° praedicatione et catechesi iuvenibus et adultis aptata, quibus christifideles instituantur de significatione matrimonii christiani, de obligationibus coniugum inter se necnon de iure primario et obligatione, quae parentes habent, filiorum educationem physicam, religiosam, moralem, socialem et culturalem pro viribus curandi ;

2° instructione sponsorum personali ad matrimonium, qua sponsi ad novum statum disponantur.

§ 2. Enixe commendatur sponsis catholicis, ut in matrimonio celebrando Divinam Eucharistiam suscipiant.

§ 3. Celebrato vero matrimonio pastores animarum auxilium coniugibus praebeant, ut matrimoniale foedus fideliter servantes atque tuentes ad sanctiorem in dies plenioremque in familia vitam ducendam perveniant.

Can. 784 - Iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris, collatis consiliis cum Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem suam exercentibus, statuantur normae de examine sponsorum et de aliis mediis ad investigationes, praecipue quod ad baptismum et ad statum liberum spectat, quae ante matrimonium peragendae sunt, quibus diligenter observatis procedi potest ad matrimonii celebrationem.

Can. 785 - § 1. Pastores animarum obligatione tenentur pro necessitatibus locorum et temporum omnia pericula a matrimonio invalide ac illicite celebrando remediis opportunis arcendi ; ideo, antequam matrimonium celebratur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obstare.

§ 2. In periculo mortis, si aliae probationes haberi non possunt, sufficit, nisi contraria assunt indicia, affirmatio sponsorum, si casus fert, etiam iurata, se baptizatos esse et nullo detineri impedimento.

Can. 786 - Omnes christifideles obligatione tenentur impedimenta, si qua noverunt, parocho aut Hierarchae loci ante matrimonii celebrationem revelandi.

Can. 787 - Parochus, qui investigationes peregit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem faciat parochum, cuius est matrimonium benedicere.

Can. 788 - Si quod dubium post accuratas investigationes adhuc superest de exsistentia impedimenti, parochus rem ad Hierarcham loci deferat.

Can. 789 - Etsi matrimonium de cetero valide celebrari potest, sacerdos praeter alios casus iure determinatos sine licentia Hierarchae loci ne benedicat :

1° matrimonium vagorum;

2° matrimonium, quod ad normam iuris civilis agnosci vel iniri non potest;

3° matrimonium eius, qui obligationibus naturalibus tenetur erga tertiam partem filiosve ex praecedenti unione cum illa parte ortos;

4° matrimonium filii familias minoris insciis aut invitis parentibus ;

5° matrimonium eius, qui sententia ecclesiastica vetatur transire ad novum matrimonium, nisi quasdam condiciones implet;

6° matrimonium eius, qui publice fidem catholicam abiecit, etsi ad Ecclesiam vel Communitatem ecclesialem acatholicam non transiit; Hierarcha loci vero hoc in casu licentiam ne concedat nisi servato can. 814 congrua congruis referendo.

Art. II

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN GENERE

Can. 790 - § 1. Impedimentum dirimens personam inhabilem reddit ad matrimonium valide celebrandum.

§ 2. Impedimentum, etsi ex alterutra tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit invalidum.

Can. 791 - Publicum censetur impedimentum, quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

Can. 792 - Iure particulari Ecclesiae sui iuris impedimenta dirimentia ne statuantur nisi gravissima de causa, collatis consiliis cum Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris, quorum interest, et consulta Sede Apostolica; nulla auctoritas inferior autem nova impedimenta dirimentia statuere potest.

Can. 793 - Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur.

Can. 794 - § 1. Hierarcha loci christifidelibus sibi subditis ubicumque commorantibus necnon ceteris christifidelibus propriae Ecclesiae sui iuris intra fines territorii eparchiae actu degentibus vetare potest matrimonium in casu speciali, sed ad tempus tantum, gravi de causa eaque perdurante.

§ 2. Si de Hierarcha loci agitur, qui intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercet, Patriarcha tali vetito clausulam dirimentem addere potest; ceteris in casibus vero sola Sedes Apostolica.

Can. 795 - § 1. Hierarcha loci christifideles sibi subditos ubicumque commorantes necnon ceteros christifideles propriae Ecclesiae sui iuris ascriptos et intra fines territorii eparchiae actu degentes dispensare potest ab impedimentis iuris ecclesiastici sequentibus exceptis :

1° ordinis sacri;

2° voti publici perpetui castitatis in instituto religioso emissi, nisi agitur de congregationibus iuris eparchialis;

3° coniugicidii.

§ 2. Dispensatio ab his impedimentis reservatur Sedi Apostolicae; Patriarcha vero dispensare potest ab impedimentis coniugicidii et voti publici perpetui castitatis in congregationibus cuiusvis condicionis iuridicae emissi.

§ 3. Numquam datur dispensatio ab impedimento consanguinitatis in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis.

Can. 796 - § 1. Urgente periculo mortis Hierarcha loci christifideles sibi subditos ubicumque commorantes necnon ceteros christifideles intra fines territorii eparchiae actu degentes dispensare potest a forma celebrationis matrimonii iure praescripta et ab omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis excepto impedimento ordinis sacri sacerdotii.

§ 2. In eisdem rerum adiunctis et solum in casibus, in quibus ne Hierarcha loci quidem adiri potest, eandem potestatem dispensandi habent parochus, alius sacerdos facultate matrimonium benedicendi praeditus et sacerdos catholicus, de quo in can. 832, § 2 ; confessarius vero eandem potestatem habet, si agitur de impedimento occulto, pro foro interno sive intra sive extra actum sacramentalis confessionis.

§ 3. Hierarcha loci censetur adiri non posse, si tantum alio modo quam per epistulam vel personalem accessum id fieri potest.

Can. 797 - § 1. Si impedimentum detegitur, dum iam omnia parata sunt ad matrimonium celebrandum nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo deferri potest, donec ab auctoritate competenti dispensatio obtenta erit, potestatem dispensandi ab omnibus impedimentis, eis exceptis, de quibus in can. 795, § 1, nn. 1 et 2, habent Hierarcha loci et, dummodo casus sit occultus, omnes, de quibus in can. 796, § 2, servatis condicionibus ibidem praescriptis.

§ 2. Haec potestas valet etiam ad matrimonium convalidandum, si idem periculum est in mora nec tempus suppetit adeundi auctoritatem competentem.

Can. 798 - Sacerdotes, de quibus in cann. 796, § 2 et 797, § 1, de concessa dispensatione vel convalidatione pro foro externo Hierarcham loci statim certiorem faciant eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

Can. 799 - Nisi aliud fert rescriptum Sedis Apostolicae aut intra limites eorum competentiae Patriarchae vel Hierarchae loci, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa ab impedimento occulto

adnotetur in archivo secreto curiae eparchialis nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evasit.

Art. III

DE IMPEDIMENTIS IN SPECIE

Can. 800 - § 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum expletum, mulier ante decimum quartum aetatis annum expletum matrimonium valide celebrare non possunt.

§ 2. Integrum est iuri particulari Ecclesiae sui iuris aetatis annum superiorem ad licitam matrimonii celebrationem statuere.

Can. 801 - § 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris sive absoluta sive relativa matrimonium ex ipsa eius natura dirimit.

§ 2. Si impedimentum impotentiae dubium est sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum nec stante dubio nullum declarandum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit firmo can. 821.

Can. 802 - § 1. Invalide matrimonium attentat, qui vinculo tenetur prioris matrimonii.

§ 2. Etsi prius matrimonium invalidum aut solutum est qualibet ex causa, non licet aliud matrimonium celebrare, antequam de prioris invaliditate aut solutione legitime et certo constat.

Can. 803 - § 1. Matrimonium cum non baptizatis valide celebrari non potest.

§ 2. Si pars tempore celebrati matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est ad normam can. 779 validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

§ 3. Circa condiciones dispensandi applicetur can. 814.

Can. 804 - Invalide matrimonium attentat, qui in ordine sacro est constitutus.

Can. 805 - Invalide matrimonium attentat, qui votum publicum perpetuum castitatis in instituto religioso emisit.

Can. 806 - Cum persona abducta vel saltem retenta intuitu matrimonii cum ea celebrandi matrimonium valide celebrari non potest, nisi postea illa ab abducente vel retínente separata et in loco tuto ac libero constituta matrimonium sua sponte eligit.

Can. 807 - § 1. Qui intuitu matrimonii cum certa persona celebrandi eius coniugi vel proprio coniugi mortem intulit, invalide hoc matrimonium attentat.

§ 2. Invalide quoque matrimonium inter se attentant, qui mutua opera physica vel morali mortem coniugi intulerunt.

Can. 808 - § 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium invalidum est inter omnes ascendentes et descendentes.

§ 2. In linea collaterali invalidum est usque ad quartum gradum inclusive.

§ 3. Numquam matrimonium permittatur, si quod subest dubium, num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae collateralis.

§ 4. Impedimentum consanguinitatis non multiplicatur.

Can. 809 - § 1. Affinitas matrimonium dirimit in quolibet gradu lineae rectae et in secundo gradu lineae collateralis.

§ 2. Impedimentum affinitatis non multiplicatur.

Can. 810 - § 1. Impedimentum publicae honestatis oritur :

1° ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem;

2° ex notorio vel publico concubinatu ;

3° ex instauratione vitae communis eorum, qui ad formam celebrationis matrimonii iure praescriptam astricti matrimonium attentaverunt coram officiali civili aut ministro acatholico.

§ 2. Hoc impedimentum matrimonium dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris itemque inter mulierem et viri consanguineos.

Can. 811 - § 1. Ex baptismo oritur inter patrinum et baptizatum eiusque parentes cognatio spiritualis, quae matrimonium dirimit.

§ 2. Si iteratur baptismus sub condicione, cognatio spiritualis non oritur, nisi iterum idem patrinus adhibitus est.

Can. 812 - Matrimonium inter se valide celebrare non possunt, qui cognatione legali ex adoptione orta in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis coniuncti sunt.

Art. IV

DE MATRIMONIIS MIXTIS

Can. 813 - Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera est catholica, altera vero acatholica, sine praevia auctoritatis competentis licentia prohibitum est.

Can. 814 - Licentiam iusta de causa concedere potest Hierarcha loci ; eam vero ne concedat nisi impletis condicionibus, quae sequuntur :

1° pars catholica declaret se paratam esse pericula a fide deficiendi removere atque sinceram promissionem praestet se omnia pro viribus facturam esse, ut omnes filii in Ecclesia catholica baptizentur et educentur;

2° de his promissionibus a parte catholica faciendis altera pars tempestive certior fiat ita, ut constet ipsam vere consciam esse promissionis et obligationis partis catholicae;

3° ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii a neutro sponso excludendis.

Can. 815 - Iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statuatur modus, quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, faciendae sint, et modus determinetur, quo de eisdem et in foro externo constet et pars acatholica certior fiat.

Can. 816 - Hierarchae loci aliique pastores animarum curent, ne coniugi catholico et filiis ex matrimonio mixto natis auxilium spirituale desit ad eorum obligationes conscientiae implendas, atque coniuges adiuvent ad consortii vitae coniugalis et familiaris unitatem fovendam.

Art. V

DE CONSENSU MATRIMONIALI

Can. 817 - § 1. Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili se mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium.

§ 2. Consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri potest.

Can. 818 - Sunt incapaces matrimonii celebrandi :

1° qui sufficienti usu rationis carent;

2° qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et obligationes matrimoniales essentiales mutuo tradenda et acceptanda;

3° qui ob causas naturae psychicae obligationes matrimonii essentiales assumere non possunt.

Can. 819 - Ut consensus matrimonialis haberi possit, necesse est, ut matrimonium celebrantes saltem non ignorent matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad filios cooperatione aliqua sexuali procreandos.

Can. 820 - § 1. Error in persona invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error in qualitate personae, etsi dat causam matrimonio, matrimonium non dirimit, nisi haec qualitas directe et principaliter intenditur.

Can. 821 - Qui matrimonium celebrat deceptus dolo ad obtinendum consensum patrato circa aliquam alterius partis qualitatem, quae sua natura consortium vitae coniugalis graviter perturbare potest, invalide celebrat.

Can. 822 - Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, dummodo non determinet voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem.

Can. 823 - Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem non necessario excludit.

Can. 824 - § 1. Internus animi consensus praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. Sed si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludit matrimonium ipsum vel matrimonii essentiale aliquod elementum vel essentialem aliquam proprietatem, invalide matrimonium celebrat.

Can. 825 - Invalidum est matrimonium celebratum ob vim vel metum gravem ab extrinseco etiam inconsulto incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Can. 826 - Matrimonium sub condicione valide celebrari non potest.

Can. 827 - Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae celebrationis matrimonii iure praescriptae celebratum est, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.

Art. VI

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 828 - § 1. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae celebrantur ritu sacro coram Hierarcha loci vel parocho loci vel sacerdote, cui ab alterutro collata est facultas matrimonium benedicendi, et duobus

saltem testibus secundum tamen praescripta canonum, qui sequuntur, et salvis exceptionibus, de quibus in cann. 832 et 834, § 2.

§ 2. Sacer hic censetur ritus ipso interventu sacerdotis assistentis et benedicentis.

Can. 829 - § 1. **Hierarcha loci et parochus loci capta possessione canonica officii, dum legitime officio funguntur, intra fines sui territorii ubique valide benedicunt matrimonium, sive sponsi sunt subditi sive, dummodo alterutra saltem pars sit ascripta propriae Ecclesiae sui iuris, non subditi.**

§ 2. Hierarcha et parochus personalis vi officii matrimonium solummodo eorum, quorum saltem alteruter sibi subditus est, intra fines suae dicionis valide benedicunt.

§ 3. Patriarcha ipso iure facultate praeditus est servatis aliis de iure servandis matrimonia per se ipsum benedicendi ubique terrarum, dummodo alterutra saltem pars ascripta sit Ecclesiae, cui praeest.

Can. 830 - § 1. **Hierarcha loci et parochus loci, dum legitime officio funguntur, possunt sacerdotibus cuiusvis Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, facultatem conferre, intra fines sui territorii determinatum matrimonium benedicendi.**

§ 2. Facultatem generalem vero matrimonia benedicendi conferre potest solus Hierarcha loci firmo can. 302, § 2.

§ 3. Collatio facultatis matrimonia benedicendi, ut valida sit, determinatis sacerdotibus expresse immo, si de facultate generali agitur, scripto conferri debet.

Can. 831 - § 1. **Hierarcha loci vel parochus loci matrimonium licite benedicunt :**

1° postquam sibi constitit de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agitur, actuali commoratione alterutrius sponsi in loco matrimonii ;

2° habita, si hae condiciones desunt, licentia Hierarchae vel parochi domicilii vel quasi-domicilii alterutrius partis, nisi iusta causa excusat ;

3° in loco quoque exclusivo alterius Ecclesiae sui iuris, nisi Hierarcha, qui in hoc loco potestatem suam exercet, expresse renuit.

§ 2. Matrimonium coram sponsi parocho celebretur, nisi vel ius particulare aliud fert vel iusta causa excusat.

Can. 832 - § 1. **Si haberi vel adiri non potest sine gravi incommodo sacerdos ad normam iuris competens, celebrare intendentes verum**

matrimonium illud valide ac licite coram solis testibus celebrare possunt :

1° in periculo mortis;

2° extra periculum mortis, dummodo prudenter praevideatur earum rerum condicionem esse per mensem duraturam.

§ 2. In utroque casu, si praesto est alius sacerdos, ille, si fieri potest, vocetur, ut matrimonium benedicat salva matrimonii validitate coram solis testibus; eisdem in casibus etiam sacerdos acatholicus vocari potest.

§ 3. Si matrimonium celebratum est coram solis testibus, coniuges a sacerdote quam primum benedictionem matrimonii suscipere ne neglegant.

Can. 833 - § 1. Hierarcha loci cuilibet sacerdoti catholico facultatem conferre potest matrimonium christifidelium alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae, qui sacerdotem propriae Ecclesiae sine gravi incommodo adire non possunt, benedicendi, si sua sponte id petunt et dummodo nihil validae vel licitae celebrationi matrimonii obstet.

§ 2. Sacerdos catholicus, si fieri potest, antequam matrimonium benedicit, auctoritatem competentem illorum christifidelium de hac re certiorem faciat.

Can. 834 - § 1. Forma celebrationis matrimonii iure praescripta servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium celebrantium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est.

§ 2. Si vero pars catholica alicui Ecclesiae orientali sui iuris ascripta matrimonium celebrat cum parte, quae ad Ecclesiam orientalem acatholicam pertinet, forma celebrationis matrimonii iure praescripta servanda est tantum ad liceitatem ; ad validitatem autem requiritur benedictio sacerdotis servatis aliis de iure servandis.

Can. 835 - Dispensatio a forma celebrationis matrimonii iure praescripta reservatur Sedi Apostolicae vel Patriarchae, qui eam ne concedat nisi gravissima de causa.

Can. 836 - Extra casum necessitatis in matrimonii celebratione serventur praescripta librorum liturgicorum et legitimae consuetudines.

Can. 837 - § 1. Ad matrimonium valide celebrandum necesse est, ut partes sint praesentes una simul et consensum matrimonialem mutuo exprimant.

§ 2. Matrimonium per procuratorem valide celebrari non potest, nisi iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris aliud statuitur, quo in casu etiam de condicionibus, sub quibus tale matrimonium celebrari potest, providendum est.

Can. 838 - § 1. Matrimonium celebretur in ecclesia paroeciali aut de licentia Hierarchae loci vel parochi loci in alio loco sacro ; in aliis autem locis celebrari non potest nisi de licentia Hierarchae loci.

§ 2. Circa tempus celebrationis matrimonii servandae sunt normae iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris statutae.

Can. 839 - Vetita est ante vel post canonicam celebrationem alia eiusdem matrimonii celebratio religiosa ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum; item vetita est celebratio religiosa, in qua et sacerdos catholicus et minister acatholicus partium consensum exquirunt.

Can. 840 - § 1. Permissio matrimonii secreti ab Hierarcha loci gravi et urgenti de causa concedi potest et secumfert gravem obligationem secretum servandi ex parte Hierarchae loci, parochi, sacerdotis facultate matrimonium benedicendi praediti, testium et alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi.

§ 2. Obligatio secretum servandi ex parte Hierarchae loci cessat, si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia imminet.

§ 3. Matrimonium secreto celebratum in speciali tantummodo libro in archivo secreto curiae eparchialis asservando adnotetur, nisi gravissima causa obstat.

Can. 841 - § 1. Celebrato matrimonio parochus loci celebrationis vel is, qui eius vices gerit, etsi neuter matrimonium benedixit, quam primum adnotet in libro matrimoniorum nomina coniugum, sacerdotis benedicentis ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, dispensationem, si casus fert, a forma celebrationis matrimonii vel ab impedimentis eiusque auctorem una cum impedimento eiusque gradu, facultatem matrimonium benedicendi collatam atque alia secundum modum a proprio Episcopo eparchiali praescriptum.

§ 2. Praeterea parochus loci in libro baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium celebravisse ; si vero coniux alibi baptizatus est, parochus loci testimonium matrimonii mittat per se vel per curiam eparchialem ad parochum, apud quem coniugis baptismus adnotatus est, nec acquiescat, donec notitiam de adnotatione matrimonii in libro baptizatorum receperit.

§ 3. Si matrimonium ad normam can. 832 celebratum est, sacerdos, si illud benedixit, secus testes et coniuges curare debent, ut celebratio matrimonii in praescriptis libris quam primum adnotetur.

Can. 842 - Si matrimonium vel convalidatur pro foro externo vel nullum declaratur vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in libris matrimoniorum et baptizatorum fiat.

Art. VII

DE MATRIMONII CONVALIDATIONE

1° De convalidatione simplici

Can. 843 - § 1. Ad convalidandum matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens requiritur, ut cesset impedimentum vel ab eodem dispensetur et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.

§ 2. Haec renovatio requiritur ad validitatem convalidationis, etsi initio utraque pars consensum praestitit nec postea revocavit.

Can. 844 - Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium, quod pars renovans scit aut opinatur ab initio invalidum fuisse.

Can. 845 - § 1. Si impedimentum est publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma celebrationis matrimonii iure praescripta.

§ 2. Si impedimentum est occultum, satis est, ut consensus renovetur privatim et secreto ; a parte quidem impedimenti conscia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, aut ab utraque parte, si impedimentum est utrique parti notum.

Can. 846 - § 1. Matrimonium invalidum ob defectum consensus convalidatur, si pars, quae non consensit, iam consentit, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus probari non potest, satis est, ut pars, quae non consensit, privatim et secreto consensum praestet.

§ 3. Si defectus consensus probari potest, necesse est, ut consensus renovetur forma celebrationis matrimonii iure praescripta.

Can. 847 - Matrimonium invalidum ob defectum formae celebrationis matrimonii iure praescriptae, ut validum fiat, denuo hac forma celebrari debet.

2° De sanatione in radice

Can. 848 - § 1. Matrimonii invalidi sanatio in radice est eiusdem sine renovatione consensus convalidatio ab auctoritate competenti concessa secumferens dispensationem ab impedimento, si adest, atque a forma celebrationis matrimonii iure praescripta, si servata non est, necnon retrotractionem effectuum canonicorum ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae ; retrotractio vero intellegitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliter in concessione expresse cavetur.

Can. 849 - § 1. Sanatio matrimonii in radice valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia.

i 2. Sanatio in radice ne concedatur nisi gravi de causa et nisi probabile est partes in consortio vitae coniugalis perseverare velle.

Can. 850 - § 1. Matrimonium invalidum sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Matrimonium invalidum ob impedimentum iuris divini valide sanari non potest, nisi postquam impedimentum cessavit.

Can. 851 - § 1. Si in utraque vel alterutra parte deest consensus, matrimonium non potest valide sanari in radice, sive consensus ab initio defuit, sive ab initio praestitus postea revocatus est.

§ 2. Si vero consensus ab initio quidem defuit, sed postea praestitus est, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Can. 852 - Patriarcha et Episcopus eparchialis concedere possunt sanationem in radice in singulis casibus, si validitati matrimonii obstat defectus formae celebrationis matrimonii iure praescriptae vel aliquod impedimentum, a quo ipsi dispensare possunt, et in casibus iure praescriptis, si impletae sunt condiciones, de quibus in can. 814; in ceteris casibus et si de impedimento iuris divini agitur, quod iam cessavit, sanatio in radice concedi potest a sola Sede Apostolica.

Art. VIII

DE SEPARATIONE CONIUGUM

I° De dissolutione vinculi

Can. 853 - Matrimonii vinculum sacramentale matrimonio consummato nulla humana potestate nullaque causa praeterquam morte dissolvi potest.

Can. 854 - § 1. Matrimonium initum a duobus non baptizatis solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum suscepit, ipso iure, si novum matrimonium ab eadem parte celebratur, dummodo pars non baptizata discedat.

§ 2. Discedere censetur pars non baptizata, si non vult pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum susceptum iustam illi dedit discedendi causam.

Can. 855 - § 1. Ut pars baptizata novum matrimonium valide celebret, pars non baptizata interpellari debet, num :

I° velit et ipsa baptismum suscipere;

2° saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris.

§ 2. Haec interpellatio post baptismum fieri debet; sed Hierarcha loci gravi de causa potest permittere, ut interpellatio ante baptismum fiat, immo potest ab interpellatione dispensare sive ante sive post baptismum, si modo procedendi saltem summario et extraiudiciali constat eam fieri non posse aut fore inutilem.

Can. 856 - § 1. Interpellatio fit regulariter de auctoritate Hierarchae loci partis conversae, a quo concedendum est alteri coniugi spatium temporis ad respondendum, si id petivit, eo tamen monito, ut hoc spatio temporis inutiliter elapso eius silentium pro responsione negativa habeatur.

§ 2. Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, immo est licita, si forma superius praescripta servari non potest.

§ 3. In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.

Can. 857 - Pars baptizata ius habet novum matrimonium celebrandi cum parte catholica, si :

1° altera pars negative interpellationi respondit ;

2° interpellatio legitime omissa est ;

3° pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, antea perseverans in pacifica cohabitatione postea sine iusta causa discessit; quo in casu vero interpellatio ad normam cann. 855 et 856 praemittenda est.

Can. 858 - Hierarcha loci tamen gravi de causa concedere potest, ut pars baptizata, utens privilegio paulino, celebret matrimonium cum parte acatholica sive baptizata sive non baptizata servatis etiam praescriptis canonum de matrimoniis mixtis.

Can. 859 - § 1. Non baptizatus, qui plures uxores non baptizatas simul habet, suscepto in Ecclesia catholica baptismo, si ei durum est cum earum prima permanere, unam ex illis ceteris dimissis retinere potest ; idem valet de muliere baptizata, quae plures maritos non baptizatos simul habet.

§ 2. In hoc casu matrimonium forma celebrationis matrimonii iure praescripta celebrandum est servatis etiam aliis de iure servandis.

§ 3. Hierarcha loci condicione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum prae oculis habita curet, ut eorum, qui dimissi sunt, necessitatibus satis provisum sit secundum normas iustitiae, caritatis et aequitatis.

Can. 860 - Non baptizato, qui suscepto in Ecclesia catholica baptismo cum coniuge non baptizato ratione captivitatis vel persecutionis cohabitationem restaurare non potest, aliud matrimonium celebrare licet, etsi altera pars baptismum interea suscepit, firmo can. 853.

Can. 861 - In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

Can. 862 - Matrimonium non consummatum solvi potest iusta de causa a Romano Pontifice utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera est invita.

2° De separatione manente vinculo

Can. 863 - § 1. Enixe commendatur, ut coniux caritate motus et boni familiae sollicitus veniam non abnuat comparti adulterae atque consortium vitae coniugalis non disrumpat ; si vero eiusdem culpam expresse aut tacite non condonavit, ius ei est solvendi consortium vitae coniugalis, nisi in adulterium consensit aut eidem causam dedit vel ipse quoque adulterium commisit.

§ 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sua sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus est; praesumitur vero, si per sex menses consortium vitae coniugalis servavit neque auctoritatem ecclesiasticam vel civilem de re adiit.

§ 3. Si coniux innocens sua sponte consortium vitae coniugalis solvit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad auctoritatem competentem, quae omnibus inspectis adiunctis perpendat, num coniux innocens adduci possit, ut culpam condonet et separationem non protrahat.

Can. 864 - § 1. Si alteruter coniugum vitam communem coniugi vel filiis periculosam aut nimis duram reddit, alteri legitimam praebet causam discedendi decreto Hierarchae loci et etiam propria auctoritate, si periculum est in mora.

§ 2. Iure particulari Ecclesiae sui iuris aliae causae pro moribus populorum et locorum circumstantiis statui possunt.

§ 3. In omnibus casibus causa separationis cessante consortium vitae coniugalis restaurandum est, nisi ab auctoritate competenti aliud statuitur.

Can. 865 - Facta separatione coniugum opportune semper cavendum est de debita filiorum sustentatione et educatione.

Can. 866 - Coniux innocens laudabiliter alterum coniugem ad consortium vitae coniugalis rursus admittere potest, quo in casu iuri separationis renuntiat.

CAPUT VIII

DE SACRAMENTALIBUS, DE LOCIS ET DE TEMPORIBUS SACRIS, DE CULTU SANCTORUM, DE VOTO ET DE IUREIURANDO

Art. I

DE SACRAMENTALIBUS

Can. 867 - § 1. Per sacramentalia, quae sacra sunt signa, quibus ad aliquam sacramentorum imitationem effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur, homines ad praecipuum sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur.

§ 2. Circa sacramentalia serventur normae iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Art. II

DE LOCIS SACRIS

Can. 868 - Loca sacra, quae ad cultum divinum destinantur, nonnisi de licentia Episcopi eparchialis erigi possunt, nisi aliud iure communi expresse statuitur.

1° De ecclesiis

Can. 869 - Ecclesia est aedes exclusive cultui divino dedicata consecratione vel benedictione.

Can. 870 - Nulla aedes ad ecclesiam destinata aedificetur sine expresso Episcopi eparchialis consensu scripto dato, nisi aliter iure communi cavetur.

Can. 871 - § 1. Consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales et, si fieri potest, ecclesiae paroeciales, ecclesiae monasteriorum et ecclesiae domui religiosae adnexae.

§ 2. Consecratio reservatur Episcopo eparchiali, qui potest alii Episcopo facultatem ecclesiam consecrandi conferre ; de peracta consecratione vel benedictione ecclesiae redigatur documentum in archivo curiae eparchialis asservandum.

Can. 872 - § 1. Arcendum est ab ecclesiis, quidquid a loci sanctitate absonum est.

§ 2. Curent omnes, ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet, mediaque securitatis adhibeantur ad res sacras et pretiosas tuendas.

Can. 873 - § 1. Si qua ecclesia nullo modo amplius ad cultum divinum adhiberi potest et possibilitas non datur eam reficiendi, ab Episcopo eparchiali in usum profanum non sordidum redigi potest.

§ 2. Si aliae graves causae suadent, ut aliqua ecclesia ad cultum divinum amplius non adhibeatur, Episcopus eparchialis eam in usum profanum non sordidum redigere potest consulto consilio presbyterali, de consensu eorum, qui iura in eandem sibi legitime vindicant, et dummodo salus animarum nihil inde detrimenti capiat.

2° De coemeteriis et de exsequiis ecclesiasticis

Can. 874 - § 1. Ius est Ecclesiae catholicae possidendi propria coemeteria.

§ 2. Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur vel saltem spatia in coemeteriis civilibus christifidelibus defunctis destinata alterutra benedicenda; si vero haec obtineri non possunt, occasione exsequiarum tumulus benedicetur.

§ 3. In ecclesiis defuncti ne sepeliantur reprobata contraria consuetudine, nisi de eis agitur, qui Patriarchae, Episcopi vel Exarchi fuerunt.

§ 4. Paroeciae, monasteria ceteraque instituta religiosa propria coemeteria habere possunt.

Can. 875 - Exsequiis ecclesiasticis, quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat, eorum corpora honorât simulque vivis spei solacium affert, omnes christifideles et catechumeni defuncti donari debent, nisi eisdem iure privati sunt.

Can. 876 - § 1. Concedi possunt exsequiae ecclesiasticae acatholicis baptizatis de prudenti Hierarchae loci iudicio, nisi constat de contraria eorum voluntate et dummodo minister proprius haberi non possit.

§ 2. Parvuli, quos parentes baptizare intendebant, aliique, qui aliquo modo Ecclesiae propinqui videbantur, sed antequam baptismum susceperunt, decesserunt, exsequiis ecclesiasticis item de prudenti Hierarchae loci iudicio donari possunt.

§ 3. Illis, qui proprii cadaveris cremationem elegerunt, nisi constat eos id fecisse rationibus ductos vitae christianae adversis, concedendae sunt exsequiae ecclesiasticae eo tamen modo celebratae, ut non lateat Ecclesiam corporum sepulturam cremationi anteponere utque scandalum vitetur.

Can. 877 - Exsequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederunt paenitentiae signa, peccatores, quibus eaedem non sine publico christifidelium scandalo concedi possunt.

Can. 878 - § 1. In exsequiarum ecclesiasticarum celebratione omnis personarum acceptio vitetur.

§ 2. Firmo can. 1013 enixe commendatur, ut Episcopi eparchiales, quatenus fieri potest, praxim introducant, secundum quam occasione exsequiarum ecclesiasticarum solum eae oblationes recipiantur, quas christifideles sua sponte offerunt.

Can. 879 - Expleta tumulatione adnotatio in libro defunctorum fiat ad normam iuris particularis.

Art. III

DE DIEBUS FESTIS ET PAENITENTIAE

Can. 880 - § 1. Dies festos et paenitentiae omnibus Ecclesiis orientalibus communes constituere, transferre aut supprimere solius est supremae Ecclesiae auctoritatis firma § 3.

§ 2. Dies festos et paenitentiae singulis Ecclesiis sui iuris proprios constituere, transferre aut supprimere competit etiam auctoritati, cuius est ius particulare earundem Ecclesiarum statuere, debita tamen habita ratione aliarum Ecclesiarum sui iuris et firmo can. 40, § 1.

§ 3. Dies festi de praecepto omnibus Ecclesiis orientalibus communes, praeter dies dominicos, sunt dies Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis Sanctae Dei Genitricis Mariae ac dies Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, salvo iure particulari Ecclesiae sui iuris a Sede Apostolica approbato, quo quidam dies festi de praecepto supprimuntur vel ad diem dominicum transferuntur.

Can. 881 - § 1. Christifideles obligatione tenentur diebus dominicis et festis de praecepto Divinam Liturgiam participandi aut secundum praescripta vel legitimam consuetudinem propriae Ecclesiae sui iuris celebrationem laudum divinarum.

§ 2. Quo facilius christifideles hanc obligationem implere possint, statuitur tempus utile decurrere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei dominici vel festi de praecepto.

§3. Enixe commendatur christifidelibus, ut his diebus immo frequentius vel etiam cottidie Divinam Eucharistiam suscipiant.

§ 4. Abstineant christifideles his diebus ab illis operibus et negotiis, quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt.

Can. 882 - Diebus paenitentiae christifideles obligatione tenentur ieiunium vel abstinentiam servandi modo iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris statuto.

Can. 883 - § 1. Christifideles extra fines territorii propriae Ecclesiae sui iuris versantes circa dies festos et paenitentiae ad normas in loco, ubi degunt, vigentes se plene conformare possunt.

§ 2. In familiis, in quibus coniuges diversis Ecclesiis sui iuris ascripti sunt, circa dies festos et paenitentiae praescripta unius vel alterius Ecclesiae sui iuris observare licet.

Art. IV

DE CULTU SANCTORUM, SACRARUM ICONUM VEL IMAGINUM ET RELIQUIARUM

Can. 884 - Ad sanctificationem populi Dei fovendam Ecclesia speciali et filiali christifidelium venerationi commendat Sanctam Mariam semper Virginem, Dei Matrem, quam Christus hominum omnium Matrem constituit, atque verum et authenticum promovet cultum aliorum Sanctorum, quorum quidem exemplo christifideles aedificantur et intercessione sustentantur.

Can. 885 - Cultu publico eos tantum servos Dei venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sunt.

Can. 886 - Firma maneat praxis in ecclesiis sacras icones vel imagines venerationi christifidelium proponendi modo et ordine iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris statuendis.

Can. 887 - § 1. Sacrae icones vel imagines pretiosae, id est vetustate aut arte praestantes in ecclesiis venerationi christifidelium expositae, in aliam ecclesiam transferri vel alienari non possunt nisi de consensu scripto dato Hierarchae, qui in eandem ecclesiam potestatem suam exercet, firmis cann. 1034 - 1041.

§ 2. Sacrae icones vel imagines pretiosae etiam ne restaurentur nisi de consensu scripto dato eiusdem Hierarchae, qui, antequam eum concedit, peritos consulat.

Can. 888 - § 1. Sacras reliquias vendere non licet.

§ 2. Insignes reliquiae, icones vel imagines, quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, non possunt valide quoquo modo alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri nisi de consensu Sedis Apostolicae vel Patriarchae, qui eum dare non potest nisi de consensu Synodi permanentis firmo can. 1037.

§ 3. Circa restaurationem harum iconum vel imaginum servetur can. 887, § 2.

Art. V

DE VOTO ET DE IUREIURANDO

Can. 889 - § 1. Votum, promissio scilicet deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

§ 2. Voti sunt capaces omnes congruentem usum rationis habentes, nisi iure prohibentur.

§ 3. Votum ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo emissum ipso iure nullum est.

§ 4. Votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur ; secus est privatum.

Can. 890 - Votum neminem obligat ratione sui nisi emittentem.

Can. 891 - Cessat votum elapso tempore ad finiendam obligationem apposito, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente condicione, de qua votum pendet, aut eiusdem causa finali, dispensatione, commutatione.

Can. 892 - Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obligationem tamdiu suspendere, quamdiu voti impletio sibi praeiudicium affert.

Can. 893 - § 1. A votis privatis iusta de causa dispensare potest, dummodo dispensatio ne laedat iura aliis quaesita :

1° sibi subditos omnis Hierarcha, parochus et Superior localis instituti vitae consecratae, qui potestatem regiminis habet;

2° ceteros christifideles propriae Ecclesiae sui iuris Hierarcha loci, dummodo intra fines territorii eparchiae actu degant ; itemque parochus loci intra fines territorii propriae paroeciae;

3° eos, qui diu noctuque in domo instituti vitae consecratae degunt, Superior localis, qui potestatem regiminis habet, eiusque Superior maior.

§ 2. Haec dispensatio sub eadem condicione, sed pro foro interno tantum concedi potest a quolibet confessario.

Can. 894 - Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, dum vovens in monasterio, ordine vel congregatione permanet.

Can. 895 - Iusiurandum, id est invocatio Nominis divini in testem veritatis, coram Ecclesia praestari potest tantummodo in casibus iure statutis ; secus nullum parit effectum canonicum.

TITULUS XVII

DE BAPTIZATIS ACATHOLICIS AD PLENAM COMMUNIONEM CUM ECCLESIA CATHOLICA CONVENIENTIBUS

Can. 896 - Eis, qui in Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus acatholicis baptizati sunt et ad plenam communionem cum Ecclesia catholica convenire sua sponte petunt, sive agitur de singulis sive de coetibus, nihil ultra imponatur oneris quam ea, quae necessaria sunt.

Can. 897 - Christifidelis alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae in Ecclesiam catholicam recipiendus est cum sola professione fidei catholicae, praemissa praeparatione doctrinali et spirituali pro sua cuiusque condicione.

Can. 898 - § 1. Episcopum alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae in Ecclesiam catholicam recipere potest praeter Romanum Pontificem etiam Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel Metropolita Ecclesiae metropolitanae sui iuris de consensu Consilii Hierarcharum.

§ 2. Ius recipiendi in Ecclesiam catholicam quemlibet alium spectat ad Hierarcham loci vel, si ita fert ius particulare, etiam ad Patriarcham.

§ 3. Ius recipiendi in Ecclesiam catholicam singulos laicos spectat quoque ad parochum, nisi iure particulari prohibetur.

Can. 899 - Clericus alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae ad plenam communionem cum Ecclesia catholica conveniens potest proprium ordinem sacrum exercere secundum normas ab auctoritate competenti statutas; Episcopus autem potestatem regiminis valide exercere non potest nisi de assensu Romani Pontificis, Collegii Episcoporum capitis.

Can. 900 - § 1. Qui decimum quartum aetatis annum nondum explevit, ne recipiatur renitentibus parentibus.

§ 2. Si ex eiusdem receptione gravia praevidentur incommoda vel Ecclesiae vel ipso, receptio differatur, nisi periculum mortis imminet.

Can. 901 - Si acatholici, qui non ad aliquam Ecclesiam orientalem pertinent, in Ecclesiam catholicam recipiuntur, servandae sunt normae supra datae congrua congruis referendo, dummodo sint valide baptizati.

titulus xvni

DE OECUMENISMO
SEU DE CHRISTIANORUM UNITATE FOVENDA

Can. 902 - Cum sollicitudo cunctorum christianorum unitatis instaurandae ad totam Ecclesiam spectet, omnes christifideles, praesertim vero Ecclesiae Pastores, debent pro ea a Domino optata Ecclesiae unitatis plenitudine orare et allaborare sollerter participando operi oecumenico Spiritus Sancti gratia suscitato.

Can. 903 - Ad Ecclesias orientales catholicas speciale pertinet munus unitatem inter omnes Ecclesias orientales fovendi precibus imprimis, vitae exemplo, religiosa erga antiquas traditiones Ecclesiarum orientalium fidelitate, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione.

Can. 904 - § 1. Incepta motus oecumenici in unaquaque Ecclesia sui iuris sedulo provehantur normis specialibus iuris particularis moderante eundem motum Sede Apostolica Romana pro universa Ecclesia.

§ 2. Ad hunc finem habeatur in unaquaque Ecclesia sui iuris commissio peritorum de re oecumenica constituenda, si rerum adiuncta id suadent, collatis consiliis cum Patriarchis et Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris, qui in eodem territorio potestatem suam exercent.

§ 3. Item Episcopis eparchialibus assit vel pro unaquaque eparchia vel, si visum est, pro pluribus eparchiis consilium de motu oecumenico provehendo ; in eis autem eparchiis, quae proprium consilium habere non possunt, unus saltem assit christifidelis ab Episcopo eparchiali nominatus cum speciali munere hunc motum provehendi.

Can. 905 - In opere oecumenico persolvendo praesertim aperto ac fidenti dialogo et inceptis cum aliis christianis communibus servanda est debita prudentia evitatis periculis falsi irenismi, indifferentismi necnon zeli immoderati.

Can. 906 - Quo clarius innotescat christifidelibus, quid reapse doceatur et tradatur ab Ecclesia catholica et ab aliis Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus, diligenter operam dent praesertim praedicatores verbi Dei, ii, qui instrumenta communicationis socialis moderantur, atque omnes, qui vires impendunt sive ut magistri sive ut moderatores in scholis catholicis, praesertim autem in institutis studiorum superiorum.

Can. 907 - Curent moderatores scholarum, nosocomiorum ceterorumque similium institutorum catholicorum, ut alii christiani ea frequentantes vel ibi degentes a propriis ministris adiumentum spirituale consequi et sacramenta suscipere possint.

Can. 908 - Optandum est, ut christifideles catholici servatis normis de communicatione in sacris quodvis negotium, in quo cum aliis christianis cooperari possunt, non seorsum, sed coniunctim persolvant, cuiusmodi sunt opera caritatis ac socialis iustitiae, defensio dignitatis personae humanae eiusque iurium fundamentalium, promotio pacis, dies commemorationis pro patria, festa nationalia.

\

TITULUS XIX

DE PERSONIS ET DE ACTIBUS IURIDICIS

CAPUT I

DE PERSONIS

Art. I

DE PERSONIS PHYSICIS

Can. 909 - § 1. Persona, quae duodevicesimum aetatis annum explevit, maior est ; infra hanc aetatem minor.

§ 2. Minor ante plenum septennium dicitur infans et censetur non sui compos ; expleto autem septennio usum rationis habere praesumitur.

§ 3. Quicumque usu rationis habitu caret, censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

Can. 910 - § 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum subest eis exceptis, in quibus minores iure divino vel canonico ab eorum potestate exempti sunt ; ad constitutionem tutorum quod attinet, serventur praescripta iuris civilis, nisi aliter iure communi vel iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris cavetur et firmo iure Episcopi eparchialis tutores, si opus est, per se ipsum constituendi.

Can. 911 - Persona dicitur peregrinus in eparchia diversa ab illa, in qua domicilium vel quasi-domicilium habet; dicitur vero vagus, si nullibi domicilium vel quasi-domicilium habet.

Can. 912 - § 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem eparchiae commoratione, quae aut coniuncta est cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocat, aut ad quinquennium completum reapse est protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem eparchiae commoratione, quae aut coniuncta est cum animo ibi manendi saltem per tres menses, si nihil inde avocat, aut ad tres menses completos reapse est protracta.

Can. 913 - Sodales institutorum religiosorum necnon societatum vitae communis ad instar religiosorum domicilium acquirunt in loco, ubi sita est domus, cui ascribuntur ; quasi-domicilium in loco, ubi eorum commoratio ad tres saltem menses est protracta.

Can. 914 - Coniuges commune habeant domicilium vel quasi-domicilium ; iusta de causa vero uterque habere potest proprium domicilium vel quasi-domicilium.

Can. 915 - § 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius, cuius potestati subditus est ; infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Quicumque alia ratione quam minoritate in tutelam vel curatelam legitime traditus est, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

Can. 916 - § 1. Et per domicilium et per quasi-domicilium suum quisque proprium Hierarcham loci et parochum Ecclesiae sui iuris, cui ascriptus est, sortitur, nisi aliter iure communi cavetur.

§ 2. Parochus proprius illius, qui non habet nisi eparchiale domicilium vel quasi-domicilium, est parochus loci, ubi actu commoratur.

§ 3. Proprius vagi Hierarcha loci et parochus est eius Ecclesiae parochus et Hierarcha loci, ubi vagus actu commoratur.

§ 4. Si deest parochus pro christifidelibus alicuius Ecclesiae sui iuris, eorundem Episcopus eparchialis designet parochum alterius Ecclesiae sui iuris, qui eorum curam tamquam parochus proprius suscipiat, de consensu vero Episcopi eparchialis parochi designandi.

§ 5. In locis, ubi ne exarchia quidem pro christifidelibus alicuius Ecclesiae sui iuris erecta est, tamquam proprius eorundem christifidelium Hierarcha habendus est Hierarcha loci alterius Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, firmo can. 101; si vero plures sunt, ille habendus est tamquam proprius, quem designavit Sedes Apostolica vel, si de christifidelibus alicuius Ecclesiae patriarchalis agitur, Patriarcha de assensu Sedis Apostolicae.

Can. 917 - Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessu a loco cum animo non revertendi salvis cann. 913 et 915.

Can. 918 - Consanguinitas computatur per lineas et gradus :

1° in linea recta tot sunt gradus, quot personae stipite dempto;

2° in linea collaterali tot sunt gradus, quot personae in utroque tractu stipite dempto.

Can. 919 - § 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido ac viget inter alterutrum coniugem et consanguineos alterius.

§ 2. Qua linea et quo gradu aliquis alterutrius coniugis est consanguineus, alterius est affinis.

Art. II

DE PERSONIS IURIDICIS

Can. 920 - In Ecclesia praeter personas physicas sunt etiam personae iuridicae, sive sunt universitates personarum sive universitates rerum, subiecta scilicet in iure canonico iurium et obligationum, quae earum indoli congruunt.

Can. 921 - § 1. Personae iuridicae constituuntur in finem missioni Ecclesiae congruentem aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali concessione auctoritatis competentis ecclesiasticae per decretum data.

§ 2. Ipso iure personae iuridicae sunt Ecclesiae sui iuris, provinciae, eparchiae, exarchiae, necnon alia instituta, de quibus hoc in iure communi expresse statuitur.

§ 3. Auctoritas competens personalitatem iuridicam ne conferat nisi eis universitatibus personarum aut rerum, quae finem specificum reapse utilem persequuntur et omnibus perpensis media habent, quae sufficere praevidentur ad finem praestitutum assequendum.

Can. 922 - § 1. Quaelibet persona iuridica ex speciali concessione auctoritatis competentis ecclesiasticae erecta habere debet propria statuta ab auctoritate, quae ad eandem personam iuridicam erigendam competens est, approbata.

§ 2. Firmo iure communi in statutis, ut approbari possint, de sequentibus pressius providendum est :

1° de fine specifico personae iuridicae;

2° de natura personae iuridicae ;

3° cui competat moderatio personae iuridicae et quomodo exercenda sit;

4° quis in foro ecclesiastico et civili personam iuridicam repraesentet ;

5° cui competat de bonis personae iuridicae disponere et quisnam sit exsecutor in casu exstinctionis personae iuridicae, divisionis in plures personas iuridicas vel coniunctionis cum aliis personis iuridicis, servatis semper offerentium voluntatibus necnon iuribus quaesitis.

§ 3. Antequam statuta approbata sunt, persona iuridica valide agere non potest.

Can. 923 - Universitas personarum in personam iuridicam erigi non potest nisi saltem ex tribus personis physicis constat.

Can. 924 - Ad actus collegiales quod attinet, nisi aliud iure expresse statutum est :

1° id vim habet iuris, quod praesente quidem maiore parte eorum, qui convocari debent, placuit parti absolute maiori eorum, qui sunt praesentes ; si vero suffragia aequalia fuerunt, praeses suo suffragio paritatem dirimat;

2° si vero iura quaesita singulorum tanguntur, consensus uniuscuiusque eorum requiritur ;

3° circa electiones servetur can. 956.

Can. 925 - Si vel unum membrum personae iuridicae superest et tamen ea secundum statuta esse non desiit, exercitium omnium iurium eiusdem personae iuridicae illi membro competit.

Can. 926 - § 1. Nisi aliter iure cautum est, bona et iura personae iuridicae, quae membris caret, illius auctoritatis cura conservari, administrari vel exerceri debent, cui in casu exstinctionis de eisdem statuere competit ; haec auctoritas debet ad normam iuris fideli impletioni providere onerum, quae illa bona gravant, necnon curare, ut fundatorum vel oblatorum voluntas adamussim servetur.

§ 2. Ascriptio membrorum huius personae iuridicae salvis normis iuris ab illa auctoritate fieri potest et secundum casus debet, cui eiusdem personae immediata cura competit; idem servetur, si membra, quae remanent, ascriptionis peragendae iure incapacia sunt.

§ 3. Nominatio administratorum universitatis rerum, si ad normam iuris fieri non potest, ad auctoritatem immediate superiorem devolvitur ; eidem auctoritati onus incumbit administrationis ad normam § 1, donec idoneum administratorem nominaverit.

Can. 927 - § 1. Persona iuridica natura sua perpetua est; tamen exstinguitur, si ab auctoritate competenti supprimitur vel si facto per centum annorum spatium esse desiit.

§ 2. Persona iuridica supprimi potest nonnisi gravi de causa consultis eiusdem moderatoribus et servatis, quae in statutis de casu suppressionis praescribuntur.

Can. 928 - Salvis casibus iure communi expressis :

1° Patriarchae est consulta Synodo permanenti supprimere personas iuridicas ab ipso erectas vel approbatas; de consensu vero Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis Patriarcha quamvis personam iuridicam supprimere potest illis exceptis, quae a Sede Apostolica erectae vel approbatae sunt;

2° Episcopi eparchialis est consulto collegio consultorum eparchialium illas personas iuridicas supprimere, quas ipse erexit, nisi ab auctoritate superiore approbatae sunt;

3° in ceteris casibus, qui personas iuridicas erigit, eas supprimere valide non potest, nisi consensus auctoritatis superioris accedit.

Can. 929 - Diviso territorio personae iuridicae ita, ut vel illius pars alii personae iuridicae uniatur vel distincta persona iuridica pro parte dismembrata erigatur, etiam bona communia, quae in commodum totius territorii erant destinata, et debita, quae pro toto territorio contracta erant, ab auctoritate, cui divisio competit, ex bono et aequo dividi debent salvis omnibus et singulis obligationibus itemque salvis piorum fundatorum vel oblatorum voluntatibus, iuribus quaesitis ac statutis, quibus persona iuridica regitur.

Can. 930 - Exstincta persona iuridica eius bona fiunt personae iuridicae immediate superioris salvis semper fundatorum vel oblatorum voluntatibus, iuribus quaesitis ac statutis, quibus exstincta persona iuridica regebatur.

CAPUT II

DE ACTIBUS IURIDICIS

Can. 931 - § 1. Ad validitatem actus iuridici requiritur, ut a persona habili et competenti sit positus atque in eodem assint, quae actum ipsum essentialiter constituunt, necnon sollemnia et requisita iure ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus iuridicus circa sua elementa externa ad normam iuris positus praesumitur validus.

Can. 932 - § 1. Actus iuridicus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequaquam resistere potuit, pro nullo habetur.

§ 2. Actus iuridicus positus ex alia vi vel metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliter iure cavetur ; sed potest a iudice per sententiam rescindi sive ad petitionem partis laesae eiusve in iure successorum sive ex ofiicio.

Can. 933 - Actus iuridicus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id, quod eius substantiam constituit, aut qui recidit in condicionem sine qua non, nullus est; secus valet, nisi aliter iure cavetur, sed actus iuridicus ex ignorantia aut ex errore positus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Can. 934 - § 1. Si iure statuitur ad actum iuridicum ponendum auctoritatem indigere consensu aut consilio alicuius personarum coetus,

convocari debet coetus ad normam can. 948, nisi aliter iure particulari cavetur pro casibus ab eodem iure statutis, in quibus de consilio tantum exquirendo agitur ; ut autem actus iuridicus valeat requiritur, ut obtineatur consensus partis absolute maioris eorum, qui sunt praesentes, aut omnium exquiratur consilium, firma § 2, n. 3.

§ 2. Si iure statuitur ad actum iuridicum ponendum auctoritatem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum, ut singularum :

1° si consensus exigitur, invalidus est actus iuridicus auctoritatis consensum earum personarum non exquirentis aut contra earum vel alicuius votum agentis ;

2° si consilium exigitur, invalidus est actus iuridicus auctoritatis easdem personas non consulentis;

3° auctoritas, quamvis nulla obligatione teneatur accedendi ad earundem consilium, etsi concors, tamen sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem consilio praesertim concordi ne discedat.

§ 3. Illis, quorum consensus aut consilium requiritur, auctoritas, quae consensu vel consilio indiget, informationes necessarias praebere et eorum liberam mentis manifestationem omni modo tueri debet.

§ 4. Omnes, quorum consensus aut consilium requiritur, obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi atque secretum servandi, quae quidem obligatio ab auctoritate urgeri potest.

Can. 935 - Quicumque illegitime actu iuridico immo quovis alio actu dolo vel culpa posito alii damnum infert, obligatione tenetur damnum illatum reparandi.

TITULUS XX
DE OFFICIIS

Can. 936 - § 1. In Ecclesia officium est quodlibet munus ab ipso Domino vel ab auctoritate competenti stabiliter constitutum in finem spiritualem exercendum.

§ 2. Iura et obligationes singulis officiis propria determinantur eo iure, quo officium constituitur, vel decreto auctoritatis competentis.

§ 3. Auctoritatis, cuius est officium constituere, est etiam illud immutare, supprimere et de eius provisione canonica providere, nisi aliter iure expresse cavetur vel ex natura rei constat.

Can. 937 - § 1. Qui officium erigit, curare debet, ut praesto sint media ad eiusdem implementum necessaria utque prospiciatur iustae remunerationi eorum, qui officio funguntur.

§ 2. Iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris pressius determinetur modus, quo haec praescripta ad effectum deducantur, nisi de quibusdam iure communi iam provisum est.

CAPUT I
DE PROVISIONE CANONICA OFFICIORUM

Can. 938 - Officium sine provisione canonica valide obtineri non potest.

Can. 939 - Provisio canonica officii fit :

1° per liberam collationem ab auctoritate competenti factam;

2° si praecessit electio, per eius confirmationem vel, si electio non eget confirmatione, per electi acceptationem ;

3° si praecessit postulatio, per eius admissionem.

Can. 940— § 1. Ut quis ad officium promoveatur, debet esse idoneus, scilicet eis qualitatibus praeditus, quae iure requiruntur.

§ 2. Quoties provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla solummodo, si ita iure cautum est; secus est valida, sed rescindi potest per decretum auctoritatis competentis aequitate servata.

Can. 941 - Provisio canonica, cui nullus terminus est iure praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab accepta notitia de officii vacatione computandos.

Can. 942 - Nemini conferantur duo vel plura officia, quae una simul ab eodem congrue impleri non possunt, nisi adest vera necessitas.

Can. 943 - § 1. Provisio officii, quod de iure non vacat, ipso iure nulla est nec subsequenti officii vacatione convalidatur.

§ 2. Si vero agitur de officio, quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio canonica intra sex menses, antequam hoc tempus elapsum est, fieri potest et effectum habet a die officii vacationis.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque est facta, nullum effectum canonicum habet.

Can. 944 - Officium de iure vacans, quod forte ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo ad normam iuris declaratum sit eam possessionem non esse canonicam et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Can. 945 - Qui, alium neglegentem vel impeditum supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in personam, cui collatum est, sed huius condicio iuridica eadem est, ac si provisio canonica ad ordinariam normam iuris facta esset.

Can. 946 - Officii provisio facta ex metu gravi iniuste incusso, dolo, errore substantiali vel simoniace ipso iure nulla est.

Art. I

DE ELECTIONE

Can. 947 - § 1. Si cui coetui est ius eligendi ad officium, electio, nisi aliter iure cautum est, numquam differatur ultra trimestre utile ab accepta notitia de officii vacatione computandum; quo termino inutiliter elapso auctoritas competens, cui ius confirmandi electionem vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

§ 2. Auctoritas competens officio vacanti libere providere potest etiam si coetus ius eligendi alio modo amisit.

Can. 948 - § 1. Salvo iure particulari coetus praeses electores convocet loco ac tempore ipsis convenienti ; convocatio, si personalis esse debet, valet, si fit vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens est, electio valet, sed ad eius petitionem debet probata praeteritione et absentia ab auctoritate competenti rescindi etiam post confirmationem, dummodo ad normam iuris constet recursum saltem intra triduum ab accepta notitia de electione computandum interpositum esse.

§ 3. Si vero plures quam tertia pars electorum neglecti sunt, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerunt.

Can. 949 - § 1. Convocatione canonice facta ius suffragium ferendi pertinet ad eos, qui praesentes sunt loco et die in convocatione statutis excluso iure valide ferendi suffragia per epistulam vel procuratorem, nisi aliter iure cavetur.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens in domo est, in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse non potest, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Can. 950 - Etsi quis plures ob titulos ius suffragium nomine proprio ferendi habet, non potest nisi unum ferre.

Can. 951 - Nemo coetui extraneus admitti potest ad suffragium ferendum ; secus electio ipso iure nulla est.

Can. 952 - Si libertas in electione quoquo modo impedita est, electio ipso iure nulla est.

Can. 953 - § 1. Inhabilis est suffragium ferendi :

1° incapax actus humani ;

2° carens voce activa;

3° qui fidem catholicam publice abiecit vel a communione cum Ecclesia catholica publice defecit.

§ 2. Si quis ex praedictis admittitur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constat eo dempto electum non rettulisse requisitum numerum suffragiorum.

Can. 954 - § 1. Suffragium est nullum, nisi est :

1° liberum, et ideo nullum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo directe vel indirecte adactus est ad eligendam certam personam aut plures disiunctim;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum reprobata contraria consuetudine.

§ 2. Condiciones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae habentur.

Can. 955 - § 1. Antequam incipit electio, designentur ex gremio coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores suffragia colligant et coram praeside electionis inspiciant, an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant, quot quisque rettulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum non aequatur numero eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim peracto unoquoque scrutinio vel post sessionem, si in eadem sessione habentur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur et, postquam coram electoribus perlecta sunt, saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscribantur atque in archivo coetus asserventur.

Can. 956 - § 1. In electionibus, nisi aliter iure communi cavetur, id vim iuris habet, quod praesente quidem maiore parte eorum, qui convocari debent, placuit parti absolute maiori eorum, qui sunt praesentes, aut post duo inefficacia scrutinia parti relative maiori in tertio scrutinio; si vero suffragia aequalia fuerunt post tertium scrutinium, electus habeatur aetate senior, nisi agitur de electionibus inter solos clericos vel religiosos, quibus in casibus electus habeatur sacra ordinatione senior vel inter religiosos prima professione senior.

§ 2. Praesidis electionis est electum proclamare.

Can. 957 - § 1. Electio scripto vel alio legitimo modo statim intimanda est electo*

§ 2. Electus debet intra octiduum utile a recepta intimatione computandum manifestare praesidi coetus, utrum electionem acceptet necne ; secus electio effectum non habet.

§ 3. Si electus non acceptat, omne ius ex electione ortum amittit nec electio subsequenti acceptatione convalidatur; rursus autem eligi potest ; coetus intra mensem a cognita notitia de electione non acceptata computandum ad novam electionem procedere debet.

Can. 958 - Electus acceptatione electionis, si confirmatione non eget, officium pleno iure statim obtinet, nisi aliter iure cavetur ; secus non acquirit nisi ius ad exigendam confirmationem electionis.

Can. 959 - § 1. Electus, si electio confirmatione indiget, debet non ultra octo dies a die acceptatae electionis computandos confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium; secus omni iure ex electione orto privatur, nisi probat se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum.

§ 2. Ante acceptam confirmationem electo non licet se immiscere administrationi officii et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Can. 960 - § 1. Auctoritati competenti, si electum repperit idoneum et electio ad normam iuris peracta est, confirmationem denegare non licet.

§ 2. Recepta confirmatione electus pleno iure officium obtinet, nisi aliter iure cavetur.

Art. II

DE POSTULATIONE

Can. 961 - Electores, si electioni illius, quem aptiorem putant ac praeferunt, impedimentum canonicum obest, a quo dispensari potest, suis suffragiis eum possunt, nisi aliter iure cavetur, ab auctoritate competenti postulare.

Can. 962 - Ut postulatio vim habeat, saltem duae ex tribus partibus suffragiorum requiruntur ; secus ad electionem procedatur, ac si nihil actum sit.

Can. 963 - § 1. Coetus postulationem quam primum nec ultra octo dies mittere debet ad auctoritatem competentem, ad quam pertinet electionem confirmare; quae auctoritas, si potestatem ab impedimento dispensandi non habet et postulationem admittere vult, dispensationem ab auctoritate competenti obtinere debet ; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non est, ipso iure nulla est et coetus pro ea vice ius eligendi amittit, nisi probat se a mittenda postulatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione ; quam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Postulationem ad auctoritatem competentem missam electores revocare non possunt.

Can. 964 - § 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione ius eligendi ad coetum redit.

§ 2. Admissio véro postulationis statim intimetur postulato et servetur can. 957, §§ 2 et 3.

§ 3. Qui admissam postulationem acceptat, pleno iure statim officium obtinet.

CAPUT II

DE AMISSIONE OFFICII

Can. 965 - § 1. Amittitur officium praeter alios casus iure praescriptos elapso tempore determinato, expleta aetate iure definita, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis, a qua est collatum, officium non amittitur, nisi aliter iure cavetur.

§ 3. Elapso tempore determinato vel expleta aetate iure definita amissio officii effectum habet tantum a momento, quo ab auctoritate competenti scripto intimata est.

§ 4. Ei, qui ob expletam aetatem iure definitam aut renuntiationem officium amittit, titulus emeriti conferri potest.

Can. 966 - Amissio officii, quae effectum sortita est, quam primum omnibus nota fiat, quibus aliquod ius in provisione canonica officii competit.

Art. I

DE RENUNTIATIONE

Can. 967 - Qui sui compos est, potest officio iusta de causa renuntiare.

Can. 968 - Renuntiatio facta ex metu gravi et iniuste incusso, dolo, errore substantiali aut simoniace ipso iure nulla est.

Can. 969 - Renuntiatio, ut valeat, scripto vel coram duobus testibus auctoritati fieri debet, cui provisio canonica officii, de quo agitur, competit; nisi acceptatione eget, statim effectum sortitur.

Can. 970 - § 1. Renuntiatio, quae acceptatione eget, effectum sortitur, postquam renuntianti acceptatio renuntiationis intimata est; si vero intra tres menses renuntianti acceptatio renuntiationis intimata non est, renuntiatio omni vi caret.

§ 2. Renuntiatio nonnisi antequam eius acceptatio intimata est, a renuntiante revocari potest.

§ 3. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

Can. 971 - Ille, qui officio renuntiavit, idem officium alio ex titulo consequi potest.

Art. II

DE TRANSLATIONE

Can. 972 - § 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio, quod amittitur, et simul officio, quod confertur.

§ 2. Si translatio fit invito eo, qui officium detinet, requiritur gravis causa et servetur modus procedendi iure praescriptus salvis normis circa sodales instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum et firmo semper iure rationes contrarias exponendi.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur, scripto intimanda est.

Can. 973 - § 1. In casu translationis prius officium vacat capta possessione canonica alterius officii, nisi aliter iure cautum aut ab auctoritate competenti praescriptum est.

§ 2. Remunerationem cum priore officio conexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonicam ceperit.

Art. III

DE AMOTIONE

Can. 974 - § 1. Ab officio aliquis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime lato servatis quidem iuribus forte ex contractu quaesitis sive ipso iure ad normam can. 976.

§ 2. Decretum amotionis ut effectum sortiatur, scripto intimandum est.

Can. 975 - § 1. Nisi aliter iure cavetur, ab officio quod confertur ad tempus indeterminatum non potest aliquis amoveri nisi gravi de causa et servato modo iure praescripto ; idem valet, ut quis ab officio, quod ad tempus determinatum confertur, amoveri possit, antequam hoc tempus elapsum est.

§ 2. Ab officio, quod secundum iuris praescripta alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest aliquis iusta de causa de iudicio eiusdem auctoritatis aestimanda amoveri aequitate servata.

Can. 976 - § 1. Ipso iure ab officio amovetur :

1° qui statum clericalem amisit;

2° qui fidem catholicam publice abiecit vel a communione cum Ecclesia catholica publice defecit ;

3° clericus, qui matrimonium, etsi civile tantum, attentavit.

§ 2. Amotio,-de qua in § 1, nn. 2 et 3, urgeri tantum potest, si de eadem auctoritatis competentis declaratione constat.

Can. 977 - Si quis non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis amovetur ab officio, quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curet, ut ipsius subsistentiae per congruum tempus prospiciatur, nisi aliter provisum est.

Art. IV

DE PRIVATIONE

Can. 978 - Privatio officii nonnisi in poenam delicti infligi potest.

TITULUS XXI

DE POTESTATE REGIMINIS

Can. 979 - § 1. Potestatis regiminis, quae ex divina institutione est in Ecclesia, ad normam iuris habiles sunt, qui in ordine sacro sunt constituti.

§ 2. In exercitio potestatis regiminis ceteri christifideles ad normam iuris cooperari possunt.

Can. 980 - § 1. Potestas regiminis alia est fori externi, alia fori interni sive sacramentalis sive non sacramentalis.

§ 2. Si potestas regiminis exercetur pro solo foro interno, effectus, quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscuntur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuitur.

Can. 981 - § 1. Potestas regiminis ordinaria ea est, quae ipso iure alicui officio adnectitur ; delegata, quae ipsi personae non mediante officio conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

Can. 982 - § 1. Facultates habituales reguntur praescriptis de potestate delegata.

§ 2. Facultas habitualis vero Hierarchae concessa, nisi in eius concessione aliter cautum est aut electa est industria personae, non perimitur resoluto iure Hierarchae, cui concessa est, sed transit ad quemvis Hierarcham, qui ei in regimine succedit.

Can. 983 - § 1. Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

§ 2. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas fines sui mandati excedit, nihil agit.

§ 3. Fines sui mandati excedere non intellegitur delegatus, qui alio modo ac in mandato determinatur, ea peragit, ad quae delegatus est, nisi modus ab ipso delegante ad validitatem est praescriptus.

Can. 984 - § 1. Hierarchae sunt praeter Romanum Pontificem imprimis Patriarcha, Archiepiscopus maior, Metropolita, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, atque Episcopus eparchialis necnon illi, qui eis interim in regimine ad normam iuris succedunt.

§ 2. Hierarchae loci, praeter Romanum Pontificem, sunt Episcopus eparchialis, Exarchus, Administrator apostolicus, ii, qui, si praedicti desunt, interim legitime succedunt in regimine, itemque Protosyncellus et Syncellus ; Patriarcha vero, Archiepiscopus maior, Metropolita, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, necnon illi, qui eis interim in regimine ad normam iuris succedunt, sunt Hierarchae loci tantum circa eparchiam, quam regunt, firmo can. 101.

§ 3. Superiores maiores in institutis vitae consecratae, qui potestate regiminis ordinaria praediti sunt, etiam sunt Hierarchae, sed non loci.

Can. 985 - § 1. Potestas regiminis distinguitur in legislativam, exsecutivam et iudicialem.

§ 2. Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto et ea, quam in Ecclesia habet legislator infra supremam Ecclesiae auctoritatem, delegari valide non potest, nisi aliter iure communi cavetur ; a legislatore inferiore lex iuri superiori contraria valide ferri non potest.

§ 3. Potestas iudicialis, quam habent iudices aut collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto et delegari valide non potest nisi ad actus cuivis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

Can. 986 - Potestatem exsecutivam aliquis, etsi extra fines territorii exsistens, exercere potest in subditos, etiam a territorio absentes, nisi aliter iure communi cavetur vel ex natura rei constat; in peregrinos in territorio actu degentes, si agitur de favoribus concedendis aut de exsecutioni mandando sive iure communi sive iure particulari, quo ipsi ad normam can. 1491, § 3 tenentur.

Can. 987 - Quae iure communi et iure particulari Ecclesiae sui iuris nominatim Episcopo eparchiali in ambitu potestatis regiminis exsecutivae tribuuntur, intelleguntur competere soli Episcopo eparchiali et Exarcho exclusis Protosyncello et Syncellis nisi de mandato speciali.

Can. 988 - § 1. Potestas exsecutiva ordinaria delegari potest sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi aliter iure expresse cavetur.

§ 2. Potestas exsecutiva a Sede Apostolica vel a Patriarcha delegata subdelegari potest sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa est industria personae aut subdelegatio est expresse prohibita.

§ 3. Potestas exsecutiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata est, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus de-

terminatos delegata est, subdelegari valide non potest nisi de expressa concessione delegantis.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum valide subdelegari potest, nisi id expresse a delegante concessum est.

Can. 989 - Potestas exsecutiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen potestas delegata est, ea quoque intelleguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri non potest.

Can. 990 - § 1. Potestas exsecutiva pluribus delegata praesumitur eisdem delegata singillatim.

§ 2. Pluribus singillatim ad idem negotium agendum delegatis, qui prius negotium tractare incohavit, alios ab eodem agendo excludit, nisi postea impeditus est aut in negotio peragendo ulterius procedere noluit.

§ 3. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis omnes procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta, nisi in mandato aliter cautum est.

Can. 991 - § 1. Potestas ordinaria amittitur amisso officio, cui adnexa est.

§ 2. Nisi aliter iure cavetur, suspenditur potestas ordinaria, si contra privationem vel amotionem ab officio legitime appellatur vel recursus interponitur.

Can. 992 - § 1. Potestas delegata amittitur expleto mandato ; elapso tempore collationis vel exhausto numero casuum, pro quibus collata est ; cessante causa finali delegationis ; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti facta et ab eo acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi ex appositis clausulis apparet.

§ 2. Actus vero ex potestate delegata, quae exercetur pro solo foro interno, positus per inadvertentiam elapso tempore vel exhausto numero casuum validus est.

Can. 993 - Potestas regiminis exsecutiva non suspenditur interposito recursu, nisi aliter iure communi expresse cavetur.

Can. 994 - In errore communi de facto aut de iure itemque in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti supplet Ecclesia pro foro et externo et interno potestatem regiminis exsecutivam.

Can. 995 - Praescripta iuris de potestate regiminis exsecutiva valent, nisi aliter iure communi cavetur vel ex natura rei constat, etiam de potestate, de qua in cann. 441, § 1 et 511, § 1 et de facultatibus, quae ad validam sacramentorum celebrationem aut ministrationem iure requiruntur.

TITULUS XXII

DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA ADMINISTRATIVA

Can. 996 - Quae in canonibus huius tituli de decretis statuuntur, applicanda sunt ad omnes actus administrativos singulares, qui in foro externo ex quavis legitima potestate in Ecclesia extra iudicium ponuntur, eis exceptis, qui a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico feruntur.

Can. 997 - § 1. Qui se decreto gravatum esse censet, potest ad auctoritatem superiorem ei, qui hoc decretum tulit, ad normam iuris recurrere.

§ 2. Primus recursus adversus decreta Protosyncelli vel Syncellorum ad Episcopum eparchialem interponitur, adversus vero decreta eorum, qui ex potestate delegata agunt, ad delegantem.

Can. 998 - § 1. Valde optandum est, ut, si quis gravatum se decreto putat, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel studium forte adhibitis ita, ut per voluntariam decreti emendationem vel per iustam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia dirimatur.

§ 2. De his auctoritas superior partes hortetur, antequam recursum recipit.

Can. 999 - § 1. Antequam aliquis recursum interponit, debet revocationem vel emendationem decreti scripto ab eiusdem auctore petere intra peremptorium terminum decem dierum a die intimationis decreti computandum; qua petitione facta etiam suspensio exsecutionis ipso iure petita intellegitur.

§ 2. Obligatio petendi revocationem vel emendationem decreti non urget, si agitur de primo recursu adversus decreta, de quibus in can. 997, § 2, vel si agitur de ulterioribus recursibus exceptis recursibus adversus decreta Episcopi eparchialis, quibus quivis primus recursus decisus est.

Can. 1000 - § 1. In casibus, in quibus recursus suspendit decreti exsecutionem, idem efficit etiam petitio, de qua in can. 999, § 1.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies a recepta petitione computandos auctor decreti exsecutionem eius suspendit, potest suspensio interim peti ab auctoritate superiore, quae eam decernere potest

tantum gravi de causa et cauto, ne quid salus animarum detrimenti capiat; si postea recursus interponitur, auctoritas, quae de recursu videt, decernat, utrum suspensio exsecutionis decreti sit confirmanda an revocanda.

§ 3. Si nullus recursus intra statutum terminum adversus decretum interpositus est vel si recursus tantum ad petendam reparationem damnorum interpositus est, suspensio exsecutionis decreti ipso iure cessat.

Can. 1001 - § 1. Recursus interponi debet intra peremptorium terminum quindecim dierum.

§ 2. Terminus quindecim dierum decurrit :

1° in casu, in quo petitio revocationis vel emendationis decreti praemittenda est, ex die intimationis decreti, quo auctor prius decretum emendavit vel petitionem reiecit, aut, si nihil decrevit, ex tricesimo die a recepta petitione computando ;

2° in ceteris casibus ex die, quo decretum intimatum est.

Can. 1002 - Auctoritas superior decretum, quo recursus deciditur, intra sexaginta dies a recepto recursu computandos ferre debet, nisi ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris alios terminos statuit; si vero hoc factum non est et recurrens scripto petit, ut hoc decretum feratur, tricesimo die ab hac petitione recepta computando, si etiam tunc nihil factum est, recursus pro reiecto habetur ac si eo die per decretum reiectus sit ita, ut novus recursus adversus eum interponi possit.

Can. 1003 - In recursibus adversus decreta administrativa servetur congrua congruis referendo can. 1517; recurrens semper ius habet procuratorem vel advocatum adhibendi vitatis inutilibus moris; immo patronus ex officio constituatur, si recurrens patrono caret et auctoritas superior eum necessarium censet; semper tamen potest auctoritas superior iubere recurrentem ipsum comparere, ut interrogetur.

Can. 1004 - Auctoritas superior, quae de recursu videt, potest decretum non solum confirmare vel nullum declarare, sed etiam rescindere et revocare, non vero emendare, nisi iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris etiam haec potestas auctoritati superiori tribuitur.

Can. 1005 - Etsi decretum ab auctoritate superiore confirmatum, nullum declaratum, rescissum, revocatum vel emendatum est, de reparatione damnorum, si forte debetur, respondit ille, qui primum decretum tulit ; auctoritas superior vero eatenus tantum respondet, quatenus ex suo decreto damna obvenerunt.

Can. 1006 - Recursus adversus decretum administrativum Patriarchae, etsi agitur de decreto, quod eparchiam Patriarchae respicit, vel

de decreto, quo Patriarcha recursum decidit, fit ad specialem coetum Episcoporum ad normam iuris particularis constituendum, nisi quaestio ad Sedem Apostolicam defertur ; adversus decisionem huius coetus non datur ulterior recursus salva provocatione ad ipsum Romanum Pontificem.

TITULUS XXIII

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Can. 1007 - Ecclesia in procurando bono hominum spirituali bonis temporalibus eget et utitur, quatenus propria eius missio id postulat; quare ipsi ius nativum competit acquirendi, possidendi, administrandi atque alienandi ea bona temporalia, quae ad fines ei proprios praesertim ad cultum divinum, ad opera apostolatus et caritatis atque ad congruam ministrorum sustentationem necessaria sunt.

Can. 1008 - § 1. Romanus Pontifex .est omnium bonorum Ecclesiae temporalium supremus administrator et dispensator.

§ 2. Dominium bonorum Ecclesiae temporalium sub suprema auctoritate Romani Pontificis ad eam pertinet personam iuridicam, quae bona legitime acquisivit.

Can. 1009 - § 1. Subiectum capax bona temporalia acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi ad normam iuris canonici est quaevis persona iuridica.

§ 2. Bona temporalia omnia, quae ad personas iuridicas pertinent, sunt bona ecclesiastica.

CAPUT I

DE BONIS TEMPORALIBUS ACQUIRENDIS

Can. 1010 - Personae iuridicae bona temporalia acquirere possunt omnibus iustis modis, quibus aliis licet.

Can. 1011 - Auctoritati competenti ius est exigendi a christifidelibus, quae ad fines Ecclesiae proprios sunt necessaria.

Can. 1012 - § 1. Ius est Episcopo eparchiali, quatenus hoc necessarium est ad bonum eparchiae, de consensu consilii a rebus oeconomicis imponendi personis iuridicis sibi subditis tributa uniuscuiusque personae reditibus proportionata; nullum vero tributum imponi potest super oblationibus receptis occasione celebrationis Divinae Liturgiae.

§ 2. Personis physicis tributa imponi possunt solummodo ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris.

Can. 1013 - § 1. Episcopi eparchialis est intra limites iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris statutos determinare taxas pro variis actibus potestatis regiminis et oblationes occasione celebrationis Divinae Liturgiae, sacramentorum, sacramentalium vel quarumvis aliarum celebrationum liturgicarum, nisi aliter iure communi cavetur.

§ 2. Curent Patriarchae et Episcopi eparchiales diversarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem suam exercentes, ut collatis consiliis eadem norma de taxis et oblationibus statuatur.

Can. 1014 - In omnibus ecclesiis, quae habitualiter christifidelibus patent, Episcopus eparchialis praecipere potest, ut colligantur oblationes pro determinatis inceptis Ecclesiae.

Can. 1015 - Eleemosynas colligere personis physicis vel iuridicis non licet nisi de licentia auctoritatis, cui subiectae sunt, et de consensu scripto dato Hierarchae loci, ubi eleemosynae colliguntur.

Can. 1016 - § 1. Oblationes ad certum finem factae nonnisi ad eundem finem destinari possunt.

§ 2. Msi contrarium constat, oblationes moderatoribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae factae praesumuntur ipsi personae iuridicae datae.

§ 3. Hae oblationes repudiari non possunt nisi iusta de causa et in rebus maioris momenti de licentia Hierarchae; eiusdem Hierarchae licentia requiritur, ut acceptentur, quae onere modali vel condicione gravantur firmo can. 1042.

Can. 1017 - Praescriptionem ad normam cann. 1540 -1542 Ecclesia recipit etiam pro bonis temporalibus.

Can. 1018 - Res sacrae, quae scilicet dedicatione vel benedictione ad cultum divinum destinatae sunt, si in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, sed eas adhibere ad usus profanos non licet, nisi dedicationem vel benedictionem amiserunt; si vero ad personam iuridicam ecclesiasticam pertinent, tantum ab alia persona iuridica ecclesiastica acquiri possunt.

Can. 1019 - Res immobiles, res mobiles pretiosae, quae scilicet magni sunt momenti artis vel historiae vel materiae causa, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur; quae ad aliquam Ecclesiam sui iuris vel eparchiam pertinent, spatio quinquaginta annorum, quae vero ad aliam personam iuridicam, spatio triginta annorum.

Can. 1020 - § 1. Omnis auctoritas gravi obligatione tenetur curandi, ut bona temporalia Ecclesiae acquisita inscribantur nomine

personae iuridicae, ad quam pertinent, servatis omnibus praescriptis iuris civilis, quae iura Ecclesiae in tuto ponunt.

§ 2. Si vero iure civili non conceditur, ut bona temporalia nomine personae iuridicae inscribantur, omnis auctoritas curet, ut auditis peritis in iure civili et consilio competenti iura Ecclesiae adhibitis modis iure civili validis illaesa maneant.

§ 3. Haec praescripta serventur etiam circa bona temporalia a persona iuridica legitime possessa, quorum acquisitio documentis nondum est firmata.

§ 4. Auctoritas immediate superior tenetur urgere observantiam horum praescriptorum.

Can. 1021 - § 1. In singulis eparchiis habeatur ad normam iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris speciale institutum, quod bona vel oblationes colligat eum in finem, ut congruae necnon fundamentaliter aequali sustentationi omnium clericorum, qui in favorem eparchiae servitium praestant, apte provideatur, nisi aliter eisdem provisum est.

§ 2. Ubi praecaventia et securitas socialis necnon assistentia sanitaria in favorem clericorum nondum apte ordinatae sunt, iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris provideatur, ut erigantur instituta, quae haec sub vigilantia Hierarchae loci in tuto ponunt.

§ 3. In singulis eparchiis, quatenus opus est, constituatur modo iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris determinato massa communis, qua possunt Episcopi eparchiales obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque necessitatibus eparchiae occurrere quaque etiam eparchiae divitiores adiuvare pauperiores possunt.

CAPUT II

DE BONIS ECCLESIASTICIS ADMINISTRANDIS

Can. 1022 - § 1. Episcopi eparchialis est vigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae intra fines eparchiae sunt nec ab eius potestate regiminis sunt subducta, salvis legitimis titulis, qui eidem potiora iura tribuunt.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Hierarchae, editis opportunis instructionibus intra limites iuris communis et iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris curent, ut tota administratio bonorum ecclesiasticorum apte ordinetur.

Can. 1023 - Administratio bonorum ecclesiasticorum personae iuridicae ei competit, qui immediate eam regit, nisi aliter iure cavetur.

Can. 1024 - § 1. Actus, qui fines et modum ordinariae administrationis excedunt, administrator bonorum ecclesiasticorum valide ponere non potest nisi de consensu auctoritatis competentis scripto dato.

§ 2. In statutis determinentur actus, qui fines et modum ordinariae administrationis excedunt; si vero de hac re silent statuta, competit auctoritati, cui persona iuridica immediate subiecta est, consulto consilio competenti huiusmodi actus determinare.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem eius versum est, persona iuridica non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis.

Can. 1025 - Antequam administrator bonorum ecclesiasticorum suum officium init, debet :

1° coram Hierarcha vel eius delegato promissionem facere se proprium officium fideliter impleturum ;

2° accurato inventario ab Hierarcha recognito bonorum ecclesiasticorum suae administrationi commissorum subscribere.

Can. 1026 - Inventarii bonorum ecclesiasticorum alterum exemplar asservetur in archivo personae iuridicae, ad quam pertinent, alterum in archivo curiae eparchialis; in utroque exemplari quaelibet mutatio adnotetur, quam patrimonium stabile eiusdem personae iuridicae subire contingit.

Can. 1027 - Auctoritates debent curare, ut administratores bonorum ecclesiasticorum opportunas praestent cautiones iure civili validas, ne quid Ecclesia detrimenti capiat eisdem administratoribus morientibus vel ab ofiicio cessantibus.

Can. 1028 - § 1. Omnis administrator bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patris familias suum officium implere tenetur.

§ 2. Exinde praecipue debet :

1° vigilare, ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant neve quid detrimenti capiant initis in hunc finem, quatenus opus est, contractibus assecurationis;

2° normas servare iuris canonici et civilis necnon ea, quae a fundatore vel donatore aut ab auctoritate competenti imposita sunt, et praesertim cavere, ne ex iuris civilis inobservantia damnum Ecclesiae obveniat ;

3° reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4° curare, ut foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvatur et debiti summa capitalis opportune reddatur ;

5° pecuniam, quae de expensis forte superest et utiliter collocari potest, de consensu Hierarchae in fines Ecclesiae vel personae iuridicae collocare;

6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7° rationem administrationis exeunte unoquoque anno componere ;

8° documenta, quibus iura personae iuridicae in bona ecclesiastica nituntur, ordinare et in archivo asservare, authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo curiae eparchialis deponere.

§ 3. Praevisio accepti et expensi, ut ab administratoribus bonorum ecclesiasticorum quotannis componatur, enixe commendatur; ius particulare autem potest eam praecipere et pressius determinare modum, quo exhibenda est.

Can. 1029 - Administrator bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus, quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes praeterquam moderatas secundum legitimam consuetudinem ne faciat nisi iusta de causa pietatis aut caritatis.

Can. 1030 - Administrator bonorum ecclesiasticorum :

I° in operarum locatione etiam ius civile circa laborem et vitam socialem adamussim servet secundum principia ab Ecclesia tradita;

2° eis, qui operam ex condicto praestant, iustam remunerationem tribuat ita, ut suis ' et suorum necessitatibus convenienter providere possint.

Can. 1031 - § 1. Reprobata contraria consuetudine administrator bonorum ecclesiasticorum singulis annis rationem administrationis proprio Hierarchae reddere debet.

§ 2. De bonis temporalibus, quae Ecclesiae offeruntur, administrator bonorum ecclesiasticorum rationem publice reddat secundum modum iure particulari statutum, nisi Hierarcha loci gravi de causa aliud statuit.

Can. 1032 - Administrator bonorum ecclesiasticorum litem nomine personae iuridicae ne incohet neve contestetur in foro civili nisi de licentia Hierarchae proprii.

Can. 1033 - Administrator bonorum ecclesiasticorum, qui officium vel munus arbitratu suo dimisit, ad restitutionem tenetur, si ex arbitraria dimissione damnum Ecclesiae obvenit.

CAPUT III

DE CONTRACTIBUS, PRAESERTIM DE ALIENATIONIBUS

Can. 1034 - Quae ius civile territorii, ubi contractus initur, statuit de contractibus tam in genere quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re, quae potestati Ecclesiae subest, eisdem cum effectibus serventur.

Can. 1035 - § 1. Ad alienanda bona ecclesiastica, quae ex legitima assignatione patrimonium stabile personae iuridicae constituunt, requiritur :

1° iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas vel ratio pastoralis;

2° aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta;

3° in casibus iure praescriptis consensus auctoritatis competentis scripto datus, sine quo alienatio invalida est.

§ 2. Aliae quoque cautelae ab auctoritate competenti praescriptae serventur, ut Ecclesiae damnum vitetur.

Can. 1036 - § 1. Si valor bonorum ecclesiasticorum, quorum alienatio proponitur, continetur intra summam minimam et summam maximam a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel a Sede Apostolica statutam, requiritur consensus :

1° consilii a rebus oeconomicis et collegii consultorum eparchialium, si agitur de bonis eparchiae;

2° Episcopi eparchialis, qui in casu eget consensu consilii a rebus oeconomicis et collegii consultorum eparchialium, si agitur de bonis personae iuridicae eodem Episcopo eparchiali subiectae;

3° auctoritatis in typico vel statutis determinatae, si agitur de bonis personae iuridicae Episcopo eparchiali non subiectae.

§ 2. In Ecclesiis patriarchalibus, si valor bonorum summam maximam a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutam excedit, sed non duplo, requiritur consensus :

1° Patriarchae datus de consensu Synodi permanentis, si agitur de bonis eparchiae intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitae, nisi ius particulare eiusdem Ecclesiae aliud fert;

2° Episcopi eparchialis necnon Patriarchae datus de consensu Synodi permanentis, si agitur de bonis personae iuridicae Episcopo eparchiali intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercenti subiectae;

3° Patriarchae datus de consensu Synodi permanentis, si agitur de bonis personae iuridicae Episcopo eparchiali non subiectae, etsi iuris pontificii, quae intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sita sunt.

§ 3. In Ecclesiis patriarchalibus, si valor bonorum summam maximam a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutam duplo excedit et, si de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agitur, servetur § 2, sed Patriarcha indiget consensu eiusdem Synodi.

§ 4. In ceteris casibus requiritur consensus Sedis Apostolicae, si valor bonorum excedit summam ab ipsa Sede Apostolica statutam vel approbatam et, si de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agitur.

Can. 1037 - Ad alienanda bona temporalia Ecclesiae patriarchalis vel eparchiae Patriarchae, Patriarcha indiget :

1° consilio Synodi permanentis, si valor bonorum continetur intra summam minimam et summam maximam a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutam et si de bonis Ecclesiae patriarchalis agitur; si vero nonnisi de bonis eparchiae Patriarchae agitur, servandus est can. 1036, § 1, n. 1;

2° consensu Synodi permanentis, si valor bonorum summam maximam a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutam excedit, sed non duplo;

3° consensu Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, si valor bonorum eandem summam duplo excedit et si de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agitur.

Can. 1038 - § 1. Ii, quorum consilium, consensus vel confirmatio ad alienanda bona ecclesiastica iure requiritur, ne dent consilium, consensum vel confirmationem, antequam exacte edocti sunt de statu oeconomico personae iuridicae, cuius bona temporalia alienanda proponuntur, et de alienationibus iam peractis.

§ 2. Consilium, consensus aut confirmatio pro non datis habentur, nisi in eis petendis exprimuntur alienationes iam peractae.

Can. 1039 - Pro quacumque alienatione requiritur consensus eorum, quorum interest.

Can. 1040 - Si bona ecclesiastica contra praescripta iuris canonici alienata sunt, sed alienatio iure civili valida est, auctoritas superior illius, qui talem alienationem peregit, decernat omnibus mature perpensis, an et qualis actio, a quonam et contra quemnam proponenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda...................................

Can. 1041 - Nisi res est minimi momenti, bona ecclesiastica propriis administratoribus eorumque coniunctis usque ad quartum gradum consanguinitatis aut affinitatis non sunt vendenda aut locanda sine speciali auctoritatis, de qua in cann. 1036 et 1037, licentia.

Can. 1042 - Cann. 1035 - 1041 servari debent non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio, quo condicio patrimonialis personae iuridicae peior fieri potest.

CAPUT IV
DE PIIS VOLUNTATIBUS ET DE PIIS FUNDATIONIBUS

Can. 1043 - § 1. Qui ex iure naturae vel canonico libere potest de suis bonis statuere, potest etiam ad pias causas sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa bona relinquere.

§ 2. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri potest, praescripta iuris civilis; si servata non sunt, heredes moneantur de obligatione, qua tenentur, implendi testatoris voluntatem.

Can. 1044 - Voluntates christifidelium bona sua in pias causas donantium vel relinquentium sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa legitime acceptatae diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum firmo can. 1045.

Can. 1045 - § 1. Hierarcha omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutor est.

§ 2. Hoc ex iure Hierarcha vigilare potest ac debet etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, eique ceteri exsecutores perfuncto munere rationem reddere debent.

§ 3. Clausulae huic Hierarchae iuri contrariae ultimis voluntatibus adiectae pro non appositis habentur.

Can. 1046 - § 1. Qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Hierarcham proprium certiorem facere eique omnia talia bona cum oneribus adiunctis indicare ; si vero donator id expresse et omnino prohibuit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Hierarcha debet exigere, ut bona fiduciaria in tuto collocentur, et ad normam can. 1045, § 2 vigilare, ut pia voluntas ad effectum ducatur.

§ 3. Si agitur de bonis fiduciariis alicui sodali instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum commissis, quae destinata sunt loci vel eparchiae ecclesiis, christifidelibus, qui ibidem domicilium habent, aut piis causis iuvandis, Hierarcha, de quo in §§ 1 et 2, est Hierarcha loci.

Can. 1047 - § 1. Piae fundationes in iure sunt :

1° piae fundationes autonomae, scilicet universitates rerum ad opera pietatis, apostolatus aut caritatis spiritualis vel temporalis destinatae et ab auctoritate competenti in personam iuridicam erectae;

2° piae fundationes non autonomae, scilicet bona temporalia alicui personae iuridicae quoquo modo data cum onere in diuturnum

tempus, iure particulari determinandum, ex reditibus annuis fines, de quibus in n. 1, persequendi.

§ 2. Bona temporalia fundationis non autonomae, si concredita sunt personae iuridicae Episcopo eparchiali subiectae, elapso tempore determinato ad institutum, de quo in can. 1021, § 1, destinari debent, nisi alia fuit voluntas fundatoris expresse manifestata ; secus eidem personae iuridicae cedunt.

Can. 1048 - § 1. Piae fundationes autonomae nonnisi ab Episcopo eparchiali aliave auctoritate superiore erigi possunt.

§ 2. Ut pia fundatio non autonoma a persona iuridica valide acceptari possit, requiritur consensus Hierarchae proprii scripto datus; Hierarcha vero consensum ne det, antequam legitime comperuit personam iuridicam novo oneri suscipiendo et oneribus iam susceptis satisfacere posse; caveat quoque idem Hierarcha, ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem propriae Ecclesiae sui iuris.

§ 3. Iuris particularis est determinare ceteras condiciones, sine quibus piae fundationes erigi vel acceptari non possunt.

Can. 1049 - Hierarcha, qui piam fundationem erexit vel consensum ad piam fundationem acceptandam dedit, statim tutum locum designet, in quo pecunia et bona mobilia dotationis nomine assignata deponantur eum in finem, ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quam primum caute et utiliter de prudenti eiusdem Hierarchae iudicio consultis et eis, quorum interest, et consilio competenti collocentur in favorem eiusdem fundationis cum expresse determinata mentione oneris.

Can. 1050 - Documenti fundationis exemplar alterum in archivo curiae eparchialis, alterum in archivo personae iuridicae asservetur.

Can. 1051 - § 1. Servatis cann. 1044 -1046 et 1031 onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur, quae in loco patenti exponatur, ne obligationes implendae in oblivionem cadant.

§ 2. Liber habeatur et apud parochum vel rectorem ecclesiae asservetur, in quo singula onera eorumque impletio et eleemosynae adnotentur.

Can. 1052 - § 1. Reductio onerum Divinam Liturgiam celebrandi reservatur Sedi Apostolicae.

§ 2. Si in documento fundationis de re expresse cavetur, Hierarcha ob imminutos reditus onera Divinam Liturgiam celebrandi reducere potest.

§ 3. Episcopo eparchiali competit potestas reducendi ob deminutionem redituum, dum causa perdurat, ad rationem oblationum in epar-

chia legitime vigentium numerum celebrationum Divinae Liturgiae, dummodo nemo sit, qui obligatione tenetur et utiliter cogi potest ad oblationum augmentum faciendum.

§ 4. Episcopo eparchiali etiam competit potestas reducendi onera Divinam Liturgiam celebrandi, quae instituta ecclesiastica gravant, si reditus ad ea, quae ex eisdem tempore acceptationis onerum obtineri potuerunt, consequenda insufficientes evaserunt.

§ 5. Potestates, de quibus in §§ 3 et 4, habent etiam Superiores generales institutorum religiosorum vel societatum vitae communis ad instar religiosorum clericalium iuris pontificii vel patriarchalis.

§ 6. Potestates, de quibus in §§ 3 et 4, Episcopus eparchialis delegare potest tantummodo Episcopo coadiutori, Episcopo auxiliari, Protosyncello vel Syncellis omni subdelegatione exclusa.

Can. 1053 - Eisdem auctoritatibus, de quibus in can. 1052, potestas insuper competit transferendi iusta de causa onera Divinam Liturgiam celebrandi in dies vel instituta diversa ab illis, quae in fundatione sunt statuta.

Can. 1054 - § 1. Voluntatum christifidelium bona sua in pias causas donantium vel relinquentium reductio, moderatio, commutatio, si fundator potestatem hanc Hierarchae expresse concessit, ab eodem Hierarcha iusta tantum et necessaria de causa fieri potest.

§ 2. Si exsecutio onerum impositorum ob imminutos reditus aliave de causa nulla administratorum culpa impossibilis evasit, Hierarcha consultis eis, quorum interest, et consilio competenti atque servata quam optime fundatoris voluntate potest eadem onera aeque imminuere firmo can. 1052.

§ 3. In ceteris casibus de re adiri debet Sedes Apostolica vel Patriarcha, qui de consensu Synodi permanentis agat.

TITULUS XXIV

DE IUDICIIS IN GENERE

Can. 1055 - § 1. Obiectum iudicii sunt :

1° personarum physicarum vel iuridicarum iura persequenda aut vindicanda vel facta iuridica declaranda;

2° delicta, quod spectat ad poenam irrogandam.

§ 2. In controversiis vero ortis ex actu potestatis regiminis exsecutivae competens est solummodo auctoritas superior ad normam cann. 996 -1006.

Can. 1056 - In causis, quae alicui Dicasterio Sedis Apostolicae reservantur, tribunalia normas ab eodem Dicasterio editas sequantur oportet.

Can. 1057 - In causis servorum Dei, ut inter Sanctos referantur, serventur normae speciales a Romano Pontifice statutae.

CAPUT I

DE FORO COMPETENTI

Can. 1058 - Romanus Pontifex a nemine iudicatur.

Can. 1059 - § 1. Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet christifideli causam suam in quovis statu et gradu iudicii cognoscendam ad ipsum Romanum Pontificem deferre, qui pro toto orbe catholico iudex est supremus et qui vel ipse per se ius dicit vel per tribunalia Sedis Apostolicae vel per iudices a se delegatos.

§ 2. Haec provocatio tamen ad Romanum Pontificem interposita non suspendit excepto casu appellationis exercitium potestatis in iudice, qui causam iam cognoscere coepit quique idcirco potest iudicium prosequi usque ad sententiam definitivam, nisi constat Romanum Pontificem causam ad se advocavisse.

Can. 1060 - § 1. Soli Romano Pontifici ius est iudicandi :

1° Patriarchas;

2° Episcopos in causis poenalibus;

3° eos, qui supremum tenent civitatis magistratum;

4° alias causas, quas ipse ad suum advocavit iudicium.

§ 2. Exceptis Episcopis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercentibus ceteri Episcopi in causis contentiosis iudicantur a tribunali a Romano Pontifice designato salvo can. 1066, § 2.

§ 3. Iudex de actu vel documento a Romano Pontifice in forma specifica confirmato videre non potest, nisi illius praecessit mandatum.

Can. 1061 - Coram tribunalibus Sedis Apostolicae conveniri debent personae, quae auctoritatem superiorem infra Romanum Pontificem non habent, sive sunt personae physicae in ordine episcopatus non constitutae sive sunt personae iuridicae salvo can. 1063, § 4, nn. 3 et 4.

Can. 1062 - § 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, salva competentia Sedis Apostolicae, est superius tribunal intra fines territorii eiusdem Ecclesiae.

§ 2. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis per secreta suffragia eligere debet ad quinquennium ex suo gremio Moderatorem generalem administrationis iustitiae necnon duos Episcopos, qui cum eo praeside constituunt tribunal; si vero unus ex his tribus Episcopis est in causa vel adesse non potest, Patriarcha de consensu Synodi permanentis ei alium Episcopum substituat; item in casu recusationis videat Patriarcha de consensu Synodi permanentis.

§ 3. Huius tribunalis est iudicare causas contentiosas sive eparchiarum sive Episcoporum, etiam Episcoporum titularium.

§ 4. Appellatio in his causis fit ad Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis ulteriore appellatione remota salvo can. 1059.

§ 5. Moderatori generali administrationis iustitiae est ius vigilandi omnibus tribunalibus intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitis necnon ius decisionem ferendi in recusatione contra aliquem iudicem tribunalis ordinarii Ecclesiae patriarchalis.

Can. 1063 - § 1. Patriarcha erigere debet tribunal ordinarium Ecclesiae patriarchalis a tribunali eparchiae Patriarchae distinctum.

§ 2. Hoc tribunal proprium praesidem, iudices, promotorem iustitiae, defensores vinculi aliosque necessarios administros habeat a Patriarcha de consensu Synodi permanentis nominatos; praeses, iudices, promotor iustitiae necnon defensores vinculi amoveri non possunt nisi a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis, renuntiationem vero ab ofiicio Patriarcha solus acceptare potest.

§ 3. Hoc tribunal est tribunal appellationis in secundo et in ulterioribus gradibus iudicii ope iudicum, qui sibi invicem succedunt, pro causis in tribunalibus inferioribus iam definitis ; huic tribunali competunt etiam iura tribunalis metropolitani eis in locis territorii Ecclesiae patriarchalis, ubi provinciae erectae non sunt.

§ 4. Huic tribunali competit iudicare ope iudicum, qui sibi invicem succedunt, in primo et in ulterioribus gradibus iudicii causas :

1° Exarchorum et delegatorum Patriarchae, qui Episcopi non sunt ;

2° personarum physicarum vel iuridicarum Patriarchae immediate subiectarum ;

3° institutorum vitae consecratae iuris pontificii;

4° Superioris instituti vitae consecratae iuris pontificii, qui in eodem instituto Superiorem potestate iudiciali praeditum non habet;

5° ex iuris particularis praescripto eidem tribunali reservatas.

Can. 1064 - § 1. Tribunal metropolitanum, quod non est distinctum a tribunali eparchiae Metropolitae, est tribunal appellationis a sententiis tribunalium eparchialium.

§ 2. A causis in primo gradu iudicii pertractatis coram Metropolita aliove Episcopo eparchiali, qui auctoritatem superiorem infra Romanum Pontificem non habet, fieri debet appellatio ad tribunal ab ipso stabili modo cum approbatione Sedis Apostolicae designatum firmis cann. 139 et 175.

Can. 1065 - Tribunal tertii gradus est Sedes Apostolica, nisi aliter iure communi expresse cavetur.

Can. 1066 - § 1. In unaquaque eparchia et pro omnibus causis iure expresse non exceptis iudex in primo gradu iudicii est Episcopus eparchialis.

§ 2. Si vero agitur de iuribus aut bonis temporalibus personae iuridicae ab Episcopo eparchiali repraesentatae, iudicat in primo gradu iudicii tribunal appellationis firmo can. 1062, § 3.

Can. 1067 - § 1. Tribunal primi gradus pro pluribus eparchiis eiusdem Ecclesiae sui iuris erigi potest a Patriarcha de consensu Episcoporum eparchialium, quorum interest, si de eparchiis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitis agitur; in ceteris casibus ab ipsis Episcopis eparchialibus, qui ad hoc consenserunt approbante Sede Apostolica.

§ 2. Hoc tribunal erigi debet, si singuli Episcopi eparchiales tribunal proprium quacumque de causa erigere non possunt; intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, si casus fert, a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis hoc tribunal erigatur.

§ 3. In eparchiis, pro quibus tale tribunal erectum est, tribunal eparchiale collegiale valide erigi non potest.

§ 4. Coetui Episcoporum eparchialium, qui ad tale tribunal consenserunt, vel Episcopo eparchiali ab eodem electo competunt potestà-

tes, quas Episcopus eparchialis habet circa suum tribunal; si vero hoc tribunal a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel a Sede Apostolica erectum est, servandae sunt normae ab ipsa Synodo vel Sede Apostolica statutae.

§ 5. Appellatio ab hoc tribunali fit intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis ad tribunal ordinarium Ecclesiae patriarchalis ; in ceteris casibus vero ad tribunal stabili modo a coetu Episcoporum, de quo in § 4, cum approbatione Sedis Apostolicae vel ab ipsa Sede Apostolica designatum.

Can. 1068 - § 1. Episcopi eparchiales diversarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem suam exercentes convenire inter se possunt de constituendo tribunali communi, quod causas sive contentiosas sive poenales christifidelium alicui ex eisdem Episcopis eparchialibus subditorum cognoscat.

§ 2. Si idonei iudices aliique administri tribunalium desunt, Episcopi eparchiales curent, ut tribunal commune constituatur.

§ 3. Episcopi eparchiales, qui ad tribunal commune consenserunt, unum ex se ipsis designare debent, cui circa hoc tribunal competunt potestates, quas Episcopus eparchialis habet circa suum tribunal.

§ 4. A sententiis tribunalis communis primi gradus appellatio fit ad tribunal stabili modo a Sede Apostolica designatum.

Can. 1069 - § 1. Controversiae inter personas physicas vel iuridicas eiusdem instituti vitae consecratae, institutis saecularibus exceptis, in quo Superiores potestate regiminis praediti sunt, definiendae sunt apud iudicem vel tribunal in typico vel statutis instituti determinatum.

§ 2. Si controversia, institutis saecularibus exceptis, enascitur inter personas physicas vel iuridicas diversorum institutorum vitae consecratae aut etiam eiusdem instituti iuris eparchialis alteriusve, in quo Superiores potestate regiminis praediti non sunt, aut inter sodalem vel personam iuridicam instituti vitae consecratae et quamcumque aliam personam physicam vel iuridicam, iudicat in primo gradu iudicii tribunal eparchiale.

Can. 1070 - Auctoritas quodcumque tribunal erigens curet, ut tribunal propria statuta ab eadem auctoritate approbata habeat, in quibus iudicum aliorumque administrorum modus nominationis, muneris tempus, remuneratio necnon alia iure requisita determinari debent.

Can. 1071 - Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal cuiuscumque Ecclesiae, ut quosdam actus processuales peragat exceptis tamen illis actibus, qui decisiones iudicum implicant.

Can. 1072 - In causis, de quibus in cann. 1060, 1061, 1062, § 3 et 1063, § 4 inferiorum iudicum incompetentia est absoluta; item absoluta est incompetentia iudicis, si competentia ratione gradus iudicii statuta non servatur.

Can. 1073 - § 1. Nemo in primo gradu iudicii conveniri potest nisi coram iudice, qui competens est ob unum ex titulis, qui iure communi determinantur.

§ 2. Incompetentia iudicis, cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur relativa.

§ 3. Nisi aliter iure expresse cavetur, actor sequitur forum partis conventae; si vero pars conventa multiplex forum habet, optio fori actori conceditur.

Can. 1074 - Quilibet conveniri potest coram tribunali domicilii vel quasi-domicilii.

Can. 1075 - § 1. Vagus forum habet in loco, ubi actu commoratur.

§ 2. Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sunt, conveniri potest in foro actoris, dummodo aliud forum legitimum non suppetat.

Can. 1076 - Ratione rei sitae pars conveniri potest coram tribunali loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa est aut de spolio agitur.

Can. 1077 - § 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram tribunali loci, ubi contractus initus est vel impleri debet, nisi partes concorditer aliud tribunal elegerunt.

§ 2. Si causa versatur circa obligationes, quae ex alio titulo proveniunt, pars conveniri potest coram tribunali loci, ubi obligatio orta est vel est implenda.

Can. 1078 - In causis poenalibus accusatus, etsi absens, conveniri potest coram tribunali loci, ubi delictum patratum est.

Can. 1079 - Pars conveniri potest :

1° in causis, quae circa administrationem versantur, coram tribunali loci, ubi administratio gesta est;

2° in causis, quae respiciunt hereditates vel legata pia, coram tribunali ultimi domicilii vel quasi-domicilii vel commorationis firmo can. 1075, § 2 illius, de cuius hereditate vel legato pio agitur, nisi agitur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Can. 1080 - Si nullus ex superioribus titulis iudici suffragatur et tamen causa apud ipsum introducitur, ipse competentiam obtinet, si partes et auctoritas, cui tribunal immediate subiectum est, consentiunt.

Can. 1081 - Ratione conexionis ab uno eodemque tribunali et in eodem processu cognoscendae sunt causae inter se conexae, nisi iuris praescriptum obstat.

Can. 1082 - Ratione praeventionis, si duo vel plura tribunalia aeque competentia sunt, ei ius est causam cognoscendi, quod prius partem conventam legitime citavit.

Can. 1083 - § 1. Conflictus inter iudices, quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, definiendi sunt a tribunali appellationis illius iudicis, coram quo actio primo per libellum litis introductorium promota est.

§ 2. Si vero alterutrum tribunal est alterius tribunal appellationis, conflictus definiendus est a tribunali tertii gradus pro tribunali, in quo actio primo promota est.

§ 3. A decisionibus in his conflictibus non datur locus appellationi.

Can. 1084 - § 1. Tribunali collegiali trium iudicum reservantur :

1° causae de vinculo sacrae ordinationis;

2° causae de vinculo matrimonii firmis cann. 1372-1374;

3° causae poenales de delictis, quae poenam excommunicationis maioris, privationis officii, reductionis ad gradum inferiorem vel depositionis secumferunt ;

4° causae determinatae iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris.

§ 2. Ceterae causae tractantur a iudice unico, nisi Episcopus eparchialis certam causam collegio trium iudicum reservat.

§ 3. In primo gradu iudicii, si collegium constitui non potest, dum huiusmodi impossibilitas perdurat, Patriarcha consulta Synodo permanenti permittere potest, ut Episcopus eparchialis causas iudici unico clerico committat, qui, si fieri potest, assessorem et auditorem sibi asciscat; idem permittere potest Metropolita, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, vel etiam Metropolita Ecclesiae patriarchalis extra fines territorii eiusdem Ecclesiae constitutus, uterque consultis duobus Episcopis eparchialibus ordinatione episcopali senioribus; in ceteris casibus adeatur Sedes Apostolica.

Can. 1085 - § 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet et ad maiorem numerum suffragiorum decisiones ferre, ad validitatem quidem, si agitur :

1° de reiectione petitionis actionis reconventionalis vel causae incidentis ;

2° de definitione recursus adversus decretum praesidis;

3° de sententia, etsi interlocutoria, necnon de decretis, quae vim sententiae definitivae habent.

§ 2. Ceteros actus processuales ponens peragat, nisi collegium aliquos, non quidem ad validitatem, sibi reservavit.

§ 3. Si causa in primo gradu iudicii collegialiter cognita est, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet; si vero a iudice unico, etiam in gradu appellationis a iudice unico definienda est excepto casu, de quo in can. 1084, § 3.

CAPUT II

DE ADMINISTRIS TRIBUNALIUM

Art. I

DE VICARIO IUDICIALI, DE IUDICIBUS ET DE AUDITORIBUS

Can. 1086 - § 1. Episcopus eparchialis tenetur Vicarium iudicialem constituere cum potestate iudiciali ordinaria a Protosyncello distinctum, nisi parvitas eparchiae aut paucitas causarum aliud suadet.

§ 2. Vicarius iudicialis unum constituit tribunal cum Episcopo eparchiali, sed non potest iudicare causas, quas Episcopus eparchialis sibi reservavit.

§ 3. Vicario iudiciali dari possunt adiutores, quibus nomen est Vicariorum iudicialium adiunctorum.

§ 4. Tum Vicarius iudicialis tum Vicarii iudiciales adiuncti esse debent sacerdotes integrae famae, in iure canonico doctores vel saltem licentiati, prudentia et iustitiae zelo probati, annos nati non minus triginta.

Can. 1087 - § 1. In eparchia nominentur ab Episcopo eparchiali iudices eparchiales, qui sint clerici.

§ 2. Patriarcha consulta Synodo permanenti vel Metropolita, qui Ecclesiae metropolitanae sui iuris praeest, consultis duobus Episcopis eparchialibus ordinatione episcopali senioribus permittere potest, ut etiam alii christifideles iudices nominentur, ex quibus suadente necessitate unus assumi potest ad collegium efformandum; in ceteris casibus hac in re adeatur Sedes Apostolica.

§ 3. Iudices sint integrae famae, in iure canonico doctores vel saltem licentiati, prudentia et iustitiae zelo probati.

Can. 1088 - § 1. Vicarius iudicialis, Vicarius iudicialis adiunctus et ceteri iudices nominantur ad tempus determinatum.

§ 2. Si tempus determinatum sede eparchiali vacante elapsum est, ii amoveri non possunt, sed in officio perdurant, donec novus Episcopus eparchialis in re providerit.

§ 3. Si Vicarius iudicialis ab Administratore eparchiae nominatur, adveniente novo Episcopo eparchiali indiget confirmatione.

Can. 1089 - Iudex unicus in quolibet iudicio duos assessores ex christifidelibus probatae vitae sibi consulentes asciscere potest.

Can. 1090 - § 1. Duos iudices, qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices eparchiales Vicarius iudicialis designet ex ordine per turnum, nisi pro sua prudentia Episcopus eparchialis aliud opportunum existimavit.

§ 2. Iudices semel designatos ne subroget Vicarius iudicialis nisi gravissima de causa in decreto ad validitatem exprimenda.

Can. 1091 - § 1. Tribunali collegiali praeest, si fieri potest, Vicarius iudicialis vel Vicarius iudicialis adiunctus.

§ 2. Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus eiusdem tribunalis ponentem designare, nisi ipse vult hoc munus implere.

§ 3. Idem praeses potest ponenti alium iusta de causa substituere.

§ 4. Ponens in conventu iudicum de causa refert et sententiam scripto redigit.

Can. 1092 - Ad iudicem unicum iura tribunalis et praesidis spectant.

Can. 1093 - § 1. Iudex vel tribunalis collegialis praeses possunt auditorem designare ad causae instructionem peragendam eum seligentes aut ex tribunalis iudicibus aut ex christifidelibus ab Episcopo eparchiali ad hoc officium admissis.

§ 2. Episcopus eparchialis potest ad officium auditoris admittere christifideles, qui bonis moribus, prudentia et doctrina praestant.

§ 3. Auditoris est secundum iudicis mandatum probationes tantum colligere easque collectas iudici tradere ; potest autem, nisi iudicis mandatum obstat, interim decidere, quae et quomodo probationes colligendae sint, si forte de hac re quaestio oritur, dum ipse officium suum exercet.

Art. II

DE PROMOTORE IUSTITIAE, DE DEFENSORE VINCULI ET DE NOTARIO

Can. 1094 - Ad causas contentiosas, in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest, et ad causas poenales constituatur in eparchia promotor iustitiae, qui obligatione tenetur providendi bono publico.

Can. 1095 - § 1. In causis contentiosis Episcopi eparchialis est iudicare, utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae iure praecipitur vel ex natura rei evidenter necessarius est.

§ 2. Si in praecedenti gradu iudicii intervenit promotor iustitiae, in ulteriore gradu huius interventus praesumitur necessarius.

Can. 1096 - Ad causas, in quibus agitur de nullitate sacrae ordinationis aut de nullitate vel solutione matrimonii, constituatur in eparchia defensor vinculi, qui obligatione tenetur proponendi et exponendi omnia, quae rationabiliter adduci possunt adversus nullitatem vel solutionem.

Can. 1097 - In causis, in quibus promotoris iustitiae aut defensoris vinculi praesentia requiritur, eis non citatis acta nulla sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerunt aut saltem ante sententiam actis inspectis officio suo fungi potuerunt.

Can. 1098 - Nisi aliter iure communi expresse cavetur :

1° quoties lex praecipit, ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et defensor vinculi, si iudicio intersunt, audiendi sunt;

2° quoties instantia partis requiritur, ut iudex aliquid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, qui iudicio intersunt, eandem vim habet.

Can. 1099 - § 1. Episcopi eparchialis est promotorem iustitiae et defensorem vinculi nominare; in tribunalibus non eparchialibus iidem nominantur ad normam statutorum tribunalis, nisi aliter iure cavetur.

§ 2. Promotor iustitiae et defensor vinculi sint christifideles integrae famae, in iure canonico doctores vel saltem licentiati ac prudentia et iustitiae zelo probati.

Can. 1100 - § 1. Eadem persona, non autem in eadem causa, officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest.

§ 2. Promotor iustitiae et defensor vinculi constitui possunt ad universitatem causarum vel ad singulas causas ; possunt vero ab Episcopo eparchiali iusta de causa amoveri.

Can. 1101 - § 1. Cuilibet processui intersit notarius ita, ut nulla habeantur acta, si non sunt ab eo subscripta.

§ 2. Acta, quae notarii conficiunt, publicam fidem faciunt.

Art. III

DE ADMINISTRIS TRIBUNALIUM EX DIVERSIS EPARCHIIS VEL ECCLESIIS SUI IURIS ASSUMENDIS

Can. 1102 - § 1. Iudices aliique administri tribunalium assumi possunt ex qualibet eparchia vel instituto religioso vel societate vitae communis ad instar religiosorum propriae vel etiam alterius Ecclesiae sui iuris de consensu vero scripto dato proprii Episcopi eparchialis vel Superioris maioris.

§ 2. Iudex delegatus, nisi aliud fert delegationis mandatum, uti potest auxilio administrorum intra territorium mandantis degentium.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS IUDICUM ET ALIORUM ADMINISTRORUM TRIBUNALIUM

Can. 1103 - § 1. Christifideles omnes, in primis autem Episcopi, sedulo annitantur, ut salva iustitia lites in populo Dei, quatenus fieri potest, vitentur vel pacifice quam primum componantur.

§ 2. Iudex in limine litis et etiam quolibet alio momento, quoties spem boni exitus perspicit, partes hortari et adiuvare ne omittat, ut de aequa controversiae solutione quaerenda communi consilio curent, viasque ad hoc propositum assequendum idoneas ipsis indicet gravibus quoque hominibus ad mediationem adhibitis.

§ 3. Si vero circa bonum privatum partium causa versatur, dispiciat iudex, num transactione vel per compromissum in arbitros controversia finem habere utiliter possit.

Can. 1104 - § 1. Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium praestare debet.

§ 2. Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio ad normam canonum facta est ab eo, cuius interest, vel a promotore iustitiae.

Can. 1105 - Qui causae interfuit tamquam iudex, promotor iustitiae, defensor vinculi, procurator, advocatus, testis aut peritus non potest postea valide eandem causam in alio gradu iudicii tamquam iudex definire aut in eodem munus assessoris agere.

Can. 1106 - § 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum gradum inclusive lineae collateralis vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi aliquid ipsius interest.

§ 2. In eisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent promotor iustitiae, defensor vinculi, assessor et auditor.

Can. 1107 - § 1. Si iudex sive in tribunali ordinario sive delegato, etsi competens, recusatur, auctoritas, cui tribunal immediate subiectum est, hanc exceptionem definiat salvo can. 1062, §§ 2 et 5.

§ 2. Si Episcopus eparchialis est iudex et contra eum recusatio opponitur, abstineat a iudicando.

§ 3. Si recusatio opponitur contra ceteros tribunalis administros, de hac exceptione videat praeses in tribunali collegiali vel iudex, si unicus est.

Can. 1108 - Recusatione admissa personae mutari debent, non vero gradus iudicii.

Can. 1109 - § 1. Quaestio de recusatione expeditissime definienda est auditis partibus.

§ 2. Actus positi a iudice, antequam recusatur, validi sunt; qui autem positi sunt post propositam recusationem, rescindi debent, si pars petit, intra decem dies ab admissa recusatione computandos ; post admissam recusationem invalidi sunt.

Can. 1110 - § 1. In negotio, quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; causa autem legitime introducta iudex procedere potest et debet, etiam ex officio, in causis poenalibus et aliis causis, quae ad bonum publicum Ecclesiae aut ad salutem animarum spectant.

§ 2. Potest autem praeterea iudex partium neglegentiam in probationibus afferendis vel in exceptionibus opponendis supplere, quoties id necessarium censet ad vitandam graviter iniustam sententiam firmo can. 1283.

Can. I11i - Iudices et tribunalia curent, ut quam primum salva iustitia causae omnes terminentur ita, ut in primo gradu iudicii ultra annum ne protrahantur, in gradu appellationis vero non ultra sex menses.

Can. 1112 - Omnes, qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, promissionem de munere fideliter implendo facere debent.

Can. 1113 - § 1. In iudicio poenali semper, in iudicio contentioso autem, si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire potest, iudices et tribunalis adiutores tenentur secretum servare.

§ 2. Tenentur etiam semper et erga omnes ad secretum servandum de discussione, quae inter iudices in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis; ad hoc secretum tenentur etiam alii omnes, ad quos notitia de re quoquo modo pervenit.

§ 3. Immo, quoties natura causae vel probationum talis est, ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur vel praebeatur ansa dissidiis aut scandalum aliudve huius generis incommodum oriatur, iudex potest testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando obligare ad secretum servandum.

Can. 1114 - Iudex et omnes alii administri tribunalis occasione agendi iudicii dona quaevis acceptare prohibentur.

Can. 1115 - § 1. Iudices, qui, etsi certe et evidenter competentes sunt, ius reddere recusant vel nullo suffragante iuris praescripto se competentes declarant atque causas cognoscunt ac definiunt vel secretum lege praescriptum violant vel ex dolo aut gravi neglegentia aliud partibus damnum inferunt, congruis poenis ab auctoritate competenti puniri possunt non exclusa officii privatione.

§ 2. Eisdem poenis puniri possunt etiam ceteri administri tribunalis et adiutores, si ofiicio suo, ut supra, defuerunt ; quos omnes etiam iudex punire potest.

Can. 1116 - Si iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam, cum forte haec eidem est contraria, et idcirco iuribus partis conventae non satis consultum iri, potest ad instantiam partis conventae vel etiam ex ofiicio actori congruam cautionem imponere pro observantia sententiae ecclesiasticae.

CAPUT IV
DE ORDINE COGNITIONUM

Can. 1117 - Causae cognoscendae sunt eo ordine, quo fuerunt propositae et in albo inscriptae, nisi ex eis aliqua celerem prae ceteris expeditionem exigit, quod quidem speciali decreto rationibus suffulto statuendum est.

Can. 1118 - § 1. Vitia, quibus sententiae nullitas haberi potest, in quolibet statu vel gradu iudicii excipi possunt itemque a iudice ex ofiicio declarari.

§ 2. Exceptiones dilatoriae vero eae praesertim, quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae sunt ante litis contestationem, nisi lite iam contestata emerserunt, et quam primum definiendae.

Can. 1119 - § 1. Si exceptio proponitur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.

§ 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiat, eius decisio non admittit appellationem, sed impugnari potest per querelam nullitatis, restitutionem in integrum vel oppositionem tertii.

§ 3. Si vero iudex se incompetentem declarat, pars, quae se gravatam censet, potest intra quindecim dies utiles provocare ad tribunal appellationis.

Can. 1120 - Iudex in quovis statu iudicii se absolute incompetentem agnoscens suam incompetentiam declarare debet.

Can. 1121 - § 1. Exceptiones rei iudicatae, transactionis et aliae peremptoriae, quae dicuntur litis finitae, proponi et cognosci debent ante litis contestationem ; qui serius eas opposuit, non est reiciendus, sed expensas iudiciales solvere debet, nisi probat se oppositionem malitiose non distulisse.

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae proponantur in litis contestatione et suo tempore tractandae sunt secundum normas circa quaestiones incidentes.

Can. 1122 - § 1. Actiones reconventionales proponi valide non possunt nisi intra triginta dies a lite contestata computandos.

§ 2. Actiones reconventionales autem cognoscantur simul cum actione principali, hoc est pari gradu iudicii cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium est aut iudex id opportunius existimat.

Can. 1123 - Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum est, et aliae huiusmodi regulariter videndae sunt ante litis contestationem.

CAPUT V

DE IUDICII TERMINIS, DILATIONIBUS ET LOCO

Can. 1124 - § 1. Termini perimendis iuribus a lege constituti prorogari non possunt neque valide nisi petentibus partibus coartari.

§ 2. Ceteri autem termini, antequam elapsi sunt, possunt iusta de causa a iudice auditis vel petentibus partibus prorogari, numquam autem nisi partibus consentientibus valide coartari.

§ 3. Caveat tamen iudex, ne iudicium nimis diuturnum fiat ex prorogatione.

Can. 1125 - Si lex terminos non statuit ad actus processuales peragendos, iudex illos determinare debet habita ratione naturae uniuscuiusque actus.

Can. 1126 - Si die ad actum iudicialem indicto vav,dvit tribunal, terminus intellegitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum.

Can. 1127 - Sedes tribunalis sit, si fieri potest, stabilis, quae statutis horis pateat servatis normis iure particulari de hac re statutis.

Can. 1128 - § 1. Iudex ex territorio suo vi expulsus vel a potestate iudiciali ibi exercenda impeditus potest extra territorium potestatem suam exercere et sententiam ferre certiore tamen hac de re facto loci Episcopo eparchiali.

§ 2. Praeterea iudex iusta de causa et auditis partibus potest ad probationes acquirendas etiam extra proprium territorium se conferre de licentia tamen Episcopi eparchialis loci adeundi et in sede ab ipso designata.

CAPUT VI

DE PERSONIS IN AULAM ADMITTENDIS ET DE MODO CONFICIENDI ET ASSERVANDI ACTA

Can. 1129 - § 1. Nisi aliter iure particulari Ecclesiae sui iuris expresse cavetur, dum causae coram tribunali aguntur, ii tantummodo assint in aula, quos lex aut iudex ad processum expediendum necessarios esse statuit.

§ 2. Omnes iudicio assistentes, qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerunt, iudex potest monitione in cassum facta congruis poenis punire, advocatos praeterea et procuratores etiam a munere apud tribunalia ecclesiastica exercendo suspendere.

Can. 1130 - Si qua persona interroganda utitur lingua iudici vel partibus ignota, adhibeatur interpres iuratus a iudice designatus; declarationes tamen scripto redigantur lingua originaria et translatio addatur; interpres etiam adhibeatur, si surdus vel mutus interrogari debet, nisi forte mavult iudex quaestionibus a se datis scripto respondeatur.

Can. 1131 - § 1. Omnia acta iudicialia sive ea, quae meritum quaestionis respiciunt, seu acta causae, sive ea, quae ad formam procedendi pertinent, seu acta processus, scripto redacta esse debent.

§ 2. Singula folia actorum numerentur et authenticitatis signo muniantur.

Can. 1132 - Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis eis subscribere non potest vel non vult, id in ipsis actis adnotetur simulque iudex et notarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum esse et partem aut testem ei vel non potuisse vel noluisse subscribere.

Can. 1133 - § 1. Iudicio expleto documenta, quae in privatorum dominio sunt, restitui debent retento tamen eorum exemplari.

§ 2. Cancellarius et notarii sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum, quae sunt processui acquisita.

§ 3. Anonymae epistulae destrui debent neque de eis mentio fiat in actis; eodem modo destrui debent quaelibet alia scripta et epistulae subscriptae, quae nihil ad causae meritum conferunt vel sunt certo calumniosae.

CAPUT VII

DE ACTORE ET DE PARTE CONVENTA

Can. 1134 - Quilibet sive baptizatus sive non baptizatus potest in iudicio agere; pars autem legitime conventa respondere debet.

Can. 1135 - Etsi actor vel pars conventa procuratorem vel advocatum constituit, semper tamen tenetur in iudicio ipse adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.

Can. 1136 - § 1. Minores et ii, qui usu rationis destituti sunt, stare in iudicio tantummodo possunt per eorum parentes aut tutores vel curatores.

§ 2. Si iudex existimat eorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum aut hos non satis tueri posse ipsorum iura, tunc stent in iudicio per tutorem vel curatorem a iudice constitutum.

§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus conexis, si minores usum rationis assecuti sunt, agere et respondere possunt sine parentum vel tutoris consensu et quidem per se ipsi, si aetatem quattuordecim annorum expleverunt; secus per tutorem a iudice constitutum.

§ 4. Bonis interdicti et ii, qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo, ut de propriis delictis respondeant aut ad praescriptum iudicis ; in ceteris agere et respondere debent per suum curatorem.

Can. 1137 - Quoties adest tutor aut curator ab auctoritate civili constitutus, idem potest a iudice ecclesiastico admitti audito, si fieri potest, Episcopo eparchiali eius, cui datus est; si vero non adest aut non videtur admittendus, ipse iudex tutorem aut curatorem pro causa designet.

Can. 1138 - § 1. Personae iuridicae in iudicio stant per suos legitimos repraesentantes.

§ 2. Quoties in periculo versantur bona, ad quae alienanda alicuius consensus vel consilium vel licentia requiritur, idem consensus vel consilium vel licentia requiritur etiam ad litem incohandam vel contestandam.

§ 3. In casu vero defectus vel neglegentiae repraesentantis potest ipse Hierarcha per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum iuridicarum, quae sub eius potestate sunt.

CAPUT VIII

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET DE ADVOCATIS

Can. 1139 - § 1. Pars libere potest procuratorem et advocatum sibi constituere, sed potest etiam per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimavit.

§ 2. In iudicio poenali vero accusatus aut a se constitutum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 3. In iudicio contentioso, si agitur de minoribus aut de causa, in qua bonum publicum in discrimen vocatur, exceptis autem causis matrimonialibus, iudex parti carenti advocatum ex ofiicio constituat.

Can. 1140 - § 1. Unum sibi pars potest constituere procuratorem, qui non potest alium sibi substituere, nisi id eidem scripto permissum est.

§ 2. Si vero iusta de causa plures procuratores ab eadem parte constituuntur, hi ita designentur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.

§ 3. Advocati autem plures simul constitui possunt.

Can. 1141 - Procurator et advocatus debent esse aetate maiores et bonae famae; advocatus debet praeterea esse catholicus, nisi auctoritas, cui tribunal immediate subiectum est, aliud permittit, et doctor in iure canonico vel alioquin vere peritus et ab eadem auctoritate approbatus.

Can. 1142 - § 1. Procurator et advocatus, antequam munus suscipiunt, mandatum authenticum apud tribunal deponere debent.

§ 2. Ad iuris tamen exstinctionem impediendam iudex potest procuratorem admittere etiam non exhibito mandato, praestita, si res fert, idonea cautione; actus iudicis autem qualibet vi caret, si intra terminum peremptorium a iudice statuendum procurator mandatum non exhibet.

Can. 1143 - Nisi mandatum speciale habet, procurator non potest valide renuntiare actioni, litis instantiae vel actis iudicialibus nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros et generatim ea agere, pro quibus ius requirit mandatum speciale.

Can. 1144 - § 1. Ut procuratoris vel advocati amotio effectum sortiatur, necesse est ipsis intimetur et, si lis iam contestata est, iudex et adversa pars certiores facti sint de amotione.

§ 2. Lata sententia definitiva ius et obligatio appellandi, si mandans non renuit, procuratori manet.

Can. 1145 - Procurator et advocatus possunt a iudice dato decreto repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, gravi de causa tamen et semper salvo recursu ad tribunal appellationis.

Can. 1146 - § 1. Procurator et advocatus vetantur emere litem aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci ; quae si fecerunt, nulla est pactio et a iudice possunt poena pecuniaria puniri; advocatus praeterea ab officio suspendi, vel etiam, si recidivus est, ab auctoritate, cui tribunal immediate subiectum est, destitui et ex albo advocatorum expungi potest.

§ 2. Eodem modo puniri possunt procuratores et advocati, qui a competentibus tribunalibus causas in fraudem legis subtrahunt, ut ab aliis favorabilius definiantur.

Can. 1147 - Procuratores et advocati, qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum munus prodiderunt, a patrocinio exercendo suspendantur et poena pecuniaria aliisve congruis poenis puniantur.

Can. 1148 - In unoquoque tribunali, quatenus fieri potest, stabiles patroni constituantur ab ipso tribunali remunerationem recipientes, qui munus procuratoris vel advocati praesertim in causis matrimonialibus pro partibus, quae eos seligere malint, exerceant.

CAPUT IX

DE ACTIONIBUS ET DE EXCEPTIONIBUS

Can. 1149 - Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliter expresse cautum est, sed etiam exceptione, quae semper competit et est sua natura perpetua.

Can. 1150 - Quaevis actio exstinguitur praescriptione ad normam iuris aliove legitimo modo exceptis actionibus de statu personarum, quae numquam exstinguuntur.

Can. 1151 - Actiones contentiosae, nisi aliter iure expresse cavetur, praescriptione exstinguuntur quinquennio a die, a quo actio primum potuit proponi, computando firmis, ubi vigent, hac in re Statutis personalibus.

Can. 1152 - § 1. Omnis actio poenalis exstinguitur morte rei, condonatione auctoritatis competentis et praescriptione.

§ 2. Actio poenalis praescriptione exstinguitur triennio, nisi agitur :

1° de delictis Sedi Apostolicae reservatis ;

2° de actione ob delicta, de quibus in cann. 1450 et 1453, quae praescriptione exstinguitur quinquennio;

3° de delictis, quae non sunt iure communi punita, si iure particulari alius terminus praescriptionis statutus est.

§ 3. Praescriptio decurrit ex die, quo delictum patratum est, vel, si delictum est permanens vel habituale, ex die, quo cessavit.

Can. 1153 - § 1. Si intra terminos, de quibus in can. 1152, ex die, quo sententia condemnatoria in rem iudicatam transiit, computandos non est reo intimatum exsecutorium iudicis decretum, actio ad poenam exsequendam praescriptione exstinguitur.

§ 2. Idem valet servatis servandis, si poena per decretum extra iudicium irrogata est.

Can. 1154 - Actione poenali praescriptione exstincta :

1° non est hoc ipso exstincta actio contentiosa forte ex delicto orta ad damna reparanda;

2° si bonum publicum requirit, Hierarcha remediis opportunis administrativis non exclusa suspensione ab exercitio ministerii sacri vel amotione ab ofiicio uti potest.

Can. 1155 - Actor pluribus simul actionibus, quae tamen inter se non confligant, sive de eadem re sive de diversis, aliquem convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non excedunt.

Can. 1156 - § 1. Pars conventa potest coram eodem iudice in eodem iudicio contra actorem actionem reconventionalem proponere vel propter causae nexum cum actione principali vel ad submovendam vel ad minuendam actoris petitionem.

§ 2. Reconventio reconventionis non admittitur.

Can. 1157 - Actio reconventionalis proponenda est iudici, coram quo actio principalis instituta est, etsi ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin relative incompetenti.

Can. 1158 - § 1. Qui probabilibus saltem argumentis ostendit se ius habere super aliqua re ab alio detenta sibique damnum imminere, nisi res ipsa custodienda traditur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.

§ 2. In similibus rerum adiunctis obtineri potest, ut exercitium iuris alicui inhibeatur.

Can. 1159 - § 1. Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure satis constet.

§ 2. Sequestratio extendi potest etiam ad res debitoris, quae quolibet titulo apud alias personas reperiuntur, et ad debitoris credita.

Can. 1160 - Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum, quod timetur, potest aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offertur.

Can. 1161 - Iudex potest ei, cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit, praeviam imponere cautionem de damnis reparandis, si ius suum non probavit.

Can. 1162 - Ad naturam et vim actionis possessoriae quod attinet, servetur ius civile loci, ubi sita est res, de cuius possessione agitur.

Can. 1163 - § 1. Quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem, iudex auditis partibus decreto statim exsequendo statuere potest idoneis, si res fert, praescriptis cautionibus, ut interim necessaria alimenta praestentur, sine praeiudicio iuris per sententiam definiendi.

§ 2. Facta a parte vel a promotore iustitiae petitione ad obtinendum hoc decretum iudex audita altera parte rem expeditissime definiat, numquam autem ultra decem dies; quibus inutiliter transactis aut petitione reiecta patet recursus ad auctoritatem, cui tribunal immediate subiectum est, dummodo ipsa ne sit iudex, vel, si quis mavult, ad iudicem appellationis, qui item rem expeditissime definiat.

CAPUT X

DE MODIS EVITANDI IUDICIA

Art. I

DB TRANSACTIONE

Can. 1164 - In transactione servetur ius civile loci, ubi transactio initur.

Can. 1165 - § 1. Transactio valide fieri non potest in causis circa eas res vel ea iura, quae ad bonum publicum spectant, aliaque, de quibus partes libere disponere non possunt.

§ 2. Sed si quaestio fit de bonis temporalibus ecclesiasticis, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulat, sollemnibus iure statutis de alienatione bonorum ecclesiasticorum.

Can. 1166 - Expensarum, quas transactio postulavit, nisi aliter expresse cautum est, utraque pars dimidium solvat.

Can. 1167 - Iudex negotium transactionis non ipse per se, regulariter saltem, suscipiat tractandum, sed illud alii in iure perito committat.

Art. II

DE COMPROMISSO IN ARBITROS

Can. 1168 - § 1. Qui controversiam inter se habent, possunt scripto convenire, ut ea ab arbitris dirimatur.

§ 2. Idem scripto convenire possunt, qui contractum inter se ineunt vel inierunt, quod attinet ad controversias ex eo contractu forte orituras.

Can. 1169 - Non possunt valide in arbitros compromitti controversiae, de quibus transactio fieri vetatur.

Can. 1170 - § 1. Unus vel plures arbitri constitui possunt, dispari tamen numero.

§ 2. In ipso compromisso, nisi nominatim designantur, debet saltem eorum numerus determinari et simul ratio statui, qua nominandi et substituendi sunt.

Can. 1171 - Compromissum est nullum, si:

I° servatae non sunt normae statutae ad validitatem contractuum, qui ordinariam administrationem excedunt;

2° scripto non est factum ;

3° procurator sine mandato speciali in arbitros compromisit aut violata sunt praescripta cann. 1169 vel 1170;

4° controversia non est vel orta vel ex certo contractu oritura ad normam can. 1168, § 2.

Can. 1172 - Munus arbitri valide gerere non possunt:

1° minores;

2° poena excommunicationis, etiam minoris, suspensionis vel depositionis puniti;

3° sodales instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum sine licentia Superioris.

Can. 1173 - Arbitri nominatio vim non habet, nisi ipse scripto munus acceptat.

Can. 1174 - § 1. Si arbitri non sunt in compromisso designati vel si sufficiendi sunt et partes aliive, quibus designatio demandata est, dissentiunt de omnibus vel nonnullis arbitris seligendis, quaelibet pars potest id tribunali, quod competens est ad causam in primo gradu iudicii definiendam, committere, nisi partes aliter convenerunt; tribunal auditis ceteris partibus decreto provideat.

§ 2. Eadem norma servanda est, si qua pars aliusve neglegit arbitrum designare, dummodo tamen pars, quae tribunal adiit, viginti saltem ante dies suos arbitros, si forte debuit, designaverit.

Can. 1175 - De recusatione autem arbitrorum videt tribunal, de quo in can. 1174, § 1, quod auditis arbitris recusatis et partibus decreto quaestionem dirimat; si recusationem acceptat, alios arbitros sufficiat, nisi in compromisso aliter cautum est.

Can. 1176 - § 1. Obligationes arbitrorum in ipso compromisso statuendae sunt, eae quoque, quae ad secretum servandum spectant.

§ 2. Nisi partes aliud statuerunt, arbitri rationem procedendi libere seligunt; haec autem simplex sit et termini sint breves aequitate servata et ratione habita legis processualis.

§ 3. Arbitri quavis potestate coercitiva carent; necessitate exigente adire debent tribunal competens ad causam cognoscendam.

Can. 1177 - § 1. Quaestiones incidentes, quae forte exoriuntur, ipsi arbitri decreto dirimant.

§ 2. Si vero quaestio praeiudicialis oritur, de qua compromitti in arbitros non potest, arbitri debent suspendere processum, donec de illa quaestione partes a iudice obtinuerint et arbitris notificaverint sententiam, quae transiit in rem iudicatam, vel, si quaestio est de statu personarum, sententiam, quae exsecutioni mandari potest.

Can. 1178 - Nisi partes aliter statuerunt, sententia arbitralis ferri debet intra sex menses a die, quo omnes arbitri suum munus acceptaverunt, computandos; terminus prorogari potest a partibus.

Can. 1179 - § 1. Sententia arbitralis ad maiorem numerum suffragiorum fertur.

§ 2. Si res patitur, sententia arbitralis ab ipsis arbitris redigatur ad modum sententiae iudicialis et a singulis arbitris subscribatur; ad eiusdem autem validitatem requiritur et sufficit, ut maior eorum numerus eidem subscribat.

Can. 1180 - § 1. Nisi sententia arbitralis est nulla propter gravem arbitrorum culpam, arbitri ius habent ad suarum expensarum solutionem; qua de re possunt opportunas cautiones exigere.

§ 2. Suadetur, ut arbitri gratuitam operam praestent, secus de remuneratione in ipso compromisso provideatur.

Can. 1181 - § 1. Integer textus sententiae arbitralis intra quindecim dies ad cancellariam tribunalis eparchiae, ubi sententia lata est, deponi debet ; intra quinque dies a depositione computandos, nisi certo constat sententiam arbitralem nullitate affectam esse, Vicarius iudicialis per se vel per alium decretum confirmationis ferat partibus statim intimandum.

§ 2. Si Vicarius iudicialis hoc decretum ferre recusat, pars, cuius interest, recurrere potest ad tribunal appellationis, a quo quaestio expeditissime definienda est; si vero Vicarius iudicialis continuum mensem silet, eadem pars instare potest, ut ipse munere suo fungatur; si vero nihilominus silet, elapsis quinque diebus pars potest recursum ad tribunal appellationis interponere, quod item quaestionem expeditissime definiat.

§ 3. Si certo constat sententiam arbitralem nullitate affectam esse ob neglecta praescripta ad validitatem compromissi statuta, Vicarius iudicialis nullitatem declaret ac partibus quam primum notificet omni recursu adversus hanc declarationem remoto.

***§ à.* Sententia arbitralis transit in rem iudicatam statim ac decretum confirmationis latum est firmo can. 1182.**

Can. 1182 - § 1. Appellatio a sententia arbitrali tunc tantum admittitur, si partes scripto inter se convenerunt eam huic remedio subiectum iri ; quo in casu appellatio interponenda est intra decem dies ab intimatione decreti confirmationis computandos coram ipso iudice, qui decretum tulit; si vero alius est iudex competens ad appellationem recipiendam, prosecutio coram eo intra mensem est facienda.

§ 2. Sententia arbitralis, a qua appellatio admittitur, transit in rem iudicatam ad normam can. 1322.

Can. 1183 - De querela nullitatis contra sententiam arbitralem, quae in rem iudicatam transiit, de restitutione in integrum, si de eiusdem sententiae iniustitia manifesto constat, de oppositione tertii necnon de correctione erroris materialis sententiae videt iudex, qui decretum confirmationis tulit, ad ordinariam normam iuris.

Can. 1184 - § 1. Exsecutio sententiae arbitralis fieri potest in eisdem casibus, in quibus admittitur exsecutio sententiae iudicialis.

§ 2. Sententiam arbitralem exsecutioni mandare debet per se vel per alium Episcopus eparchialis eparchiae, ubi lata est, nisi partes alium exsecutorem designaverunt.

TITULUS XXV

DE IUDICIO CONTENTIOSO

CAPUT I

DE IUDICIO CONTENTIOSO ORDINARIO

Art. I

DE LIBELLO LITIS INTRODUCTORIO

Can. 1185 - Qui aliquem convenire vult, debet libellum litis introductorium competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponitur et ministerium iudicis expostulatur.

Can. 1186 - § 1. Petitionem oralem iudex admittere potest, quoties vel actor impeditur, ne libellum litis introductorium exhibeat, vel causa est facilis investigationis et minoris momenti.

§ 2. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scripto actum redigere, qui coram actore legendus et ab eo approbandus est quique locum tenet libelli litis introductorii ab actore scripti ad omnes iuris effectus.

Can. 1187 - Libellus litis introductorius debet :

1° exprimere, coram quo iudice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur;

2° indicare, quo iure innitatur actor et generatim saltem quibus factis et probationibus ad evincenda ea, quae asseruntur;

3° subscribi ab actore vel eius procuratore appositis die, mense et anno necnon loco, ubi actor vel eius procurator habitant aut residere se dixerunt actorum recipiendorum gratia;

4° indicare domicilium vel quasi-domicilium partis conventae.

Can. 1188 - § 1. Iudex unicus vel tribunalis collegialis praeses, postquam vidit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam standi in iudicio non deesse, debet suo decreto quam primum libellum litis introductorium aut admittere aut reicere.

§ 2. Libellus litis introductorius reici potest tantum, si :

1° iudex vel tribunal incompetens est;

2° sine dubio constat actori deesse legitimam personam standi in iudicio;

3° non servatus est can. 1187, nn. 1 - 3;

4° certo patet ex ipso libello litis introductorio petitionem quolibet carere fundamento neque fieri posse, ut aliquod ex processu fundamentum appareat.

§ 3. Si libellus litis introductorius reiectus est ob vitia, quae emendari possunt, actor libellum emendatum potest eidem iudici denuo exhibere.

§ 4. Adversus libelli litis introductorii reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum rationibus suffultum interponere ad tribunal appellationis vel, si libellus reiectus est a praeside, ad collegium; quaestio autem reiectionis expeditissime definienda est.

Can. 1189 - Si iudex intra mensem ab exhibito libello litis introductorio computandum decretum non edidit, quo libellum admittit vel reicit, pars, cuius interest, instare potest, ut iudex suo munere fungatur ; si vero nihilominus iudex silet, inutiliter elapsis decem diebus a facta instantia computandis libellus pro admisso habeatur.

Art. II

DE CITATIONE ET DE INTIMATIONE VEL NOTIFICATIONE ACTORUM IUDICIALIUM

Can. 1190 - § 1. In decreto, quo actoris libellus litis introductorius admittitur, debet iudex vel praeses tribunalis ceteras partes in iudicium vocare seu citare ad litem contestandam statuens, utrum eae scripto respondere debeant an coram ipso se sistere ad dubia concordanda; si vero ex responsionibus scripto datis perspicit necessitatem partes convocandi, id potest novo decreto statuere.

§ 2. Si libellus litis introductorius pro admisso habetur ad normam can. 1189, decretum citationis in iudicium fieri debet intra viginti dies a facta instantia, de qua in eo canone, computandos.

§ 3. Si vero partes de facto coram iudice se sistunt ad causam agendam, non requiritur citatio, sed notarius indicet in actis partes iudicio affuisse.

Can. 1191 - § 1. Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae intimari et simul ceteris, qui comparere debent, notum fieri.

§ 2. Citationi libellus litis introductorius adiungatur, nisi iudex gravi de causa censet libellum notificandum non esse parti, antequam haec deposuit in iudicio.

§ 3. Si actio instituitur adversus eum, qui non habet liberum exercitium suorum iurium vel liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, citatio intimanda est ei, per quem ille in iudicio stare debet ad normam iuris.

Can. 1192 - § 1. Citationum, decretorum, sententiarum aliorumque actorum iudicialium intimatio vel notificatio facienda est per publicos tabellarios cum syngrapha receptionis vel alio modo, qui tutissimus est, servatis legibus iuris particularis.

§ 2. De facto intimationis vel notificationis et de eius modo constare debet in actis.

§ 3. Pars conventa, quae citationem recipere recusat vel quae impedit, ne citatio ad se perveniat, legitime citata habeatur.

Can. 1193 - Si citatio non est legitime intimata, nulla sunt acta processus, nisi pars nihilominus comparuit ad causam agendam.

Can. 1194 - Si citatio legitime intimata est aut partes coram iudice steterunt ad causam agendam :

1° res desinit esse integra;

2° causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est ;

3° in iudice delegato firma redditur potestas delegata ita, ut non amittatur resoluto iure delegantis;

4° interrumpitur praescriptio, nisi aliter cautum est;

5° litis instantiae initium fit et ideo statim locum habet principium secundum quod lite pendente nihil innovetur.

Art. III

DE LITIS CONTESTATIONE

Can. 1195 - § 1. Litis contestatio habetur, cum per iudicis decretum controversiae obiectum ex partium petitionibus et responsionibus desumptum definitur.

§ 2. Partium petitiones responsionesque praeterquam in libello litis introductorio possunt vel in responsione ad citationem exprimi vel in declarationibus ore coram iudice factis ; in causis autem difficilioribus partes convocandae sunt a iudice ad dubium vel dubia concordanda, quibus in sententia respondendum sit.

§ 3. Decretum iudicis partibus intimandum est; quae nisi iam consenserunt, possunt intra decem dies ad eundem iudicem recurrere, ut decretum mutetur ; res autem expeditissime decreto eiusdem iudicis definienda est.

Can. 1196 - Obiectum controversiae semel definitum mutari valide non potest nisi novo decreto, gravi de causa, ad instantiam partis et auditis ceteris partibus earumque rationibus perpensis.

Can. 1197 - Lite contestata possessor rei alienae desinit esse bonae fidei ideoque, si damnatur, ut rem restituat, fructus quoque a die litis contestationis reddere debet et damna reparare.

Can. 1198 - Lite contestata iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis.

Art. IV
DE LITIS INSTANTIAE SUSPENSIONE, PEREMPTIONE ET RENUNTIATIONE

Can. 1199 - Si pars moritur aut statum mutat aut cessat ab ofiicio, cuius ratione agit:

1° causa nondum conclusa litis instantia suspenditur, donec heres defuncti aut successor aut is, cuius interest, litis instantiam resumpserit;

2° causa conclusa iudex procedere debet ad ulteriora citato procuratore, si adest, secus defuncti herede vel successore.

Can. 1200 - § 1. Si a munere cessat aut tutor vel curator aut procurator vel advocatus, qui sunt ad normam can. 1139 necessarii, litis instantia interim suspenditur.

§ 2. Alium autem tutorem vel curatorem iudex quam primum constituat; procuratorem vero ad litem vel advocatum constituere potest, si pars neglexit intra brevem terminum ab ipso iudice statutum.

Can. 1201 - Si nullus actus processualis nullo obstante impedimento ponitur a partibus per sex menses, litis instantia perimitur.

Can. 1202 - Peremptio effectum habet ipso iure et adversus omnes, etiam minores, atque etiam ex ofiicio declarari debet salvo iure petendi indemnitatem adversus tutores, curatores, administratores, procuratores, qui culpa se caruisse non probaverunt.

Can. 1203 - Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; immo haec vim habere possunt etiam in alio iudicio, dummodo causa inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum.

Can. 1204 - Perempti iudicii expensas, quas unaquaeque ex partibus fecit, ipsa solvere debet.

Can. 1205 - § 1. In quolibet statu et gradu iudicii potest actor litis instantiae renuntiare; item tum actor tum pars conventa possunt actis processus renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Tutores et administratores personarum iuridicarum, ut renuntiare possint litis instantiae, egent consilio vel consensu eorum, quorum concursus requiritur ad ponendos actus, qui ordinariae administrationis fines excedunt.

§ 3. Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto eademque a parte vel ab eius procuratore speciali tamen mandato munito debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari vel non impugnari et ab iudice admitti.

Can. 1206 - Renuntiatio a iudice admissa pro actis, quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio litis instantiae itemque obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum est.

Art. V

DE PROBATIONIBUS

Can. 1207 - § 1. Onus probandi incumbit ei, qui asserit.

§ 2. Non indigent probatione :

1° quae ab ipso iure praesumuntur;

2° facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi iure vel a iudice probatio nihilominus exigitur.

Can. 1208 - § 1. Probationes cuiuslibet generis, quae ad causam cognoscendam utiles videntur et sunt licitae, adduci possunt.

§ 2. Si pars instat, ut probatio a iudice reiecta admittatur, ipse iudex rem expeditissime definiat.

Can. 1209 - Si pars vel testis se sistere ad respondendum coram iudice renuunt, licet eos audire per personam a iudice designatam aut requirere eorum declarationem coram publico notario vel quovis alio legitimo modo.

Can. 1210 - Iudex ad probationes colligendas ne procedat ante litis contestationem nisi gravi de causa.

1° De partium declarationibus

Can. 1211 - Iudex ad veritatem aptius eruendam partes interrogare semper potest, immo debet ad instantiam partis vel ad probandum factum, quod publice interest extra dubium poni.

Can. 1212 - § 1. Pars legitime interrogata respondere debet et veritatem integre fateri, nisi responsione revelatur delictum ab ipsa commissum.

§ 2. Si vero respondere recusavit, iudicis est aestimare, quid ad factorum probationem exinde erui possit.

Can. 1213 - In casibus, in quibus bonum publicum in causa est, iudex partibus interrogandis iusiurandum de veritate dicenda aut saltem de veritate dictorum deferat, nisi gravis causa aliud suadet ; in aliis casibus potest pro sua prudentia.

Can. 1214 - Partes, promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur.

Can. 1215 - Circa partium interrogationes serventur congrua congruis referendo canones de interrogatione testium.

Can. 1216 - Assertio de aliquo facto scripto vel ore coram iudice competenti ab aliqua parte contra se peracta circa ipsam materiam iudicii sive sua sponte sive iudice interrogante est confessio iudicialis.

Can. 1217 - § 1. Confessio iudicialis unius partis, si agitur de negotio aliquo privato et in causa non est bonum publicum, ceteras relevat ab onere probandi.

§ 2. In causis autem, quae ad bonum publicum spectant, confessio iudicialis et ceterae declarationes partium vim probandi habere possunt a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis, sed vis plenae probationis eis tribui non potest, nisi alia accedunt elementa, quae eas omnino corroborant.

Can. 1218 -¿ Circa confessionem extraiudicialem in iudicium deductam iudicis est perpensis omnibus adiunctis aestimare, quanti facienda sit.

Can. 1219 - Confessio vel alia quaevis partis declaratio qualibet vi caret, si constat eam ex errore facti esse prolatam aut vi vel metu gravi extortam.

2° De probatione per documenta

Can. 1220 - In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 1221 - § 1. Documenta publica ecclesiastica ea sunt, quae persona ratione sui muneris publici in Ecclesia confecit servatis sollemnibus iure praescriptis.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt, quae secundum ius civile talia censentur.

§ 3. Cetera documenta sunt privata.

Can. 1222 - Documenta publica fidem faciunt de eis, quae directe et principaliter in eis affirmantur, nisi contrariis et evidentibus argumentis aliud evincitur, firmo iure civili loci, ad documenta civilia quod spectat, aliud statuente.

Can. 1223 - Documentum privatum sive agnitum a parte sive recognitum a iudice eandem probandi vim habet adversus auctorem documenti vel eum, qui documento subscripsit, et causam ab eis habentes ac confessio extraiudicialis ; adversus autem extraneos vim probandi habere potest a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis, sed vis plenae probationis ei tribui non potest, nisi • alia accedunt elementa, quae id omnino corroborant.

Can. 1224 - Si documenta abrasa, correcta, interpolata aliove vitio infecta demonstrantur, iudicis est aestimare, num et quanti huiusmodi documenta sint facienda.

Can. 1225 - Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sunt aut in exemplari authentico exhibita et penes cancellariam tribunalis deposita, ut a iudice et a partibus examinari possint.

Can. 1226 - Iudex praecipere potest, ut documentum utrique parti commune exhibeatur in iudicio.

Can. 1227 - § 1. Nemo exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari non possunt sine periculo damni, de quo in can. 1229, § 2, n. 2, aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Si vero aliqua saltem documenti pars describi potest et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest, ut eadem producatur.

3° De testibus et de testimoniis

Can. 1228 - Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur sub iudicis moderatione.

Can. 1229 - § 1. Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent.

§ 2. Firmo can. 1231 ab obligatione respondendi eximuntur :

I° clerici, quod attinet ad ea, quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique, qui secretum servare etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia secreto obnoxia;

2° qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consan guiñéis vel affinibus infamiam, periculosas vexationes aliave mala gravia obventura timent.

a) Qui testes esse possunt

Can. 1230 - Omnes possunt esse testes, nisi iure expresse repelluntur vel in totum vel ex parte.

Can. 1231 - § 1. Ne admittantur ad testimonium ferendum minores infra decimum quartum aetatis annum et mente debiles ; audiri tamen possunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaratur.

§ 2. Incapaces ad testimonium ferendum habentur :

1° qui partes sunt in causa aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique, qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;

2° sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi paenitens eorum manifestationem petiit ; immo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis sacramentalis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

b) De inducendis et excludendis testibus

Can. 1232 - Pars, quae testem induxit, potest eius interrogationi renuntiare ; sed pars adversa postulare potest, ut nihilominus testis interrogetur.

Can. 1233 - § 1. Si probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur.

§ 2. Exhibeantur intra terminum a iudice praestitutum articuli argumentorum, super quibus petitur testium interrogatio; alioquin petitio censeatur deserta.

Can. 1234 - Iudicis est nimiam multitudinem testium refrenare.

Can. 1235 - Antequam testes interrogantur, eorum nomina cum partibus communicentur ; si vero id prudenti iudicis existimatione fieri sine gravi difficultate non potest, saltem ante publicationem testimoniorum fiat.

Can. 1236 - Firmo can. 1231 pars petere potest, ut testis excludatur, si iusta causa demonstratur, antequam testis interrogatur.

Can. 1237 - Citatio testis fit decreto iudicis testi legitime intimato.

Can. 1238 - Testis ad normam iuris a iudice citatus pareat aut causam suae absentiae iudici notam faciat.

c) De interrogatione testium

Can. 1239 - § 1. Testes interrogandi sunt in sede tribunalis, nisi aliud iudici videtur.

§ 2. Episcopi et ii, qui suae civitatis iure simili favore gaudent, audiantur in loco ab ipsis selecto.

§ 3. Iudex decernat, ubi audiendi sint ii, quibus propter distantiam, morbum aliudve impedimentum impossibile vel difficile est sedem tribunalis adire, firmis cann. 1071 et 1128.

Can. 1240 - Interrogationi testium partes assistere non possunt, nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuit; assistere tamen possunt earum procuratores vel advocati, nisi iudex propter rerum et personarum adiuncta censuit secreto esse procedendum.

Can. 1241 - § 1. Testes seorsum singuli interrogandi sunt.

§ 2. Si testes inter se aut cum parte in re gravi dissentiunt, iudex discrepantes inter se conferre potest remotis, quatenus fieri potest, dissidiis et scandalo.

Can. 1242 - Interrogatio testis fit a iudice vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius; quare partes vel promotor iustitiae vel defensor vinculi vel advocati, qui interrogationi intersunt, si alias interrogationes testi faciendas habent, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat, nisi aliter iure particulari cavetur.

Can. 1243 - § 1. Iudex testi in mentem revocet gravem obligationem dicendi totam et solam veritatem.

§ 2. Iudex testi deferat iusiurandum secundum can. 1213; si vero testis renuit illud emittere, iniuratus audiatur.

Can. 1244 - Iudex imprimis testis identitatem comprobet; exquirat, quaenam sit ei cum partibus necessitudo et, cum testi interrogationes specificas circa causam defert, sciscitetur quoque fontes eius scientiae et, quo determinato tempore ea, quae asserit, cognoverit.

Can. 1245 - Interrogationes breves sint, interrogandi captui accommodatae, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam, quae agitur.

Can. 1246 - § 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.

§ 2. Si vero ea, quae testificanda sunt, ita a memoria sunt remota, ut, nisi antea recoluntur, certo affirmari non possint, potest iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censet.

Can. 1247 - Testes ore testimonium dicant et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agitur; hoc enim in casu adnotationes, quas secum attulerunt, consulere possunt.

Can. 1248 - § 1. Responsio statim redigenda est scripto a notario, qui referre debet ipsa verba testimonii saltem, quod attinet ad ea, quae obiectum iudicii directe attingunt.

§ 2. Admitti potest usus in ven torum technicorum, quibus voces reproducuntur, dummodo deinde responsiones scripto consignentur et subscribantur, si fieri potest, ab iis, qui responsiones dederunt.

Can. 1249 - Notarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex ofiicio additis et generatim de omnibus memoria dignis, quae forte acciderunt, dum testes interrogati sunt.

Can. 1250 - § 1. In fine interrogationis coram teste legi debent, quae notarius de eius responsionibus scripto redegit, vel testi audita facere, quae ope inventi technici de eius responsionibus incisa sunt, dato eidem testi iure addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 1251 - Testes, etsi iam interrogati, possunt parte postulante aut ex ofiicio, antequam testimonia publicantur, denuo ad interrogationem vocari, si iudex id necessarium vel utile ducit, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae quodvis absit periculum.

Can. 1252 - Testibus secundum aequam iudicis taxationem solvi debent expensae, quas fecerunt, et lucrum, quod amiserunt, testimonii ferendi causa.

d) De testimoniorum fide

Can. 1253 - In aestimandis testimoniis iudex requisitis, si opus est, testimonialibus litteris consideret :

1° quae condicio sit personae quaeve honestas ;

2° utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama aut de auditu ab aliis;

3° utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat an varius, incertus vel vacillans;

4° utrum testimonii contestes habeat aliisve probationis elementis confirmetur necne.

Can. 1254 - Unius testis testimonium plenam fidem facere non potest, nisi agitur de teste qualificato, qui testimonium fert de rebus ex ofiicio gestis, aut rerum et personarum adiuncta aliud suadent.

4° De peritis

Can. 1255 - Peritorum opera utendum est, quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum praeceptis artis vel scientiae innixum requiruntur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 1256 - Iudicis est peritos nominare auditis vel proponentibus partibus aut, si casus fert, relationes ab aliis peritis iam factas assumere.

Can. 1257 - Eisdem de causis ac testis etiam periti excluduntur aut recusari possunt.

Can. 1258 - § 1. Iudex attentis eis, quae a partibus forte deducuntur, singula capita decreto suo definiat, circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia, quibus egere potest ad suum munus exsequendum.

§ 3. Iudex ipso perito audito tempus determinet, intra quod examen perficiendum est et relatio danda.

Can. 1259 - § 1. Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi iudex iubet unam fieri a singulis subscribendam; quae si fit, opinionum diversitates, si quae fuerunt, diligenter adnotentur.

§ 2. Periti debent indicare perspicue, quibus documentis vel aliis idoneis modis certiores facti sint de personarum vel rerum vel locorum identitate, qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus prae aliis argumentis suae conclusiones nitantur.

§ 3. Peritus vocari potest a iudice, ut explicationes, quae ulterius necessariae videntur, suppeditet.

Can. 1260 - § 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet, quibus argumentis motus peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 1261 - Peritis solvendae sunt expensae et remuneratio a iudice ex bono et aequo determinandae servato iure particulari.

Can. 1262 - § 1. Partes possunt peritos privatos a iudice approbandos designare.

§ 2. Periti privati, si iudex admittit, possunt acta causae, quatenus opus est, inspicere, exsecutioni peritiae interesse, semper autem possunt suam relationem exhibere.

5° De accessu et de recognitione iudiciali

Can. 1263 - Si ad definitionem causae iudex opportunum duxit ad aliquem locum accedere vel aliquam rem inspicere, decreto id praestituat, quo ea, quae in accessu vel in recognitione iudiciali praestanda sunt, auditis partibus summatim describat.

Can. 1264 - Peracti accessus vel recognitionis iudicialis documentum conficiatur.

6° De praesumptionibus

Can. 1265 - Praesumptiones, quae ab ipso iure non statuuntur, iudex, ut ad iustam sententiam deveniat, conicere potest, dummodo hoc fiat ex facto certo et determinato, quod cum obiecto controversiae cohaeret.

Can. 1266 - Qui pro se habet ea, quae ab ipso iure praesumuntur, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

Art. VI

DE CAUSIS INCIDENTIBUS

Can. 1267 - Causa incidens habetur, quoties incepta litis instantia quaestio proponitur, quae, etsi libello litis introductorio non continetur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet, ut solvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 1268 - Causa incidens proponitur scripto vel ore indicato nexu, qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

Can. 1269 - § 1. Iudex recepta petitione et auditis partibus expeditissime definiat, utrum proposita quaestio incidens fundamentum habere videatur et nexum cum causa principali an vero sit in limine reicienda, et, si eam admittit, num talis sit gravitatis, ut debeat solvi per sententiam interlocutoriam vel per decretum.

§ 2. Cum vero iudicat quaestionem incidentem non esse solvendam ante sententiam definitivam, decernat, ut eiusdem ratio habeatur, cum causa principalis definietur.

Can. 1270 - § 1. Si quaestio incidens solvi debet per sententiam, serventur canones de iudicio contentioso summario, nisi attenta rei gravitate aliud iudici videtur.

§ 2. Si vero solvi debet per decretum, tribunal potest rem committere auditori vel praesidi.

Can. 1271 - Antequam finitur causa principalis, iudex vel tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam iusta de causa revocare aut reformare sive ad instantiam partis sive ex ofiicio auditis partibus.

I° De partibus non comparentibus

Can. 1272 - § 1. Si pars conventa citata non comparuit nec idoneam absentiae excusationem attulit aut non respondit ad normam can. 1190, § 1, iudex eam decreto a iudicio absentem declaret et decernat, ut causa servatis servandis usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem procedat.

§ 2. Antequam hoc decretum fertur, debet etiam per novam citationem, si opus est, constare citationem legitime factam ad partem conventam tempore utili pervenisse.

Can. 1273 - § 1. Si pars conventa deinde in iudicio se sistit aut responsum dedit ante causae definitionem, conclusiones et probationes afferre potest firmo can. 1283; caveat autem iudex, ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

§ 2. Etsi pars conventa non comparuit aut responsum non dedit ante causae definitionem, impugnationibus uti potest adversus sententiam; si vero probat se legitimo impedimento fuisse detentam, quod sine sua culpa antea demonstrare non potuit, querela nullitatis uti potest.

Can. 1274 - Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque comparuit neque idoneam excusationem attulit :

1° iudex eum citet iterum;

2° si actor novae citationi non paruit, praesumitur litis instantiae renuntiavisse ;

3° si vero postea in processu intervenire vult, servetur can. 1273.

Can. 1275 - § 1. Pars absens a iudicio, quae iustum impedimentum non probavit, tenetur obligatione solvendi expensas iudiciales, quae ob ipsius absentiam factae sunt, necnon, si opus est, indemnitatem alteri parti praestandi.

§ 2. Si et actor et pars conventa fuerunt absentes a iudicio, uterque per se ipse respondet, ut integrae expensae iudiciales solvantur.

2° De interventu tertii in causa

Can. 1276 - § 1. Is, cuius interest, admitti potest ad interveniendum in causa in quolibet gradu iudicii sive ut pars, quae proprium ius defendit, sive accessorie ad aliquam partem adiuvandam.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstret.

§ 3. **Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu iudicii, in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenit.**

Can. 1277 - Tertium, cuius interventus videtur necessarius, iudex auditis partibus debet in iudicium vocare.

3° De attentatis lite pendente

Can. 1278 - Attentatum est actus, quo, lite pendente, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis et ea dissentiente sive circa materiam iudicii sive circa iura processualia, nisi ipso iure innovatio admittitur.

Can. 1279 - Attentatum est ipso iure nullum, quare iudex decernere debet eius revocationem; sanatur tamen ipso iure, si intra mensem a die habitae notitiae de attentato computandum quaestio de eo iudici non proponitur.

Can. 1280 - Quaestiones de attentatis expeditissime definiendae sunt a iudice causae principalis, si pars attentatum patravit; si vero ipse iudex attentatum patravit, a tribunali appellationis.

Art. VII

DE ACTORUM PUBLICATIONE, DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE

Can. 1281 - § 1. Acquisitis probationibus iudex decreto partibus et earum advocatis permittere debet sub poena nullitatis, ut acta nondum eis nota apud tribunalis cancellariam inspiciant; quin etiam advocatis id petentibus dari potest actorum exemplar; in causis vero, quae ad bonum publicum spectant, iudex ad gravissima pericula evitanda aliquod actum nemini manifestandum esse decernere potest, cauto tamen, ut ius defensionis semper integrum maneat.

§ 2. Ad probationes complendas partes possunt alias iudici proponere; quibus, si iudex necessarium duxit, acquisitis iterum est locus decreto, de quo in § 1.

Can. 1282 - § 1. Expletis omnibus, quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa devenitur.

§ 2. Haec conclusio habetur, quoties aut partes declaraverunt se nihil aliud adducendum habere aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum est aut iudex declaravit se causam satis instructam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea accidit, iudex decretum ferat.

Can. 1283 - § 1. Post conclusionem in causa iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare aut alias probationes, quae antea non sunt petitae, disponere tantummodo :

1° in causis, in quibus agitur de solo bono privato partium, si omnes partes consentiunt;

2° in ceteris causis, auditis partibus et dummodo gravis exstet ratio itemque quodlibet fraudis vel subornationis periculum removeatur ;

3° in omnibus causis, quoties veri simile est, nisi probatio nova admittitur, sententiam iniustam futuram esse propter rationes, de quibus in can. 1326, § 2, nn. 1 - 3.

§ 2. Potest autem iudex iubere vel admittere, ut exhibeatur documentum, quod forte antea sine culpa eius, cuius interest, exhiberi non potuit.

§ 3. Novae probationes publicentur servato can. 1281, § 1.

Can. 1284 - Facta conclusione in causa iudex congruum spatium temporis praestituat ad defensiones vel animadversiones exhibendas.

Can. 1285 - § 1. Defensiones et animadversiones scripto dandae sunt, nisi disputationem pro tribunali sedente iudex partibus consentientibus satis esse censet.

§ 2. Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimuntur, praevia iudicis licentia requiritur salva secreti obligatione, si qua est.

§ 3. Circa extensionem defensionum, numerum exemplarium aliaque huiusmodi adiuncta serventur statuta tribunalis.

Can. 1286 - § 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus utrique parti responsiones exhibere licet intra breve tempus a iudice praestitutum.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum est, nisi iudici gravi de causa iterum videtur esse concedendum; tunc autem concessio uni parti facta alteri quoque data censeatur.

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum replicandi partium responsionibus.

Can. 1287 - § 1. Omnino prohibentur partium vel advocatorum vel etiam aliorum informationes iudici datae, quae maneant extra acta causae.

§ 2. Si causae discussio scripto facta est, iudex potest statuere, ut moderata disputatio fiat ore pro tribunali sedente ad quaestiones nonnullas illustrandas.

Can. 1288 - Disputationi orali, de qua in cann. 1285, § 1 et 1287, § 2, assistat notarius, ut, si iudex praecipit aut pars postulat et iudex consentit, de disceptatis et conclusis scripto statim referre possit.

Can. 1289 - Si partes parare sibi tempore utili praestituto defensionem neglexerunt aut se remittunt iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habet plane perspectam, potest statim sententiam pronuntiare requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae et defensoris vinculi, si iudicio intersunt.

Art. VIII

DE IUDICIS PRONUNTIATIONIBUS

Can. 1290 - Causa iudiciali modo pertractata, si est principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam ; si est incidens, per sententiam interlocutoriam firmo can. 1269, § 1.

Can. 1291 - § 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia firmis praescriptis legis de quarundam probationum efficacia.

§ 4. Iudex, qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et partem conventam absolutam dimittat, nisi agitur de causa favore iuris fruente, quo in casu pro eadem pronuntiandum est.

Can. 1292 - § 1. In tribunali collegiali, quo die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses statuat et, nisi specialis causa aliud suadet, in ipsa sede tribunalis conventus habeatur, cui nemo praeter collegii iudices adesse potest.

§ 2. Assignato conventui die singuli iudices scripto, sed reticito nomine afferant conclusiones suas in merito causae et rationes tam in iure quam in facto, quibus ad conclusionem suam venerunt; quae conclusiones cum notula de earum authenticitate ab omnibus iudicibus subscripta actis causae adiungantur secreto servandae firma § 4.

§ 3. Prolatis ex ordine singulorum iudicum conclusionibus secundum praecedentiam, ita tamen, ut semper a causae ponente initium fiat, habeatur discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur, quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem unicuique licet a pristina sua conclusione recedere ; iudex vero, qui ad decisionem aliorum accedere noluit, exigere potest, ut, si fit appellatio, conclusiones omnium iudicum reticitis nominibus ad tribunal superius mittantur.

§ 5. Si vero iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolunt aut non possunt, differri potest decisio ad novum conventum non tamen ultra hebdomadam, nisi ad normam can. 1283 complenda est causae instructio.

Can. 1293 - § 1. Si iudex est unicus, ipse sententiam redigit.

§ 2. In tribunali collegiali sententia redigenda est desumendo motiva ex eis, quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicum definita sunt motiva praeferenda ; sententia deinde singulorum iudicum approbationi subicienda est.

§ 3. Sententia edenda est non ultra mensem computandum a die, quo causa definita est, nisi in tribunali collegiali iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerunt.

Can. 1294 - Sententia debet :

1° definire controversiam coram tribunali agitatam data singulis dubiis congrua responsione ;

2° definire, quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implendae sint;

3° exponere rationes seu motiva tam in iure quam in facto, quibus pars dispositiva sententiae innititur;

4° statuere de expensis iudicialibus.

Can. 1295 - § 1. Sententia post divini Nominis invocationem exprimat oportet ex ordine, quis sit iudex aut quid tribunal, quis sit actor, pars conventa, procurator, nominibus et domiciliis accurate designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerunt.

§ 2. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus et formula dubiorum.

§ 3. Haec subsequatur pars dispositiva sententiae praemissis rationibus, quibus innititur.

§ 4. Claudatur cum indicatione loci et diei, in quibus lata est, et cum subscriptione iudicis vel, si de tribunali collegiali agitur, omnium iudicum et notarii.

Can. 1296 - Normae de sententia definitiva statutae valent congrua congruis referendo etiam de sententia interlocutoria.

Can. 1297 - Sententia quam primum intimetur indicatis terminis, intra quos appellatio a sententia interponi potest, neque ante intimationem vim ullam habet, etsi pars dispositiva sententiae iudice permittente partibus notificata est.

Can. 1298 - Intimatio sententiae fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus vel earum procuratoribus aut eisdem mittendo idem exemplar ad normam can. 1192.

Can. 1299 - § 1. Si in textu sententiae aut error irrepsit in cálculos aut error materialis accidit in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in factis vel partium petitionibus referendis aut omissa sunt ea, quae can. 1295, § 4 requirit, sententia ab ipso tribunali, quod eam tulit, corrigi vel compleri debet sive ad instantiam partis sive ex officio, semper tamen auditis partibus et decreto ad calcem sententiae apposito.

§ 2. Si qua pars refragatur, quaestio incidens decreto definiatur.

Can. 1300 - Ceterae iudicis pronuntiationes praeter sententiam sunt decreta, quae, si mere ordinatoria non sunt, vim non habent, nisi saltem summarie motiva exprimunt vel ad motiva in alio actu expressa remittunt.

Can. 1301 - Sententia interlocutoria vel decretum vim sententiae definitivae habent, si iudicium impediunt vel ipsi iudicio aut alicui ipsius gradui finem ponunt, quod attinet ad aliquam saltem partem in causa.

Art. IX

DE IMPUGNATIONE SENTENTIAE

I° De querela nullitatis contra sententiam

Can. 1302 - Si agitur de causa, quae privatorum solummodo interest, nullitas actuum iudicialium iure statuta, quae, cum esset nota parti querelam nullitatis proponenti, non est ante sententiam iudici denuntiata, per ipsam sententiam sanatur firmis cann. 1303 et 1304.

Can. 1303 - § 1. Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, si:

1° lata est a iudice absolute incompetenti;

2° lata est ab eo, qui caret potestate iudicandi in tribunali, in quo causa definita est;

3° iudex vi vel metu gravi coactus sententiam tulit;

4° iudicium factum est sine petitione iudiciali, de qua in can. 1104, § 2, vel non institutum est adversus aliquam partem conventam;

5° lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;

6° quis nomine alterius egit sine legitimo mandato;

7° ius defensionis alterutri parti denegatum est;

8° controversia ne ex parte quidem definita est.

§ 2. His in casibus querela nullitatis proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice, qui sententiam tulit, intra decem annos ab intimatione sententiae computandos.

Can. 1304 - § 1. Sententia vitio sanabilis nullitatis dumtaxat laborat, si :

1° lata est a non legitimo numero iudicum contra praescriptum can. 1084;

2° motiva seu rationes decidendi non continet ;

3° subscriptionibus caret iure praescriptis;

4° non refert indicationem loci, anni, mensis et diei, in quibus lata est ;

5° actu iudiciali nullo innititur, cuius nullitas non est ad normam can. 1302 sanata ;

6° lata est contra partem legitime absentem secundum can. 1273, § 2.

§ 2. His in casibus querela nullitatis proponi potest intra tres menses ab intimatione sententiae computandos.

Can. 1305 - De querela nullitatis videt iudex, qui sententiam tulit; si vero pars veretur, ne hic iudex praeoccupatum animum habeat, ideoque eum suspectum existimat, exigere potest, ut alius iudex in eius locum subrogetur ad normam can. 1108.

Can. 1306 - Querela nullitatis proponi potest una cum appellatione intra terminum ad appellationem statutum.

Can. 1307 - § 1. Querelam nullitatis proponere possunt non solum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties ipsis ius est interveniendi.

§ 2. Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminos ad agendum in cann. 1303, § 2 et 1304, § 2 statutos, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis interposita est.

Can. 1308 - Causae de querela nullitatis secundum canones de iudicio contentioso summario tractari possunt.

2° De appellatione

Can. 1309 - Pars, quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis, in quibus eorum praesentia requiritur, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem salvo can. 1310.

Can. 1310 - Non est locus appellationi :

1° a sententia ipsius Romani Pontificis vel Signaturae Apostolicae ;

2° a sententia vitio nullitatis infecta, nisi cumulatur Cum querela nullitatis ad normam can. 1306;

3° a sententia, quae in rem iudicatam transiit;

4° a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habent vim sententiae definitivae, nisi cumulatur cum appellatione a sententia definitiva;

5° a sententia vel a decreto in causa, de qua ius cavet rem expeditissime esse definiendam.

Can. 1311 - § 1. Appellatio interponi debet coram iudice, a quo sententia lata est, intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium ab intimatione sententiae computandum.

§ 2. Si ore fit, notarius eam scripto coram ipso appellante redigat.

Can. 1312 - A delegato non datur appellatio ad delegantem, sed ad eius immediatum superiorem, nisi delegans est ipsa Sedes Apostolica.

Can. 1313 - Si quaestio oritur de iure appellandi, tribunal appellationis rem expeditissime definiat secundum canones de iudicio contentioso summario.

Can. 1314 - Appellatio prosequenda est coram iudice, ad quem dirigitur, intra mensem ab eius interpositione computandum, nisi iudex, a quo sententia lata est, longius tempus ad eam prosequendam parti praestituit.

Can. 1315 - § 1. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit, ut pars ministerium iudicis superioris invocet ad impugnatae sententiae emendationem adiuncto exemplari huius sententiae et indicatis appellationis rationibus.

§ 2. Interea iudex, a quo sententia lata est, debet actorum exemplar fide facta a notario de eius authenticitate ad tribunal superius mittere; si acta scripta sunt lingua tribunali appellationis ignota, vertantur in aliam eidem tribunali cognitam cautelis adhibitis, ut de fideli versione constet.

Can. 1316 - Inutiliter elapsis terminis appellatoriis sive coram iudice, a quo sententia lata est, sive coram iudice, ad quem appellatio dirigitur, haec deserta censetur.

Can. 1317 - § 1. Appellans potest appellationi renuntiare cum effectibus, de quibus in can. 1206.

§ 2. Si appellatio interposita est a defensore vinculi vel a promotore iustitiae, renuntiatio fieri potest, nisi aliter iure communi cavetur, a defensore vinculi vel a promotore iustitiae tribunalis appellationis.

Can. 1318 - § 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam parti conventae et vicissim.

§ 2. Si plures sunt partes conventae vel actores et ab uno vel contra unum tantum ex ipsis sententia impugnatur, impugnatio censetur ab omnibus et contra omnes facta, quoties res petita est individua aut obligatio omnes singillatim tenet.

§ 3. Si interponitur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi terminus appellationis est transactus, potest super aliis capitibus incidenter appellare intra terminum peremptorium quindecim dierum computandum a die, quo ipsi appellatio principalis notificata est.

§ 4. Nisi aliud constat, appellatio praesumitur facta contra omnia sententiae capita.

Can. 1319 - Appellatio exsecutionem sententiae suspendit.

Can. 1320 - § 1. Salvo can. 1369 in gradu appellationis non potest admitti nova petendi causa, ne per modum quidem utilis cumulationis; ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest, ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur sive ex toto sive ex parte.

§ 2. Novae autem probationes admittuntur tantum ad normam can. 1283.

Can. 1321 - In gradu appellationis eodem modo ac in primo gradu iudicii congrua congruis referendo procedendum est; sed, nisi forte complendae sunt probationes, statim post litis contestationem ad causae discussionem deveniatur et ad sententiam.

Art. X

DE RE IUDICATA, DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM ET DE OPPOSITIONE TERTII

I° De re iudicata

Can. 1322 - Firmo can. 1324 res iudicata habetur, si :

I° duplex intercessit inter easdem partes sententia conformis de eodem petito et ex eadem causa petendi ;

2° appellatio a sententia non est intra tempus utile interposita;

3° in gradu appellationis litis instantia perempta est vel eidem renuntiatum est;

4° lata est sententia definitiva, a qua non datur appellatio.

Can. 1323 - § 1. Res iudicata iure firma est ita, ut impugnari possit tantum per querelam nullitatis, restitutionem in integrum vel oppositionem tertii.

§ 2. Res iudicata facit ius inter partes et dat actionem iudicati atque exceptionem rei iudicatae, quam iudex ex ofiicio quoque declarare potest ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.

Can. 1324 - Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum non exceptis causis de coniugum separatione.

Can. 1325 - § 1. Si duplex sententia conformis in causa de statu personarum lata est, potest quovis tempore ad tribunal appellationis provocari allatis novis eisque gravibus probationibus vel argumentis intra peremptorium terminum triginta dierum a proposita impugnatione computandum ; tribunal appellationis autem intra mensem ab exhibitis novis probationibus et argumentis computandum debet decreto statuere, utrum nova causae propositio admitti debeat necne.

§ 2. Provocatio ad superius tribunal, ut nova causae propositio obtineatur, exsecutionem sententiae non suspendit, nisi aliter iure communi cavetur aut tribunal appellationis ad normam can. 1337, § 3 suspensionem iubet.

2° De restitutione in integrum

Can. 1326 - § 1. Adversus sententiam, quae transiit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, datur restitutio in integrum.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi :

1° sententia ita probationibus innititur, quae postea falsae deprehensae sunt, ut sine illis probationibus pars dispositiva sententiae non sustineatur;

2° postea detecta sunt documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia indubitanter probant ;

3° sententia ex dolo partis lata est in damnum alterius ;

4° legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum est ;

5° sententia adversatur praecedenti decisioni, quae in rem iudicatam transiit.

Can. 1327 - § 1. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 1326, § 2, nn. 1 - 3, petenda est a iudice, qui sententiam tulit, intra tres menses a die cognitionis eorundem motivorum computandos.

§ 2. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 1326, § 2, nn. 4 et 5, petenda est a tribunali appellationis intra tres menses ab intimatione sententiae computandos; si vero in casu, de quo in can. 1326, § 2, n. 5, notitia praecedentis decisionis serius habetur, terminus ab hac notitia decurrit.

§ 3. Termini, de quibus supra, non decurrunt, dum pars laesa minoris est aetatis.

Can. 1328 - § 1. Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.

§ 2. Si tamen ex probabilibus indiciis suspicio est petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest, ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem in integrum petenti idonea cautione ut, si restituitur in integrum, indemnis fiat.

Can. 1329 - Concessa restitutione in integrum iudex pronuntiare debet de merito causae.

3° De oppositione tertii

Can. 1330 - Qui ex sententia definitiva inter alios lata, quae exsecutioni mandari potest, suorum iurium laesionem veretur, sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare potest.

Can. 1331 - § 1. Oppositio tertii fieri potest vel postulando revisionem sententiae a tribunali, quod eam tulit, vel provocando ad tribunal appellationis.

§ 2. Si petitio admissa est et oppositor agit in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram tribunali, quod sententiam tulit, servandae sunt normae datae pro causis incidentibus iudicialiter definiendis.

Can. 1332 - § 1. Oppositor in quolibet casu probare debet ius suum revera esse laesum aut laesum iri.

§ 2. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia, quatenus aut ipsa est causa laesionis aut, si exsecutioni mandatur, oppositorem gravi praeiudicio est affectura.

Can. 1333 - Si oppositor ius suum probavit, sententia antea lata reformanda est a tribunali secundum oppositoris petitionem.

Art. XI

DE GRATUITO PATROCINIO ET DE EXPENSIS IUDICIALIBUS

Can. 1334 - Pauperes, qui omnino impares sunt expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium, si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.

Can. 1335 - Statuta tribunalis debent normas dare :

1° de expensis iudicialibus a partibus solvendis vel compensandis ;

2° de procuratorum, advocatorum et interpretum remuneratione deque testium indemnitate ;

3° de gratuito patrocinio vel expensarum deminutione concedendis ;

4° de reparatione damnorum, quae debetur ab eo, qui non solum in iudicio succubuit, sed temere litigavit;

5° de pecuniae deposito vel cautione praestanda circa expensas solvendas et damna reparanda.

Can. 1336 - A pronuntiatione circa expensas, remunerationes et damna reparanda non datur distincta appellatio, sed pars recurrere potest intra quindecim dies ad eundem iudicem, qui potest taxationem emendare.

Art. XII

DE EXSECUTIONE SENTENTIAE

Can. 1337 - § 1. Sententia, quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest salvo can. 1328.

§ 2. Iudex, qui sententiam tulit, et, si appellatio interposita est, etiam iudex appellationis, sententiae, quae nondum transiit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere possunt ex officio vel ad instantiam partis idoneis, si casus fert, praestitis cautionibus, si agitur de provisionibus ad necessariam sustentationem ordinatis vel alia iusta causa urget.

§ 3. Si vero sententia, quae nondum transiit in rem iudicatam, impugnatur, iudex, qui de impugnatione cognoscere debet, si videt hanc probabiliter fundatam esse et irreparabile damnum ex exsecutione oriri posse, potest vel exsecutionem ipsam suspendere vel eam cautioni subicere.

Can. 1338 - Non antea exsecutioni locus esse potest, quam exsecutorium iudicis decretum habetur, quo edicitur sententiam ipsam exsecutioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

Can. 1339 - Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigit, quaestio incidens habetur ab illo iudice decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.

Can. 1340 — § 1, Nisi iure particulari propriae Ecclesiae sui iuris aliud statuitur, sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Episcopus eparchialis eparchiae, ubi sententia in primo gradu iudicii lata est.

§ 2. Si vero hic renuit vel neglegit, parte, cuius interest, instante vel etiam ex officio exsecutio spectat ad auctoritatem, cui tribunal appellationis subiectum est.

§ 3. In controversiis, de quibus in can. 1069, § 1, exsecutio sententiae spectat ad Superiorem in typico vel statutis determinatum.

Can. 1341 - § 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso tenore sententiae est permissum, debet sententiam secundum obviam verborum significationem exsecutioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae ; si vero habet aliunde compertum sententiam esse nullam vel manifesto iniustam ad normam cann. 1303, 1304 et 1326, § 2, abstineat ab exsecutione et rem ad tribunal, a quo lata est sententia, remittat partibus certioribus factis.

Can. 1342 - § 1. Quoties adiudicata actori res aliqua est, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. Si pars damnata est ad rem mobilem praestandam vel ad solvendam pecuniam vel ad aliud dandum aut faciendum, iudex in ipso tenore sententiae vel exsecutor pro suo arbitrio et prudentia terminum statuat ad implendam obligationem, qui tamen neque infra quindecim dies coartetur neque sex menses excedat.

CAPUT II
DE IUDICIO CONTENTIOSO SUMMARIO

Can. 1343 - § 1. Iudicio contentioso summario tractari possunt omnes causae iure non exclusae, nisi pars iudicium contentiosum ordinarium petit.

§ 2. Si iudicium contentiosum summarium adhibetur in causis iure exclusis, actus iudiciales sunt nulli.

Can. 1344 - § 1. Libellus litis introductorius praeter ea, quae in can. 1187 recensentur, debet :

1° facta, quibus actoris petitiones innituntur, breviter, integre et perspicue exponere ;

2° probationes, quibus actor facta demonstrare intendit quasque simul afferre non potest, ita indicare, ut statim colligi a iudice possint.

§ 2. Libello litis introductorio adnecti debent saltem in exemplari authentico documenta, quibus petitio innititur.

Can. 1345 - § 1. Si conamen conciliationis ad normam can. 1103, § 2 inutile cessit, iudex, si aestimat libellum litis introductorium aliquo fundamento niti, intra tres dies decreto ad calcem libelli apposito praecipiat, ut exemplar petitionis statim notificetur parti conventae, dato huic iure mittendi intra quindecim dies ad cancellariam tribunalis responsionem scripto datam.

§ 2. Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis, de quibus in can. 1194.

Can. 1346 - Si exceptiones partis conventae id exigunt, iudex actori determinet terminum ad respondendum ita, ut ex allatis utriusque partis elementis ipse controversiae obiectum perspectum habeat.

Can. 1347 - § 1. Elapsis terminis ad respondendum, de quibus in cann. 1345, § 1 et 1346, iudex perspectis actis formulam dubii determinet ; deinde ad audientiam non ultra triginta dies celebrandam omnes citet, qui in ea interesse debent, addita pro partibus dubii formula.

§ 2. In citatione partes certiores fiant se posse tres saltem ante audientiam dies aliquod breve scriptum tribunali exhibere ad sua asserta comprobanda.

Can. 1348 - In audientia primum tractantur quaestiones, de quibus in cann. 1118, 1119, 1121 et 1122.

Can. 1349 - § 1. Probationes colliguntur in audientia salvo can. 1071.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistere possunt interrogationi ceterarum partium, testium et peritorum.

Can. 1350 - Responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum redigendae sunt scripto a notario, sed summatim et in eis tantummodo, quae pertinent ad substantiam rei controversae, et ab eisdem subscribendae.

Can. 1351 - Probationes, quae non sunt in petitione vel responsione allatae aut petitae, potest iudex admittere tantum ad normam can. 1110; postquam autem vel unus testis auditus est, iudex potest tantummodo ad normam can. 1283 novas probationes decernere.

Can. 1352 - Si in audientia omnes probationes colligi non potuerunt, altera statuatur audientia.

Can. 1353 - Probationibus collectis fit in eadem audientia discussio oralis.

Can. 1354 - § 1. Nisi quid ex discussione supplendum in instructione causae comperitur, vel aliud exsistit, quod impedit, ne sententia ad normam iuris feratur, iudex expleta audientia statim causam decidat; pars dispositiva sententiae statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel alia iusta de causa usque ad quintum diem utilem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus motivis expressis quam primum et ordinarie non ultra quindecim dies partibus intimetur.

Can. 1355 - Si tribunal appellationis perspicit in inferiore gradu iudicii in causa iure exclusa iudicium contentiosum summarium adhibitum esse, nullitatem sententiae declarare et causam tribunali, quod sententiam tulit, remittere debet.

Can. 1356 - In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, serventur canones de iudicio contentioso ordinario ; tribunal autem potest suo decreto motivis praedito normas processuales, quae non sunt ad validitatem statutae, non observare, ut celeritati salva iustitia consulat.

TITULUS XXVI
DE QUIBUSDAM PROCESSIBUS SPECIALIBUS

CAPUT I
DE PROCESSIBUS MATRIMONIALIBUS

Art. I
DE CAUSIS AD MATRIMONII NULLITATEM DECLARANDAM
1° De foro competenti

Can. 1357 - Quaelibet causa matrimonialis baptizati iure proprio ad Ecclesiam spectat.

Can. 1358 - Firmis, ubi vigent, Statutis personalibus causae de effectibus mere civilibus matrimonii, si principaliter aguntur, pertinent ad iudicem civilem, sed, si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria auctoritate cognosci ac definiri.

Can. 1359 - In causis de matrimonii nullitate, quae non sunt Sedi Apostolicae reservatae, competentia sunt :

1° tribunal loci, ubi matrimonium celebratum est;

2° tribunal loci, ubi pars conventa domicilium vel quasi-domicilium habet;

3° tribunal loci, ubi actor domicilium habet, dummodo utraque pars in territorio eiusdem nationis degat et Vicarius iudicialis domicilii partis conventae ea audita consentiat ;

4° tribunal loci, ubi de facto colligendae sunt pleraeque probationes, dummodo Vicarius iudicialis domicilii partis conventae ea audita consentiat.

2° De iure impugnandi matrimonium

Can. 1360 - Habiles sunt ad matrimonium impugnandum :

1° coniuges ;

2° promotor iustitiae, si nullitas iam divulgata est et matrimonium convalidari non potest aut non expedit.

Can. 1361 - § 1. Matrimonium, quod utroque coniuge vivente non est accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis accusari non potest, nisi quaestio de validitate est praeiudicialis ad aliam controversiam sive in foro ecclesiastico sive in foro civili solvendam.

§ 2. Si vero coniux moritur pendente causa, servetur can. 1199.

3° De obligationibus iudicum et tribunalis

Can. 1362 - Iudex, antequam causam acceptat et quoties spem boni exitus perspicit, pastoralia media adhibeat, ut coniuges, si fieri potest, ad matrimonium convalidandum et ad consortium vitae coniugalis restaurandum inducantur.

Can. 1363 - § 1. Libello litis introductorio admisso praeses vel ponens procedat ad intimationem decreti citationis ad normam can. 1191.

§ 2. Transacto termino quindecim dierum ab intimatione computando praeses vel ponens, nisi alterutra pars sessionem ad litem contestandam petiit, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum ex ofiicio definiat decreto, quod partibus intimet.

§ 3. Formula dubii non tantum quaerat, num constet de nullitate matrimonii in casu, sed definire debet, quo capite vel quibus capitibus validitas matrimonii impugnetur.

§ 4. Post decem dies ab intimatione decreti computandos, si partes nihil opposuerunt, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem decernat.

4° De probationibus

Can. 1364 - § 1. Defensori vinculi, partium patronis et, si in iudicio est, etiam promotori iustitiae ius est :

I° interrogationi partium, testium et peritorum adesse salvo can. 1240;

2° acta iudicialia, etsi nondum publicata, invisere et documenta a partibus producta recognoscere.

§ 2. Interrogationi, de qua in § 1, n. 1, partes assistere non possunt.

Can. 1365 - Nisi probationes aliunde plenae habentur, iudex ad partium declarationes, de quibus in can. 1217, § 2, aestimandas testes de ipsarum partium credibilitate, si fieri potest, adhibeat praeter alia indicia et adminicula.

Can. 1366 - In causis de impotentia vel de defectu consensus propter mentis morbum iudex unius periti vel plurium opera utatur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter apparet; in ceteris causis servetur can. 1255.

Can. 1367 - Si in instructione causae dubium valde probabile emersit de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest partibus consentientibus causam de nullitate matrimonii suspendere et instructionem complere ad obtinendam solutionem matrimonii sacramentalis non consummati ; deinde acta ad Sedem Apostolicam mittat una cum petitione huius solutionis ab alterutro vel utroque coniuge facta et cum voto tribunalis et Episcopi eparchialis.

5° De sententia et de appellatione

Can. 1368 - § 1. Sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, una cum appellationibus, si quae sunt, et ceteris actis iudicialibus intra viginti dies ab intimatione sententiae computandos ad tribunal appellationis ex officio mittatur.

§ 2. Si sententia pro matrimonii nullitate lata est in primo gradu iudicii, tribunal appellationis perpensis animadversionibus defensoris vinculi et, si quae sunt, etiam partium suo decreto vel decisionem continenter confirmet vel causam ad ordinarium examen secundi gradus iudicii admittat.

Can. 1369 - Si in gradu appellationis novum nullitatis matrimonii caput affertur, tribunal potest illud tamquam in primo gradu iudicii admittere et de illo iudicare.

Can. 1370 - § 1. Postquam sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, in gradu appellationis confirmata est vel decreto vel altera sententia, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novum matrimonium celebrare statim ac decretum vel altera sententia ipsis intimata est, nisi id prohibetur vetito ipsi sententiae vel decreto apposito aut ab Hierarcha loci statuto.

§ 2. Can. 1325 servandus est, etsi sententia, quae matrimonii nullitatem declaravit, non altera sententia, sed decreto confirmata est.

Can. 1371 - Statim ac sententia facta est exsecutiva, Vicarius iudicialis debet eandem notificare Hierarchae loci, ubi matrimonium celebratum est; hic Hierarcha vero curare debet, ut quam primum de declarata nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris matrimoniorum et baptizatorum mentio fiat.

6° De processu documentali

Can. 1372 - § 1. Admissa petitione Vicarius iudicialis vel iudex ab ipso designatus potest praetermissis sollemnibus ordinarii processus, sed citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi matrimonii nullitatem sententia declarare, si ex documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni est obnoxium, certo constat de exsistentia impedimenti dirimentis vel de defectu formae celebrationis matrimonii iure praescriptae, dummodo pari certitudine pateat dispensationem datam non esse, aut de defectu validi mandati procuratoris.

§ 2. Si vero agitur de eo, qui formam celebrationis matrimonii iure praescriptam servare debuit, sed matrimonium attentavit coram officiali civili vel ministro acatholico, sufficit investigatio praematrimonialis, de qua in can. 784, ad comprobandum eius statum liberum.

Can. 1373 - § 1. A sententia, de qua in can. 1372, § 1, defensor vinculi, si prudenter existimat vel vitia vel dispensationis defectum non esse certa, appellare debet ad iudicem tribunalis secundi gradus, ad quem acta sunt mittenda quique scripto certior faciendus est agi de processu documentali.

§ 2. Integrum manet parti, quae se gravatam putet, ius appellandi.

Can. 1374 - Iudex tribunalis secundi gradus cum interventu defensoris vinculi et auditis partibus decernat, utrum sententia sit confirmanda an potius procedendum in causa sit ad ordinariam normam iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primi gradus.

7° Normae generales

Can. 1375 - Causae ad matrimonii nullitatem declarandam non possunt iudicio contentioso summario tractari.

Can. 1376 - In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstat, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario servatis normis specialibus de causis, quae ad bonum publicum spectant.

Can. 1377 - In sententia partes moneantur de obligationibus moralibus vel etiam civilibus, quibus forte tenentur, altera erga alteram et erga filios ad debitam sustentationem et educationem praestandas.

Art. II

DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

Can. 1378 - § 1. Separatio personalis coniugum, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum est, decerni potest decreto Episcopi eparchialis vel sententia iudicis.

§ 2. Ubi vero decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur vel si sententia civilis praevidetur non contraria iuri divino, Episcopus eparchialis eparchiae commorationis coniugum potest perpensis specialibus adiunctis licentiam concedere adeundi forum civile.

§ 3. Si causa versatur etiam circa effectus mere civiles matrimonii, satagat iudex, ut de licentia Episcopi eparchialis causa inde ab initio ad forum civile deferatur.

Can. 1379 - § 1. Nisi qua pars iudicium contentiosum ordinarium petit, iudicium contentiosum summarium adhibeatur.

§ 2. Si iudicium contentiosum ordinarium adhibitum est et appellatio interponitur, tribunal secundi gradus auditis partibus suo decreto vel decisionem continenter confirmet vel causam ad ordinarium examen secundi gradus iudicii admittat.

Can. 1380 - Quod attinet ad tribunalis competentiam, servetur can. 1359, nn. 2 et 3.

Can. 1381 - Iudex, antequam causam acceptat et quoties spem boni exitus perspicit, pastoralia media adhibeat, ut coniuges concilientur et ad consortium vitae coniugalis restaurandum inducantur.

Can. 1382 - Causis de coniugum separatione interesse debet promotor iustitiae ad normam can. 1097.

Art. III

DE PROCESSU PRAESUMPTAE MORTIS CONIUGIS

Can. 1383 - § 1. Quoties coniugis mors authentico documento ecclesiastico vel civili comprobari non potest, alter coniux a vinculo matrimonii solutus non habeatur nisi post declarationem de morte praesumpta ab Episcopo eparchiali factam.

§ 2. Hanc declarationem Episcopus eparchialis tantummodo facere potest, si peractis opportunis investigationibus ex testium depositionibus, ex fama aut ex indiciis moralem certitudinem de coniugis morte obtinuit; sola coniugis absentia, etsi diuturna, non sufficit.

§ 3. In casibus incertis et implexis Episcopus eparchialis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercens consulat Patriarcham; ceteri Episcopi eparchiales vero Sedem Apostolicam consulant.

§ 4. In processu praesumptae mortis coniugis requiritur interventus promotoris iustitiae, non vero defensoris vinculi.

Art. IV

DE MODO PROCEDENDI AD OBTINENDAM SOLUTIONEM MATRIMONII NON CONSUMMATI AUT SOLUTIONEM MATRIMONII IN FAVOREM FIDEI

Can. 1384 - Ad obtinendam solutionem matrimonii non consummati aut solutionem matrimonii in favorem fidei adamussim serventur normae speciales a Sede Apostolica latae.

CAPUT II
DE CAUSIS AD SACRAE ORDINATIONIS NULLITATEM DECLARANDAM

Can. 1385 - Validitatem sacrae ordinationis ius habent accusandi sive ipse clericus sive Hierarcha, cui clericus subest vel in cuius eparchia ordinatus est.

Can. 1386 - § 1. Libellus de validitate sacrae ordinationis accusanda mitti debet ad competens Curiae Romanae Dicasterium, quod decernet, utrum causa ab ipso an a tribunali ab eo designato sit agenda.

§ 2. Si Dicasterium causam ad tribunal remisit, serventur, nisi rei natura obstat, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario, non vero canones de iudicio contentioso summario.

§ 3. Misso libello clericus ordines sacros exercere ipso iure vetatur.

Can. 1387 - Post secundam sententiam, quae nullitatem sacrae ordinationis confirmavit, clericus omnia iura statui clericali propria amittit et ab omnibus obligationibus eiusdem status liberatur.

CAPUT III
DE PROCEDURA IN PAROCHIS AMOVENDIS VEL TRANSFERENDIS

Can. 1388 - In amotione vel translatione parochorum servandi sunt cann. 1389 - 1400, nisi iure particulari a Sede Apostolica approbato aliud statuitur.

Art. I
DE MODO PROCEDENDI IN AMOTIONE PAROCHORUM

Can. 1389 - Si alicuius parochi ministerium aliqua de causa, etiam citra gravem ipsius culpam, noxium aut saltem inefficax evasit, parochus ab Episcopo eparchiali a paroecia amoveri potest.

Can. 1390 - Causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt :

1° modus agendi, qui communioni ecclesiasticae grave detrimentum vel perturbationem affert;

2° imperitia aut permanens mentis vel corporis infirmitas, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddunt;

3° bonae existimationis amissio penes probos et graves paroecianos vel aversio in parochum, quae praevidentur non brevi cessaturae;

4° gravis neglectus vel violatio obligationum parochi, quae post monitionem persistit;

5° mala rerum temporalium administratio cum gravi Ecclesiae damno, quoties huic malo aliud remedium afferri non potest.

Can. 1391 - § 1. Si ex instructione peracta constat adesse causam amotionis, Episcopus eparchialis rem discutiat cum duobus parochis ex coetu parochorum, quos consilium presbyterale Episcopo eparchiali proponente ad hoc stabiliter elegit, selectis ; si vero exinde censet ad amotionem esse deveniendum, causa et argumentis ad validitatem indicatis parocho paterne suadeat, ut intra tempus quindecim dierum renuntiet.

§ 2. Parochus, qui est sodalis instituti religiosi vel societatis vitae communis ad instar religiosorum amoveri potest ad nutum sive Episcopi eparchialis certiore facto Superiore maiore sive Superioris maioris certiore facto Episcopo eparchiali non requisito alterius consensu.

Can. 1392 - Renuntiatio a parocho fieri potest etiam sub condicione, dummodo haec ab Episcopo eparchiali legitime acceptari possit et reapse acceptetur.

Can. 1393 - § 1. Si parochus intra praestitutos dies non respondit, Episcopus eparchialis iteret invitationem prorogando tempus utile ad respondendum.

§ 2. Si Episcopo eparchiali constat parochum alteram invitationem recepisse, non autem respondisse, etsi nullo impedimento detentum, aut si parochus renuntiationem sine motivis recusat, Episcopus eparchialis decretum amotionis ferat.

Can. 1394 - Si vero parochus causam adductam eiusque rationes oppugnat motiva allegans, quae insufficientia Episcopo eparchiali videntur, hic, ut valide agat :

1° invitet illum, ut inspectis actis suas impugnationes in relatione scripto danda colligat, immo probationes in contrarium, si quas habet, afferat;

2° deinde completa, si opus est, instructione una cum eisdem duobus parochis, de quibus in can. 1391, § 1, nisi alii propter illorum impossibilitatem sunt designandi, rem perpendat;

3° tandem statuat, utrum parochus sit amovendus necne, et mox decretum de re ferat.

Can. 1395 - Amoto parocho Episcopus eparchialis consulat collatione alterius officii, si ille ad hoc idoneus est, vel pensione, prout casus fert et adiuncta permittunt.

Can. 1396 - § 1. Parochus amotus debet a parochi ofiicio exercendo abstinere, quam primum liberam relinquere domum paroecialem et omnia, quae ad paroeciam pertinent, illi tradere, cui Episcopus eparchialis paroeciam commisit.

§ 2. Si vero de infirmo agitur, qui ex domo paroeciali sine incommodo non potest alio transferri, Episcopus eparchialis eidem relinquat domus paroecialis usum, etiam exclusivum, eadem necessitate durante.

§ 3. Pendente recursu adversus amotionis decretum Episcopus eparchialis non potest novum parochum nominare, sed per administratorem paroeciae interim provideat.

Art. II

DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

Can. 1397 - Si salus animarum vel Ecclesiae necessitas aut utilitas postulat, ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Episcopus eparchialis eidem translationem scripto proponat ac suadeat, ut pro Dei atque animarum amore consentiat.

Can. 1398 - Si parochus consilio ac suasionibus Episcopi eparchialis obsequi non intendit, rationes scripto exponat.

Can. 1399 - § 1. Episcopus eparchialis, si non obstantibus allatis rationibus iudicat a suo proposito non esse recedendum, cum duobus parochis ex coetu, de quo in can. 1391, § 1, selectis rationes perpendat, quae translationi favent vel obstant; si vero exinde translationem peragendam censet, paternas exhortationes parocho iteret.

§ 2. His peractis, si adhuc et parochus renuit et Episcopus eparchialis putat translationem esse faciendam, hic decretum translationis ferat statuens paroeciam elapso determinato die esse vacaturam.

§ 3. Hoc die inutiliter elapso Episcopus eparchialis paroeciam vacantem declaret.

Can. 1400— In casu translationis serventur can. 1396, iura quaesita et aequitas.

TITULUS XXVII

DE SANCTIONIBUS POENALIBUS IN ECCLESIA

CAPUT I

DE DELICTIS ET POENIS IN GENERE

Can. 1401 - Cum omnem rationem init Deus, ut errantem ovem reducat, illi, qui ab Eo solvendi et ligandi potestatem acceperunt, morbo eorum, qui deliquerunt, convenientem medicinam afferant, eos arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina, immo poenas imponant, ut vulneribus a delicto illatis medeatur ita, ut neque delinquentes ad desperationis praecipitia impellantur neque frena ad vitae dissolutionem et legis contemptum relaxentur.

Can. 1402 - § 1. Poena canonica per iudicium poenale in cann. 1468 - 1482 praescriptum irrogari debet firma potestate coercitiva iudicis in casibus iure expressis et reprobata contraria consuetudine.

§ 2. Si vero iudicio auctoritatis, de qua in § 3, graves obstant causae, ne iudicium poenale fiat, et probationes de delicto certae sunt, delictum puniri potest per decretum extra iudicium ad normam cann. 1486 et 1487, dummodo non agatur de privatione officii, tituli, insignium aut de suspensione ultra annum, de reductione ad inferiorem gradum, de depositione vel de excommunicatione maiore.

§ 3. Hoc decretum praeter Sedem Apostolicam ferre possunt intra fines suae competentiae Patriarcha, Archiepiscopus maior, Episcopus eparchialis atque Superior maior instituti vitae consecratae, qui potestatem regiminis ordinariam habet, ceteris omnibus exclusis.

Can. 1403 - § 1. Etsi de delictis agitur, quae poenam secumferunt iure obligatoriam, Hierarcha audito promotore iustitiae a procedura poenali, immo a poenis irrogandis prorsus abstinere potest, dummodo ipsius Hierarchae iudicio haec omnia simul concurrant : delinquens in iudicium nondum delatus suum delictum Hierarchae in foro externo sincera paenitentia motus confessus est necnon de reparatione scandali et damni congrue provisum est.

§ 2. Hoc vero Hierarcha facere non potest, si de delicto agitur, quod poenam secumfert, cuius remissio auctoritati superiori reservata est, donec licentiam ab eadem auctoritate obtinuerit.

Can. 1404 - § 1. In poenis benignior est interpretatio facienda.

§ 2. Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, etsi par adest ratio, immo gravior.

Can. 1405 - § 1. Qui habet potestatem legislativam, potest, quatenus vere necessarium est ad aptius providendum disciplinae ecclesiasticae, etiam leges poenales ferre necnon suis legibus etiam legem divinam aut ecclesiasticam ab auctoritate superiore latam congrua poena munire servatis suae competentiae limitibus ratione territorii vel personarum.

§ 2. Poenis iure communi in aliquod delictum statutis aliae poenae iure particulari addi possunt ; id autem ne fiat nisi gravissima de causa ; si vero iure communi indeterminata vel facultativa poena statuitur,- iure particulari in eius locum poena determinata vel obligatoria statui potest.

§ 3. Curent Patriarchae et Episcopi eparchiales, ut leges poenales iuris particularis in eodem territorio, quatenus fieri potest, uniformes sint.

Can. 1406 - § 1. Quatenus aliquis potest praecepta imponere, eatenus potest re mature perpensa et maxima moderatione poenas determinatas per praeceptum comminari eis exceptis, quae in can. 1402, § 2 enumerantur; Patriarcha vero de consensu Synodi permanentis etiam has poenas per praeceptum comminari potest.

§ 2. Monitio cum comminatione poenarum, qua Hierarcha legem non poenalem in casibus singularibus urget, praecepto poenali aequiparatur.

Can. 1407 - § 1. Si iudicio Hierarchae, qui poenam irrogare potest, natura delicti id patitur, poena irrogari non potest, nisi delinquens antea semel saltem monitus est, ut a delicto desisteret, dato congruo ad resipiscentiam tempore.

§ 2. A delicto destitisse dicendus est is, quem delicti sincere paenituit quique praeterea congruam reparationem scandali et damni dedit vel saltem serio promisit.

§ 3. Monitio poenalis vero, de qua in can. 1406, § 2, sufficiens est, ut poena irrogari possit.

Can. 1408 - Poena reum non tenet, nisi postquam sententia vel decreto irrogata est, salvo iure Romani Pontificis vel Concilii Oecumenici aliter statuendi.

Can. 1409 - § 1. In lege poenali applicanda, etsi lex utitur verbis praeceptivis, iudex pro sua conscientia et prudentia potest :

1° poenae irrogationem in tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevidentur ;

2° a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare, si reus emendatus est necnon de reparatione scandali et damni congrue provisum est aut si ipse reus satis ab auctoritate civili punitus est aut punitum iri praevidetur;

3° poenas intra aequos limites moderari, si reus plura delicta commisit et nimius videtur poenarum cumulus;

4° obligationem servandi poenam suspendere in favorem eius, qui omni probitate vitae hucusque commendatus primum deliquit, dummodo scandalum reparandum non urgeat; poena suspensa prorsus cessat, si intra tempus a iudice determinatum reus iterum non deliquit, secus tamquam utriusque delicti debitor gravius puniatur, nisi interim actio poenalis pro priore delicto exstincta est.

§ 2. Si poena est indeterminata neque aliter lex cavet, iudex poenas in can. 1402, § 2 recensitas irrogare non potest.

Can. 1410 - In poenis clerico irrogandis ei salva esse debent, quae ad congruam sustentationem sunt necessaria, nisi agitur de depositione, quo in casu Hierarcha curet, ut deposito, qui propter poenam vere indiget, quo meliore fieri potest modo, provideatur salvis semper iuribus ortis circa praecaventiam et securitatem socialem necnon assistentiam sanitariam in favorem eius eiusque familiae, si coniugatus est.

Can. 1411 - Nulla poena irrogari potest, postquam actio poenalis exstincta est.

Can. 1412 - § 1. Qui lege aut praecepto tenetur, adnexae eidem quoque poenae obnoxius est.

§ 2. Si, postquam delictum commissum est, lex mutatur, applicanda est lex reo favorabilior.

§ 3. Si vero lex posterior tollit legem vel saltem poenam, haec, quomodocumque irrogata erat, statim cessat.

§ 4. Poena reum ubique tenet etiam resoluto iure eius, qui poenam irrogavit, nisi aliter iure communi expresse cavetur.

Can. 1413 - § 1. Nulli poenae est obnoxius, qui decimum quartum aetatis annum non explevit.

§ 2. Qui vero intra decimum quartum et duodevicesimum aetatis annum delictum commisit, puniri potest tantummodo poenis, quae privationem alicuius boni non includunt, nisi Episcopus eparchialis vel iudex in casibus specialibus aliter melius consuli posse censet eiusdem emendationi.

Can. 1414 - § 1. Poenis is tantum subicitur, qui legem poenalem vel praeceptum poenale violavit aut deliberate aut ex graviter culpabili omissione debitae diligentiae aut ex graviter culpabili ignorantia legis vel praecepti.

§ 2. Posita externa legis poenalis vel praecepti poenalis violatione praesumitur eam deliberate factam esse, donec contrarium probetur; in ceteris legibus vel praeceptis id praesumitur tantummodo, si lex vel praeceptum iterum post monitionem poenalem violatur.

Can. 1415 - Si qua adest secundum communem praxim et doctrinam canonicam circumstantia attenuans, dummodo tamen delictum adhuc habeatur, iudex poenam lege vel praecepto statutam temperare debet; immo pro sua prudentia, si censet aliter posse melius consuli rei emendationi atque reparationi scandali et damni, potest etiam a poena irroganda abstinere.

Can. 1416 - Si delictum a recidivo commissum est vel si alia adest secundum communem praxim et doctrinam canonicam circumstantia aggravans, iudex potest reum gravius punire, quam lex vel praeceptum statuit, non exclusis poenis in can. 1402, § 2 recensitis.

Can. 1417 - Qui communi delinquendi consilio in delictum concurrunt neque in lege vel praecepto expresse nominantur, eisdem poenis ac auctor principalis puniri possunt vel ad prudentiam iudicis aliis poenis eiusdem vel minoris gravitatis.

Can. 1418 - § 1. Qui aliquid ad delictum patrandum egit vel omisit nec tamen praeter suam voluntatem delictum consummavit, non tenetur poena in delictum consummatum statuta, nisi lex vel praeceptum aliter cavet.

§ 2. Si vero actus vel omissiones natura sua ad delicti exsecutionem conducunt, auctor congrua poena puniatur, praesertim si scandalum aliudve grave damnum evenit, leviore tamen quam ea, quae in delictum consummatum constituta est.

§ 3. Ab omni poena liberatur, qui sua sponte ab incepta delicti exsecutione destitit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum est.

Can. 1419 - § 1. Qui a lege poenali dispensare potest vel a praecepto poenali eximere, potest etiam poenam vi eiusdem legis vel praecepti irrogatam remittere.

§ 2. Potest praeterea lege vel praecepto poenali aliis quoque potestas conferri poenas remittendi.

Can. 1420 - § 1. Poenam vi iuris communis irrogatam remittere potest :

1° Hierarcha, qui iudicium poenale promovit vel decreto poenam irrogavit ;

2° Hierarcha loci, ubi reus actu commoratur, consulto vero Hierarcha, de quo in n. 1.

§ 2. Hae normae valent etiam circa poenas vi iuris particularis vel praecepti poenalis irrogatis, nisi aliter iure particulari Ecclesiae sui iuris cavetur.

§ 3. Poenam vero a Sede Apostolica irrogatam sola Sedes Apostolica remittere potest, nisi Patriarchae vel aliis remissio poenae delegatur.

Can. 1421 - Remissio poenae vi aut metu gravi aut dolo extorta ipso iure nulla est.

Can. 1422 - § 1. Remissio poenae dari potest etiam inscio reo vel sub condicione.

§ 2. Remissio poenae dari debet scripto, nisi gravis causa aliud suadet.

§ 3. Caveatur, ne petitio remissionis poenae vel ipsa remissio divulgetur, nisi quatenus id vel utile est ad rei famam tuendam vel necessarium ad scandalum reparandum.

Can. 1423 - § 1. Salvo iure Romani Pontificis remissionem cuiusvis poenae sibi vel aliis reservandi, Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vel archiepiscopalis maioris lege propter graves circumstantias lata reservare potest remissionem poenarum Patriarchae vel Archiepiscopo maiori pro subditis, qui intra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, domicilium vel quasi-domicilium habent; nemo alius potest valide sibi vel aliis reservare remissionem poenarum iure communi statutarum nisi de consensu Sedis Apostolicae.

§ 2. Omnis reservatio stricte est interpretanda.

Can. 1424 - § 1. Remissio poenae dari non potest, nisi reum delicti patrati sincere paenituit necnon de reparatione scandali et damni congrue provisum est.

§ 2. Si vero iudicio illius, cui remissio poenae competit, impletae sunt hae condiciones, remissio, quatenus natura poenae spectata fieri potest, ne denegetur.

Can. 1425 - Si quis pluribus poenis detinetur, remissio valet tantummodo pro poenis in ipsa expressis ; remissio generalis autem omnes aufert poenas eis exceptis, quas in petitione reus mala fide reticuit.

Can. 1426 - § 1. Nisi alia poena iure determinata est, irrogari possunt secundum antiquas Ecclesiarum orientalium traditiones poenae, quibus imponitur aliquod grave opus religionis vel pietatis vel caritatis peragendum veluti preces determinatae, pia peregrinatio, speciale ieiunium, eleemosynae, recessus spirituales.

§ 2. Illi, qui has poenas non est dispositus acceptare, aliae poenae irrogentur.

Can. 1427 - § 1. Salvo iure particulari correptio publica fit coram notario vel duobus testibus aut per epistulam ita tamen, ut de receptione et tenore epistulae ex aliquo documento constet.

§ 2. Cavendum est, ne ipsa correptione publica locus detur maiori, quam par est, infamiae rei.

Can. 1428 - Si gravitas casus fert et praecipue si agitur de recidivis, Hierarcha etiam praeter poenas per sententiam ad normam iuris irrogatas reum submittere potest vigilantiae modo per decretum administrativum determinato.

Can. 1429 - § 1. Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio tantum clericos vel religiosos vel sodales societatis vitae communis ad instar religiosorum afficere potest, praescriptio vero commorandi in certo loco vel territorio nonnisi clericos eparchiae ascriptos salvo iure institutorum vitae consecratae.

§ 2. Ut praescriptio commorandi in certo loco vel territorio irrogetur, requiritur consensus Hierarchae loci, nisi agitur vel de domo instituti vitae consecratae iuris pontificii vel patriarchalis, quo in casu requiritur consensus Superioris competentis, vel de domo clericis plurium eparchiarum paenitentibus vel emendandis destinata.

Can. 1430 - § 1. Privationes poenales afficere possunt tantum illas potestates, officia, ministeria, munera, iura, privilegia, facultates, gratias, titulos, insignia, quae sunt sub potestate auctoritatis poenam constituentis vel Hierarchae, qui iudicium poenale promovit vel decreto eam irrogat; idem valet pro translatione poenali ad aliud officium.

§ 2. Potestatis ordinis sacri privatio dari non potest, sed tantum prohibitio omnes vel aliquos eius actus exercendi ad normam iuris communis; item dari non potest privatio graduum academicorum.

Can. 1431 - § 1. Excommunicatione minore puniti privantur susceptione Divinae Eucharistiae; excludi insuper possunt a participatione in Divina Liturgia, immo etiam ab ingressu in ecclesiam, si in ea cultus divinus publice celebratur.

§ 2. Ipsa sententia vel decreto, quo haec poena irrogatur, definiri debet eiusdem poenae extensio et, si casus fert, duratio.

Can. 1432 - § 1. Suspensio potest esse vel ab omnibus vel aliquibus actibus potestatis ordinis aut regiminis, ab omnibus vel aliquibus actibus vel iuribus cum ofiicio, ministerio vel munere conexis ; eiusdem vero extensio ipsa sententia vel decreto, quo poena irrogatur, definiatur, nisi iure iam determinata est.

§ 2. Nemo suspendi potest nisi ab actibus, qui sunt sub potestate auctoritatis poenam constituentis vel Hierarchae, qui iudicium poenale promovet vel decreto suspensionem irrogat.

§ 3. Suspensio numquam afficit validitatem actuum nec ius habitandi, si quod reus ratione ofiicii, ministerii vel muneris habet; suspensio vero vetans fructus, remunerationes, pensiones aliudve percipere secumfert obligationem restituendi, quidquid illegitime, etsi bona fide, perceptum est.

Can. 1433 - § 1. Clericus ad inferiorem gradum reductus vetatur illos actus potestatis ordinis et regiminis exercere, qui huic gradui consentanei non sunt.

§ 2. Clericus vero a statu clericali depositus privatur omnibus officiis, ministeriis aliisve muneribus, pensionibus ecclesiasticis et qualibet potestate delegata; fit ad ea inhabilis; potestatem ordinis exercere prohibetur ; promoveri non potest ad superiores ordines sacros et laicis, ad effectus canonicos quod attinet, aequiparatur firmis cann. 396 et 725.

Can. 1434 - § 1. Excommunicatio maior vetat praeter omnia illa, de quibus in can. 1431, § 1, et alia sacramenta suscipere, sacramenta et sacramentalia ministrare, officiis, ministeriis vel muneribus quibuslibet fungi, actus regiminis ponere, qui, si tamen ponuntur, ipso iure nulli sunt.

§ 2. Excommunicatione maiore punitus a participatione in Divina Liturgia et in aliis quibuslibet publicis celebrationibus cultus divini arcendus est.

§ 3. Excommunicatione maiore punitus vetatur frui privilegiis antea sibi concessis; non potest valide consequi dignitatem, officium, ministerium aliudve munus in Ecclesia vel pensionem nec fructus his adnexos facit suos; caret etiam voce activa et passiva.

Can. 1435 - § 1. Si poena vetat suscipere sacramenta vel sacramentalia, vetitum suspenditur, dum reus in periculo mortis versatur.

§ 2. Si poena vetat ministrare sacramenta vel sacramentalia vel ponere actum regiminis, vetitum suspenditur, quoties id necessarium est ad consulendum christifidelibus in periculo mortis constitutis.

CAPUT II

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

Can. 1436 - § 1. Qui aliquam veritatem fide divina et catholica credendam denegat vel eam in dubium ponit aut fidem christianam ex toto repudiat et legitime monitus non resipiscit, ut haereticus aut apostata excommunicatione maiore puniatur, clericus praeterea aliis poenis puniri potest non exclusa depositione.

§ 2. Praeter hos casus, qui sustinet doctrinam, quae a Romano Pontifice vel Collegio Episcoporum magisterium authenticum exercentibus ut erronea damnata est, nec legitime monitus resipiscit, congrua poena puniatur.

Can. 1437 - Qui subiectionem supremae Ecclesiae auctoritati aut communionem cum christifidelibus eidem subiectis detrectat et legitime monitus oboedientiam non praestat, ut schismaticus excommunicatione maiore puniatur.

Can. 1438 - Qui consulto omittit commemorationem Hierarchae in Divina Liturgia et in laudibus divinis iure praescriptam, si legitime monitus non resipiscit, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 1439 - Parentes vel parentum locum tenentes, qui filios in religione acatholica baptizandos vel educandos tradunt, congrua poena puniantur.

Can. 1440 - Qui normas iuris de communicatione in sacris violat, congrua poena puniri potest.

Can. 1441 - Qui res sacras in usum profanum vel in malum finem adhibet, suspendatur vel a Divina Eucharistia suscipienda prohibeatur.

Can. 1442 - Qui Divinam Eucharistiam abiecit aut in sacrilegum finem abduxit vel retinuit, excommunicatione maiore puniatur et, si clericus est, etiam aliis poenis non exclusa depositione.

Can. 1443 - Qui Divinae Liturgiae vel aliorum sacramentorum celebrationem simulavit, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 1444 - Qui periurium commisit coram auctoritate ecclesiastica aut qui, etsi iniuratus, iudici legitime interroganti scienter falsum affirmavit aut verum occultavit aut qui ad haec delicta induxit, congrua poena puniatur.

Can. 1445 - § 1. Qui vim physicam in Episcopum adhibuit vel aliam gravem iniuriam in ipsum iniecit, congrua poena puniatur non exclusa, si clericus est, depositione; si vero idem delictum in Metropolitam, Patriarcham vel immo Romanum Pontificem commissum est, reus puniatur excommunicatione maiore, cuius remissio in ultimo casu ipsi Romano Pontifici est reservata.

§ 2. Qui id egit in alium clericum, religiosum, sodalem societatis vitae communis ad instar religiosorum vel in laicum, qui actu munus ecclesiasticum exercet, congrua poena puniatur.

Can. 1446 - Qui proprio Hierarchae legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat et post monitionem in inoboedientia persistit, ut delinquens congrua poena puniatur.

Can. 1447 - Qui seditiones vel odia adversus quemcumque Hierarcham suscitat aut subditos ad inoboedientiam in eum provocat, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore, praesertim si hoc delictum adversus Patriarcham vel immo adversus Romanum Pontificem commissum est.

§ 2. Qui impedivit libertatem ministerii vel electionis vel potestatis, ecclesiasticae aut legitimum bonorum Ecclesiae temporalium usum aut perterrefecit electorem vel eum, qui potestatem vel ministerium exercet, congrua poena puniatur.

Can. 1448 - § 1. Qui vel publico spectaculo vel contione vel in scripto publice evulgato vel aliter instrumentis communicationis socialis utens blasphemiam profert aut bonos mores graviter laedit aut in religionem vel Ecclesiam iniurias exprimit vel odium contemptumve excitat, congrua poena puniatur.

§ 2. Qui nomen dat consociationi, quae contra Ecclesiam machinatur, congrua poena puniatur.

Can. 1449 - Qui sine praescripto consensu vel licentia bona ecclesiastica alienavit, congrua poena puniatur.

Can. 1450 - § 1. Qui homicidium patravit, puniatur excommunicatione maiore; clericus praeterea aliis poenis puniatur non exclusa depositione.

§ 2. Eodem modo puniatur, qui abortum procuravit effectu secuto, firmo can. 728, § 2.

Can. 1451 - Qui hominem rapuit aut iniuste detinet, graviter vulnerava vel mutuavit, ei torturam physicam vel psychicam intulit, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 1452 - Qui gravem iniuriam cuiquam intulit vel eius bonam famam per calumniam graviter laesit, ad congruam satisfactionem praestandam cogatur; si vero recusavit, excommunicatione minore vel suspensione puniatur.

Can. 1453 - § 1. Clericus concubinarius vel aliter in peccato ex terno contra castitatem cum scandalo permanens suspensione puniatur, cui persistente delicto aliae poenae gradatim addi possunt usque ad depositionem.

§ 2. Clericus, qui prohibitum matrimonium attentavit, deponatur.

§ 3. Religiosus, qui votum publicum perpetuum castitatis emisit et non est in ordine sacro constitutus, haec delicta committens congrua poena puniatur.

Can. 1454 - Qui falso de quovis delicto aliquem denuntiavit, congrua poena puniatur, non exclusa excommunicatione maiore, praesertim si denuntiatur confessarius, Hierarcha, clericus, religiosus, sodalis societatis vitae communis ad instar religiosorum aut laicus in munere ecclesiastico constitutus firmo can. 731.

Can. 1455 - Qui documentum ecclesiasticum falsum confecit aut in eo falsum asseruit aut qui quolibet falso vel mutato documento scienter usus est in re ecclesiastica aut verum documentum mutavit, destruxit vel occultavit, congrua poena puniatur.

Can. 1456 - § 1. Confessarius, qui sacramentale sigillum directe violavit, excommunicatione maiore puniatur firmo can. 728, § 1, n. 1; si vero alio modo hoc sigillum f regit, congrua poena puniatur.

§ 2. Qui notitias ex confessione habere quoquo modo conatus est vel illas iam habitas aliis transmisit, excommunicatione minore aut suspensione puniatur.

Can. 1457 - Sacerdos, qui complicem in peccato contra castitatem absolvit, excommunicatione maiore puniatur firmo can. 728, § 1, n. 2.

Can. 1458 - Sacerdos, qui in actu vel occasione vel praetextu confessionis paenitentem ad peccatum contra castitatem sollicitavit, congrua poena puniatur non exclusa depositione.

Can. 1459 - § 1. Episcopi, qui alicui sine auctoritatis competentis mandato ordinationem episcopalem ministraverunt, et is, qui ab ipsis ordinationem hoc modo suscepit, excommunicatione maiore puniantur.

§ 2. Episcopus, qui alicui ordinationem diaconalem vel presbyteralem contra praescripta canonum ministravit, congrua poena puniatur.

Can. 1460 - Qui auctoritatem civilem directe vel indirecte adiit, ut ea instante sacram ordinationem, officium, ministerium vel aliud munus in Ecclesia obtineret, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore et, si de clerico agitur, etiam depositione.

Can. 1461 - Qui sacram ordinationem simoniace ministravit vel suscepit, deponatur ; qui vero alia sacramenta simoniace ministravit vel suscepit, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 1462 - Qui officium, ministerium vel aliud munus in Ecclesia simoniace obtinuit, contulit aut quomodocumque usurpavit aut illegitime retinet vel aliis transmisit vel exsequitur, congrua poena puniatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 1463 - Qui quidvis donavit vel pollicitus est, ut aliquis officium, ministerium vel aliud munus in Ecclesia exercens illegitime aliquid ageret vel omitteret, congrua poena puniatur; item, qui ea dona vel pollicitationes acceptavit.

Can. 1464 - § 1. Qui praeter casus iure iam praevisos potestate, officio, ministerio vel alio munere in Ecclesia per actum vel omissionem abusus est, congrua poena puniatur non exclusa eorundem privatione, nisi in hunc abusum alia poena est lege vel praecepto statuta.

§ 2. Qui vero ex culpabili neglegentia actum potestatis, officii, ministerii vel alterius muneris in Ecclesia illegitime cum damno alieno posuit vel omisit, congrua poena puniatur.

Can. 1465 - Qui officium, ministerium vel aliud munus in Ecclesia exercens, cuicumque Ecclesiae sui iuris, etiam Ecclesiae latinae, ascriptus est, quemvis christifidelem contra can. 31 ad transitum ad aliam Ecclesiam sui iuris quomodocumque inducere praesumpsit, congrua poena puniatur.

Can. 1466 - Clericus, religiosus vel sodalis societatis vitae communis ad instar religiosorum negotiationem aut mercaturam contra canonum praescripta exercens congrua poena puniatur.

Can. 1467 - Qui obligationes sibi ex poena impositas violat, graviore poena puniri potest.

TITULUS XXVIII
DE PROCEDURA IN POENIS IRROGANDIS

CAPUT I
DE IUDICIO POENALI

Art. I
DE PRAEVIA INVESTIGATIONE

Can. 1468 - § 1. Quoties Hierarcha notitiam saltem veri similem habet de delicto, caute inquirat per se vel per aliam idoneam personam circa facta et circumstantias, nisi haec investigatio omnino superflua videtur.

§• 2. Cavendum est, ne ex hac investigatione bonum cuiusquam in discrimen vocetur.

§ 3. Qui investigationem agit, easdem ac auditor in processu habet potestates et obligationes; idemque non potest, si postea iudicium poenale promovetur, in eo iudicem agere.

Can. 1469 - § 1. Firmis cann. 1403 et 1411, si investigatio satis instructa esse videtur, decidat Hierarcha, num procedura in poenis irrogandis promovenda sit, et, si affirmative decidit, utrum per iudicium poenale an per decretum extra iudicium agendum sit.

§ 2. Hierarcha decisionem suam revocet vel mutet, quoties ex novis factis et circumstantiis aliud sibi decernendum videtur.

§ 3. Antequam quicquam in re decernit, Hierarcha audiat de delicto accusatum et promotorem iustitiae atque, si ipse prudenter censet, duos iudices aliosve iuris peritos; consideret etiam Hierarcha, num ad vitanda inutilia iudicia expediat, ut partibus consentientibus ipse vel investigator quaestionem de damnis ex bono et aequo dirimat.

Can. 1470 - Investigationis acta et Hierarchae decreta, quibus investigatio initur vel clauditur, eaque omnia, quae investigationem praecedunt, si necessaria non sunt ad proceduram in poenis irrogandis, in archivo secreto curiae asserventur.

Art. II

DE IUDICII POENALIS EVOLUTIONE

Can. 1471 - § 1. Salvis canonibus huius tituli in iudicio poenali applicandi sunt, nisi rei natura obstat, canones de iudiciis in genere ët de iudicio contentioso ordinario necnon normae speciales de causis, quae ad bonum publicum spectant, non vero canones de iudicio contentioso summario.

§ 2. Accusatus ad confitendum delictum non tenetur nec ipsi iusiurandum deferri potest.

Can. 1472 - § 1. Si Hierarcha decrevit iudicium poenale esse ineundum, acta investigationis promotori iustitiae tradat, qui libellum accusationis iudici ad normam cann. 1185 et 1187 exhibeat.

§ 2. Coram tribunali superiore partes actoris gerit promotor iustitiae apud illud tribunal constitutus.

Can. 1473 - Ad scandala praevenienda, ad testium libertatem protegendam et ad iustitiae cursum tuendum potest Hierarcha audito promotore iustitiae et citato ipso accusato in quolibet statu et gradu iudicii poenalis accusatum ab exercitio ordinis sacri, officii, ministerii vel alterius muneris arcere, ei imponere vel prohibere commorationem in aliquo loco vel territorio, vel etiam publicam Divinae Eucharistiae susceptionem prohibere ; quae omnia causa cessante sunt revocanda et ipso iure finem habent cessante iudicio poenali.

Can. 1474 - Iudex accusatum citans debet eum invitare ad eligendum advocatum intra tempus determinatum ; quo inutiliter elapso idem iudex ex ofiicio advocatum accusato constituat tamdiu in munere mansurum, dum accusatus sibi advocatum non constituerit.

Can. 1475 - § 1. In quolibet gradu iudicii renuntiatio litis instantiae fieri potest a promotore iustitiae mandante vel consentiente Hierarcha, ex cuius deliberatione iudicium promotum est.

§ 2. Renuntiatio, ut valeat, debet ab accusato acceptari, nisi hic a iudicio absens declaratus est.

Can. 1476 - Praeter defensiones et animadversiones scripto datas, si quae fuerunt, discussio causae ore fieri debet.

Can. 1477 - § 1. Discussioni assistunt promotor iustitiae, accusatus eiusque advocatus, pars laesa, de qua in can. 1483, § 1 eiusque advocatus.

§ 2. Tribunalis est peritos, qui operam in causa praestiterunt, ad discussionem vocare, ut peritias suas explicare possint.

Can. 1478 - In causae discussione accusatus semper ius habet, ut vel ipse vel suus advocatus postremus loquatur.

Can. 1479 - § 1. Discussione peracta tribunal sententiam ferat.

§ 2. Si ex discussione emersit necessitas novarum probationum colligendarum, tribunal dilata definitione causae novas probationes colligat.

Can. 1480 - Pars dispositiva sententiae statim publicanda est, nisi tribunal gravi de causa decernit decisionem secreto servandam esse usque ad formalem sententiae intimationem, quae numquam ultra mensem a die, quo causa poenalis definita est, computandum differri potest.

Can. 1481 - § 1. Appellationem interponere potest reus, etsi iudex eum absolutum dimisit ideo tantum, quia poena erat facultativa vel quia iudex potestate usus est, de qua in cann. 1409, § 1 et 1415.

§ 2. Promotor iustitiae appellare potest, si censet reparationi scandali vel restitutioni iustitiae satis provisum non esse.

Can. 1482 - In quolibet statu et gradu iudicii poenalis, si evidenter constat delictum non esse ab accusato patratum, iudex debet id sententia declarare et accusatum absolvere, etsi simul constat actionem poenalem esse exstinctam.

Art. III

DE ACTIONE AD DAMNA REPARANDA

Can. 1483 - § 1. Pars laesa potest actionem contentiosam ad damna reparanda ex delicto sibi illata in ipso iudicio poenali exercere ad normam can. 1276.

§ 2. Interventus partis laesae non amplius admittitur, si factus non est in primo gradu iudicii poenalis.

§ 3. Appellatio in causa de damnis fit ad normam cann. 1309 - 1321, etsi appellatio in iudicio poenali fieri non potest; si vero utraque appellatio, etsi a diversis partibus, interponitur, unicum fiat iudicium appellationis salvo can. 1484.

Can. 1484 - § 1. Ad nimias iudicii poenalis moras vitandas potest iudex iudicium de damnis differre, donec sententiam definitivam in iudicio poenali tulerit.

§ 2. Iudex, qui ita egit, debet, postquam sententiam tulit in iudicio poenali, de damnis cognoscere, etsi iudicium poenale propter interpositam impugnationem adhuc pendet vel accusatus absolutus est propter causam, quae non aufert obligationem damna reparandi.

Can. 1485 - Sententia lata in iudicio poenali, etsi in rem iudicatam transiit, nullo modo ius facit erga partem laesam, nisi haec intervenit ad normam can. 1483.

CAPUT II

DE IRROGATIONE POENARUM PER DECRETUM EXTRA IUDICIUM

Can. 1486 - § 1. Ad validitatem decreti, quo poena irrogatur, requiritur, ut :

1° accusatus de accusatione atque probationibus certior fiat data sibi opportunitate ius ad sui defensionem plene exercendi, nisi ad normam iuris citatus comparere neglexit;

2° discussio oralis inter Hierarcham vel eius delegatum et accusatum habeatur praesentibus promotore iustitiae et notario;

3° in ipso decreto exponatur, quibus rationibus in facto et in iure punitio innitatur.

§ 2. Poenae autem, de quibus in can. 1426, § 1, sine hac procedura imponi possunt, dummodo de earum acceptatione ex parte rei scripto constet.

Can. 1487 - § 1. Recursus adversus decretum, quo poena irrogatur, intra decem dies utiles, postquam intimatum est, ad auctoritatem superiorem competentem interponi potest.

§ 2. Hic recursus vim decreti suspendit.

§ 3. Contra decisionem auctoritatis superioris non datur ulterior recursus.

TITULUS XXIX

DE LEGE, DE CONSUETUDINE ET DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS

CAPUT I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

Can. 1488 - Leges instituuntur promulgatione.

Can. 1489 - § 1. Leges a Sede Apostolica latae promulgantur per editionem in Actorum Sedis Apostolicae commentario officiali, nisi in casibus specialibus alius promulgandi modus est praescriptus; obligare incipiunt elapsis tribus mensibus a die, qui Actorum numero appositus est, computandis, nisi ex natura rei statim obligant aut brevior vel longior Vacatio expresse est statuta.

§ 2. Leges ab aliis legislatoribus latae promulgantur modo ab his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab eisdem statuto.

Can. 1490 - Legibus mere ecclesiasticis tenentur baptizati in Ecclesia catholica vel in eandem recepti, quique sufficientem usum rationis habent et, nisi aliter iure expresse cavetur, septimum aetatis annum expleverunt.

Can. 1491 - § 1. Legibus a suprema Ecclesiae auctoritate latis tententur omnes, pro quibus datae sunt ubique terrarum, nisi pro determinato territorio conditae sunt; ceterae leges vim habent tantummodo in territorio, in quo auctoritas, quae leges promulgavit, potestatem regiminis exercet, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat.

§ 2. Legibus latis pro determinato territorio ii subiciuntur, pro quibus datae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur firma § 3, n. 1.

§ 3. Peregrini :

I° non obligantur legibus iuris particularis sui territorii, dum ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio nocet aut leges sunt personales ;

2° neque obligantur legibus iuris particularis territorii, in quo versantur, eis exceptis, quae ordini publico consulunt aut actuum sollemnia determinant aut res immobiles in territorio sitas respiciunt;

3° sed obligantur legibus iuris communis et legibus iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris, etsi, ad leges eiusdem iuris par-

ticularis quod attinet, in suo territorio non vigent, non vero, si in loco, ubi versantur, non obligant.

§ 4. Vagi obligantur omnibus legibus, quae vigent in loco, ubi versantur.

Can. 1492 - Leges a suprema Ecclesiae auctoritate latae, in quibus subiectum passivum expresse non indicatur, christifideles Ecclesiarum orientalium respiciunt tantummodo, quatenus de rebus fidei vel morum aut de declaratione legis divinae agitur vel explicite de eisdem christifidelibus in his legibus disponitur aut de favorabilius agitur, quae nihil ritibus orientalibus contrarium continent.

Can. 1493 - § 1. Nomine iuris communis in hoc Codice veniunt praeter leges et legitimas consuetudines universae Ecclesiae etiam leges et legitimae consuetudines omnibus Ecclesiis orientalibus communes.

§ 2. Nomine vero iuris particularis veniunt omnes leges, legitimae consuetudines, statuta aliaeque iuris normae, quae nec universae Ecclesiae nec omnibus Ecclesiis orientalibus communes sunt.

Can. 1494 - Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi expresse in eis de praeteritis cavetur.

Can. 1495 - Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

Can. 1496 - Leges, etiam irritantes aut inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ; in dubio facti autem ab eis dispensare possunt Hierarchae, dummodo dispensatio, si est reservata, concedi soleat ab auctoritate, cui reservatur.

Can. 1497 - § i. Ignorantia vel error circa leges irritantes aut inhabilitantes earundem effectum non impediunt, nisi aliud iure expresse statuitur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 1498 - § 1. Leges authentice interpretatur legislator et is, cui potestas authentice interpretandi ab eodem collata est.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis data eandem vim habet ac ipsa lex et promulgari debet; si verba in se certa declarat tantum, valet retrorsum ; si legem coartat vel extendit aut dubiam explicat, non retrotrahitur.

§ 3. Interpretatio autem per modum sententiae iudicialis aut actus administrativi in re speciali data vim legis non habet et obligat tantum personas atque afficit res, pro quibus data est.

Can. 1499 - Leges intellegendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam, quae si dubia et obscura mansit, secundum locos parallelos, si qui sunt, legis finem ac circumstantias et mentem legislatoris.

Can. 1500 - Leges, quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitium coartant aut exceptionem a lege continent, strictae interpretationi subsunt.

Can. 1501 - Si certa de re deest expressum praescriptum legis, causa, nisi est poenalis, dirimenda est secundum canones Synodorum et sanctorum Patrum, legitimam consuetudinem, generalia principia iuris canonici cum aequitate servata, iurisprudentiam ecclesiasticam, communem et constantem doctrinam canonicam.

Can. 1502 - § 1. Lex posterior abrogat priorem aut eidem derogat, si id expresse edicit aut si illi est directe contraria aut totam de integro ordinat legis prioris materiam.

§ 2. Lex iuris communis vero, nisi aliter in ipsa lege expresse cavetur, non derogat legi iuris particularis nec lex iuris particularis pro aliqua Ecclesia sui iuris lata derogat iuri magis particulari in eadem Ecclesia vigenti.

Can. 1503 - In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quatenus fieri potest, conciliandae.

Can. 1504 - Ius civile, ad quod ius Ecclesiae remittit, in iure canonico eisdem cum effectibus servetur, quatenus iuri divino non est contrarium et nisi aliter iure canonico cavetur.

Can. 1505 - Enuntiatio sermonis genere masculino etiam genus femininum respicit, nisi aliter iure cavetur vel ex natura rei constat.

CAPUT II
DE CONSUETUDINE

Can. 1506 - § 1. Consuetudo communitatis christianae, quatenus actuositati Spiritus Sancti in corpore ecclesiali respondet, vim iuris obtinere potest.

§ 2. Iuri divino nulla consuetudo potest ullo modo derogare.

Can. 1507 - § 1. Ea tantum consuetudo vim iuris habere potest, quae est rationabilis et a communitate legis saltem recipiendae capaci praxi continua et pacifica inducta necnon per tempus iure statutum praescripta.

§ 2. Consuetudo, quae a iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

§ 3. Consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut, quae est praeter legem canonicam, vim iuris obtinet tantum, si legitime per annos triginta continuos et completos servata est; contra legem canonicam vero, quae clausulam continet futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria vel immemorabilis.

§ 4. Legislator competens potest consuetudinem consensu suo saltem tacito etiam ante hoc tempus ut legitimam approbare.

Can. 1508 - Consuetudo est optima legum interpres.

Can. 1509 - Consuetudo sive contra sive praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur ; sed nisi expressam de eis mentionem facit, lex non revocat consuetudines centenarias vel immemorabiles; ad ceteras consuetudines quod attinet, valet can. 1502, § 2.

CAPUT III

DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS

Can. 1510 - § 1. Actus administrativi poni possunt ab eis, qui potestatem regiminis exsecutivam habent, intra limites eorum competentiae necnon ab illis, quibus haec potestas explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

§ 2. Actus administrativi sunt praesertim :

1° decreta, quibus pro casu speciali datur decisio aut fit provisio canonica ;

2° praecepta singularia, quibus personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omittendum directe et legitime imponitur praesertim ad legis observantiam urgendam;

3° rescripta, quibus conceditur privilegium, dispensatio, licentia aliave gratia.

Can. 1511 - Effectum habet actus administrativus a momento, quo intimatur, vel in rescriptis a momento, quo datae sunt litterae; si vero actus administrativi applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento exsecutionis.

Can. 1512 - § 1. Actus administrativus intellegendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum nec debet ad alios casus praeter expressos extendi.

§ 2. In dubio actus administrativus, qui ad lites refertur, ad poenas comminandas vel irrogandas attinet, iura personae coartat, iura aliis quaesita laedit aut adversatur legi in commodum privatorum, strictam recipit interpretationem; secus vero latam.

§ 3. In privilegiis ea semper adhibenda est interpretatio, ut ille, cui privilegium concessum est, aliquam revera gratiam consequatur.

§ 4. Non solum dispensatio, sed ipsa potestas dispensandi ad certum casum concessa strictae interpretationi subest.

Can. 1513 - § 1. Per legem contrariam nullus actus administrativus revocatur, nisi aliter in ipsa lege cavetur aut lex lata est ab auctoritate superiore ei, qui actum administrativum emisit.

§ 2. Actus administrativus non cessat resoluto iure eius, qui eum posuit, nisi aliter expresse cavetur.

§ 3. Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento, quo intimatur personae, pro qua datus est.

§ 4. Dispensatio, quae tractum habet successivum, cessat quoque certa ac totali cessatione causae motivae.

§ 5. Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit etiam cessante lege, ad cuius exsecutionem datum est ; praeceptum singulare cessat etiam resoluto iure praecipientis, nisi legitimo documento impositum est.

Can. 1514 - Actus administrativus, qui forum externum respicit, firmis cann. 1520, § 2 et 1527 scripto est consignandus ; item, si fit in forma commissoria, illius actus exsecutionis.

Can. 1515 - Actus administrativus, etiam si agitur de rescripto motu proprio dato, effectu caret, quatenus iura aliis quaesita laedit aut legi vel legitimae consuetudini contrarius est, nisi auctoritas competens expresse clausulam derogatoriam addidit.

Can. 1516 - Condiciones in actibus administrativis tunc tantum ad validitatem censentur adiectae, quoties per particulas si, nisi, dummodo, vel in lingua vernacula per aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Art. I

DE PROCEDURA IN DECRETIS EXTRA IUDICIUM FERENDIS

Can. 1517 - § 1. Antequam decretum extra iudicium fert, auctoritas necessarias notitias et probationes exquirat; iure audiendos vel consulendos audiat vel consulat; eos, quos directe decretum attingit ac praesertim eos, quorum iura laedi possunt, audiat.

§ 2. Petitori et etiam legitime contradicenti auctoritas notitias et probationes patefaciat, quae sine periculo publici vel privati damni cognosci possunt, et rationes forte contrarias ostendat data eis opportunitate respondendi, etiam per patronum, intra terminum ab ipsa auctoritate determinatum.

Can. 1518 - Auctoritas decretum intra sexaginta dies a recepta petitione ad decretum obtinendum computandos ferat, nisi ius particulare propriae Ecclesiae sui iuris alios terminos statuit ; si vero hoc factum non est et petitor decretum iterum scripto petit, tricesimo die ab hac petitione recepta computando, si etiam tunc nihil factum est, petitio pro reiecta habetur ac si eo die reiectio per decretum facta sit ita, ut recursus adversus eam interponi possit.

Can. 1519 - § 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod saluti animarum et bono publico maxime conducere videtur, servatis quidem legibus et legitimis consuetudinibus, iustitia et aequitate.

§ 2. In decreto exprimantur saltem summarie motiva ; si vero periculum publici vel privati damni obstat, ne motiva patefiant, haec in libro secreto exprimantur atque ei, qui de recursu forte adversus decretum interposito videt, ostendantur, si ipse petit.

Can. 1520 - § 1. Decretum vim iuris habet, postquam ei, ad quem destinatur, intimatum est modo, qui secundum locorum leges et condiciones tutissimus est.

§ 2. Si periculum publici vel privati damni obstat, ne textus decreti scripto tradi possit, potest auctoritas ecclesiastica iubere decretum ei, ad quem destinatur, coram duobus testibus vel coram notario legi, processu verbali redacto ab omnibus praesentibus subscribendo; his peractis decretum pro intimato habetur.

§ 3. Si vero is, ad quem decretum destinatur, intimationem recusavit vel ad normam iuris vocatus ad decretum accipiendum vel audiendum sine iusta causa a decreti auctore perpendenda non comparuit vel processui verbali subscribere recusavit, decretum pro intimato habetur.

Art. II

DE EXSECUTIONE ACTUUM ADMINISTRATIVORUM

Can. 1521 - Exsecutor actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam mandatum scripto datum recepit eiusque authenticitatem et integritatem recognovit, nisi auctoritas, quae eundem actum posuit, praeviam notitiam circa mandatum cum eo communicavit.

Can. 1522 - § 1. Exsecutor actus administrativi, cui committitur mera eiusdem actus exsecutio, hanc exsecutionem denegare non potest, nisi manifesto constat eundem actum esse nullum aut alia gravi de causa sustineri non posse aut condiciones actui administrativo appositas non esse impletas ; si vero exsecutio actus administrativi ratione adiunctorum personae aut loci videtur inopportuna, exsecutor exsecutionem intermittat et statim certiorem faciat auctoritatem, quae actum posuit.

§ 2. Si in rescripto concessio gratiae exsecutori committitur, eius est de suo prudenti iudicio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Can. 1523 - Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam; si condiciones ad validitatem actus mandato appositas non implevit vel substantialem procedendi formam non servavit, exsecutio nulla est.

Can. 1524 - Exsecutor actus administrativi potest alium de suo prudenti iudicio sibi substituere, nisi substitutio prohibita est aut electa est industria personae aut substituti persona determinata est ; his in casibus vero exsecutori licet alii committere actus praeparatorios.

Can. 1525 - Actus administrativus exsecutioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio, nisi electa est industria personae.

Can. 1526 - Exsecutori licet actum administrativum iterum exsecutioni mandare, si quoquo modo in eiusdem actus exsecutione erravit.

Art. III

DE RESCRIPTIS

Can. 1527 - § 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constat.

§ 2. Gratiam oretenus concessam aliquis probare tenetur, quoties id legitime ab eo petitur.

Can. 1528 - Rescriptum impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis apparet.

Can. 1529 - § 1. Reticentia veri in precibus non obstat, quin rescriptum vim habeat, dummodo expressa sint, quae ad validitatem sunt exprimenda secundum stilum curiae Hierarchae, qui rescriptum concedit.

§ 2. Nec obstat expositio falsi, dummodo una saltem causa motiva proposita vera sit.

Can. 1530 - § 1. Gratia ab auctoritate superiore denegata non potest ab auctoritate inferiore valide concedi, nisi auctoritas superior expresse consensit.

§ 2. Gratia ab aliqua auctoritate denegata non potest valide ab alia auctoritate aeque competenti aut auctoritate superiore concedi nulla facta in petitione denegationis mentione.

I° De privilegiis

Can. 1531 - § 1. Privilegium, scilicet gratia in favorem certarum personarum physicarum vel iuridicarum per specialem actum facta, concedi potest a legislatore et ab eo, cui legislator hanc potestatem concessit.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Can. 1532 - § 1. Privilegium praesumitur perpetuum.

§ 2. Privilegium cessat :

I° si est personale, per exstinctionem personae, cui concessum est ;

2° si est reale vel locale, per absolutum rei vel loci interitum;

3° elapso tempore vel expleto numero casuum, pro quibus concessum est;

4° si temporis progressu rerum adiuncta iudicio auctoritatis competentis mutantur ita, ut noxium evaserit aut eius usus illicitus fiat.

§ 3. Privilegium locale, si locus intra quinquaginta annos restituitur, reviviscit.

Can. 1533 - § 1. Nullum privilegium per renuntiationem cessat, nisi haec ab auctoritate competenti acceptata est.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona physica renuntiare potest.

§ 3. Privilegio concesso alicui personae iuridicae aut ratione dignitatis loci vel rei persona physica valide renuntiare non potest; nec ipsi personae iuridicae integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedit in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Can. 1534 - Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis non onerosum non cessat; si vero privilegium in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedit legitima praescriptio aut tacita renuntiatio.

Can. 1535 - Qui abutitur potestate sibi ex privilegio data, ab Hierarcha moneatur; graviter abutentem ac frustra monitum Hierarcha privet privilegio, quod ipse concessit ; si vero privilegium concessum est ab auctoritate superiore, eandem Hierarcha certiorem facere tenetur.

2° De dispensationibus

Can. 1536 - § 1. Dispensatio, scilicet legis mere ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest tantum iusta ac rationabili de causa habita ratione adiunctorum casus et gravitatis legis, a qua dispensatur; secus dispensatio illicita et, nisi ab ipso legislatore aut ab auctoritate superiore data est, etiam invalida est

§ 2. Bonum spirituale christifidelium est iusta et rationabilis causa.

§ 3. In dubio de sufficientia causae dispensatio licite et valide conceditur.

Can. 1537 - Dispensationi obnoxiae non sunt leges, quatenus determinant ea, quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva, nec leges processuales et poenales.

Can. 1538 - § 1. Episcopus eparchialis dispensare potest tam a legibus iuris communis quam a legibus iuris particularis propriae Ecclesiae sui iuris in casu speciali christifideles, in quos ad normam iuris potestatem suam exercet, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicat, nisi ab auctoritate, quae leges tulit, reservatio facta est.

§ 2. Si difficile est adire auctoritatem, cui dispensatio reservata est, et simul in mora est periculum gravis damni, omnis Hierarcha in casu speciali dispensare potest christifideles, in quos ad normam iuris potestatem suam exercet, dummodo agatur de dispensatione, quam eadem auctoritas in eisdem adiunctis concedit, firmo can. 396.

Can. 1539 - Qui habet potestatem dispensandi, eam exercere potest, etiam extra territorium exsistens, in subditos, etsi a territorio absentes, atque, nisi contrarium expresse statuitur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes necnon erga seipsum.

TITULUS XXX

DE PRAESCRIPTIONE
ET DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

CAPUT I

DE PRAESCRIPTIONE

Can. 1540 - Praescriptionem tamquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi necnon ab obligationibus se liberandi modum, prout est in iure civili, Ecclesia recipit, nisi aliud iure communi statuitur.

Can. 1541 - Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nititur non solum initio, sed toto decursu temporis ad praescriptionem requisiti salvo can. 1152.

Can. 1542 - Praescriptioni obnoxia non sunt :

1° iura et obligationes, quae sunt legis divinae;

2° iura, quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico ;

3° iura et obligationes, quae vitam spiritualem christifidelium directe respiciunt;

4° fines certi et indubii circumscriptionum ecclesiasticarum ;

5° obligationes et onera celebrationem Divinae Liturgiae respicientia ;

6° provisio canonica officii, quod ad normam iuris exercitium ordinis sacri requirit ;

7° ius visitationis et obligatio oboedientiae ita, ut personae in Ecclesia a nulla auctoritate ecclesiastica visitari possint et nulli auctoritati iam subsint.

CAPUT II

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Can. 1543 - Nisi aliter iure expresse cavetur, tempus supputetur ad normam canonum, qui sequuntur.

Can. 1544 - § 1. Tempus continuum intellegitur, quod nullam patitur interruptionem.

§ 2. Tempus utile intellegitur, quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit, ut ignoranti aut illi, qui agere non potest, non currat.

Can. 1545 - § 1. In iure dies intellegitur spatium constans ex 24 horis continuo supputandis et incipit a media nocte; hebdomada spatium 7 dierum, mensis spatium 30 dierum, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicuntur sumendi, prout sunt in calendario.

§ 2. Si tempus est continuum, mensis et annus semper sumendi sunt, prout sunt in calendario.

Can. 1546 - § 1. Dies, a quo calculus incipit, non computatur in termino, nisi huius initium coincidit cum initio diei aut aliter expresse iure cavetur.

§ 2. Dies, ad quem calculus dirigitur, computatur in termino, qui, si tempus constat ex uno vel pluribus mensibus aut annis, ex una vel pluribus hebdomadibus, finitur elapso ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri caret, elapso ultimo die mensis.

INDEX

An. et vol. LXXXH 5 Novembris 1990 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Librerìa Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beatus Gaspar Bertoni sanctus esse decernitur et definitur.

<

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divinus Redemptor ingrediens mundum dicit : « Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam: ...in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi in semel » *(Heb* 10, 9-10). Secundum hoc exemplar Beatus Gaspar Bertoni sensit se vocari, ut vitam suam faceret perfectum holocaustum cum Christi sacrificio coniunctum.

Veronae ortus die ix mensis Octobris anno MDCCLXXVII a tabellione Francisco Bertoni et Brunora Ravelli, insequenti die est baptizatus eique nomina sunt indita Gaspar Aloisius Dionysius. A puero singularibus est gratiis praeoccupatus et Dei incitamento. Prima Communio, ad quam duodecim annorum accessit, mystica experientia est signata, ut ipse est postea confessus. Gymnasii Municipalis alumnus insignem habuit magistrum, sed simul egregium spiritus moderatorem in Congregatione Mariana, P. Aloisium Fortis, futurum Societatis Iesu Generalem. Duodeviginti annos natus vocationi ad sacerdotium respondit, et theologiae scholas frequentans uti alumnus externus Seminarii, nactus est theologiae moralis professorem dominum Nicolaum Galvani, doctum et eruditum animae suae rectorem et futurae suae Congregationis fautorem.

Sacerdos ordinatus die xx mensis Septembris anno MDCCC, prius mandatum accepit, parochi nempe, anno MDCCCII : « Missionarius eris puerorum meorum ». Dominus Gaspar statim magno cum studio se

iuvenibus dedidit curandis et in subgrundio domus paroecialis S. Pauli Campi Martii primum suum condidit Oratorium tamquam ((cohortem Marianam », quam in alias plures paroecias urbis et dioecesis propagavit.

Alterum mandatum est ei delegatum anno MDCCCX ab Episcopo Liruti, qui ei seminarii directionem spiritalem concredidit. Ita dominus Gaspar factus est iuvenis cleri dux, mirum in dioecesi hoc modo sacerdotalis sanctitatis ver efficiens, qua eminuerunt Servi Dei Nicolaus Mazza, Antonius Provolo, Zephyrinus Agostini, Daniel Comboni.

Sacerdos Bertoni multum etiam incubuit in missionum praedicationem et sacrarum exercitationum, adeo ut Summus Pontifex Pius VII eum titulo ornaverit et facultatibus « missionarii apostolici » (die xx mensis Decembris anno MDCCCXVII).

Cum animadvertisset se ad vitam religiosam vocari, die iv mensis Novembris anno MDCCCXVI, eius patre spiritali domino Galvani adhortante, cum nonnullis promptis secessit ad abolitam ecclesiam Stigmatum S. Francisci ut scholas sustineret caritatis et secreto initium faceret Instituti religiosi ((missionariorum apostolicorum Episcopis adiuvandis », seu ((in obsequium Episcoporum », quod est post eius mortem appellatum « a Ss. Stigmatibus D.N.I.C. ».

Hos obiens labores, austerae paenitentiae coniunctos, dominus Bertoni optime intellexit quantam crux partem haberet in Christo sequendo. Mense Octobri anno MDCCCXII est gravi morbo correptus, communiter « migliare » dicto, qui eum in vitae discrimen adduxit. Ex morbo convaluit, sed reliquis XLI annis is ((valetudinarius » fuit, in perpetui martyrii acerba condicione. Vividissima fide fultus, in inenarrabilibus doloribus, in innumerarum sectionum cruciatu, sine anaesthesia peractarum, dexteri cruris (ferme ccc), is non solum fortissime patiens videbatur, verum etiam « de suo dolore laetus ».

Ab omnibus vir doctus et sanctus habitus, humilissimus sacerdos Bertoni, tot annis in suum cubile relegatus, a plurimis animis uti consilii angelus conquisitus est. Verum caput et momentum fuit eius renovationis religiosae et missionalis, in qua tam clare Verona eminuit saeculo xix.

Sancte Veronae de vita decessit, tempore postmeridiano diei dominici Xli mensis Iunii anno MDCOCLIII.

Sacerdotis Bertoni missionem eius filii, sodales Congregationis a Ss. Stigmatibus D.N.I.C, continuant in Italia, in utraque America, in Africa et in Asia, iuvenes christiane educando in Oratoriis, clerum in seminariis formando, ministerium sacerdotale exercitando.

Canonizationis Causa initium cepit anno MDCCCLXLVH Veronae Processu Ordinario celebrato. S. Pius X introductionis Causae decreto subscripsit die II mensis Martii anno MCMVI. Paulus VI virtutum heroicarum decreto subscripsit die xv mensis Decembris anno MCMLXVI ; Calendis Novembribus anno MCMLXXV sollemnem egit beatificationem.

Postea apud archiepiscopalem Curiam Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii actus est Processus cognitionalis de mira asserta sanatione precibus attributa Beati Gasparis Bertoni. Exitu cum secundo inspectionibus confectis a medicis atque a theologicis, coram Nobis die xi mensis Februarii anno MCMLXXXIX editum est decretum, quo agnoscebatur eam sanationem esse verum miraculum habendam. Dein peracto Consistorio, decrevimus ut canonizationis ritus Romae fieret Calendis Novembribus eiusdem anni.


Hodie igitur, Calendis Novembribus, in Vaticana Basilica Sancti Petri Apostoli, hanc sumus inter sacra formulam elocuti : « Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos *Gasparem Bertoni* et Richardum Pampuri Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Dein, Deo gratiis actis habitoque de novensili Sancto sermone, caeleste eiusdem primi invocavimus patrocinium et augustiore ritu divinum sacrificium ad ipsius pariter honorem facere perreximus.

Quae vero per has Litteras statuimus, et nunc et in posterum firma esse volumus, rebus quibuslibet contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Novembris, sollemnitate omnium Sanctorum, anno Domini millesimo nongentesimo undenonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***



In Secret. Status tab., n. ***253.982.***

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

COLATINENSIS

Distractis quibusdam territoriis ab archidioecesi Victoriensi Spiritus Sancti nova conditur dioecesis Colatinensis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex propinquo cotidianoque rerum experimento potuit Venerabilis Frater Silvester Aloisius Scandian a Nobismet ipsis scilicet novem abhinc annos Pastor prudenter institutus Archidioecesis Victoriensis Spiritus Sancti non modo penitus cognoscere multiplices magnasque gregis sui necessitates pastorales, verum etiam augescentem ferme cotidie difficultatem adeo latae regionis gubernandae ac fréquentions usque Christifidelium multitudinis convenienter curandae. Non ergo sine iustissima quidem et gravissima causa, consiliis prius cum ceteris Conferentiae Episcoporum Brasiliensis participibus Praesulibus ex officio collatis, huic suasit Apostolicae Sedi ut certis quibusdam de locis memoratae dicioni ecclesiasticae abstractis nova conderetur ecclesialis communitas facilius quae in posteros annos item regeretur. Quod totum deinde propositum cum Venerabili "Fratri Carolo Furno, Archiepiscopo titulo Abaritano in eaque natione Nuntio Apostolico, arriserit omnibus numeris necnon Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus et Episcopis, qui singulas Congregationis pro Episcopis pondérant diiudicantque causas, haec idcirco quae continuo sequuntur apostolica Nostra fidenter usi potestate decernimus fierique prorsus volumus in totius Brasiliensis Ecclesiae spiritalem commoditatem. A finibus hucusque Archidioecesis Victoriensis Spiritus Sancti municipia illa subtrahimus, quem ad modum lege civili dicuntur et circumscribuntur : Colatina, Aracrux, Baixo Gandú, Ibira^ú, Itaguaeú, Itarana, Joäo Neiva, Laranja da Terra, Linhares, Marilândia, Pancas, Rio Banana!, Santa Teresa, ex quibus sic seiunctis inter seque coniunctis dioecesim sui iuris efficimus in posterum tempus COLATINENSEM nuncupandam iisdemque nempe definitam limitibus, quibus dicta municipia si simul sumuntur. Porro sedem principem novae huius cornimi-

nitatis in urbe defigimus vulgo Colatina nominata ubi paroeciale pariter templum Sacratissimo Cordi Iesu dedicatum ad condicionem evehimus dignitatemque aedis Cathedralis cunctis eodem tempore insignibus et iuribus privilegiis et honoribus cumulatum quae sacris e canonibus tribui consueverunt reliquis per orbem eiusdem nominis atque gradus templis. Colatinensis ita dioecesis, quam suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Victoriensis Spiritus Sancti cuiusque Episcopum aequabiliter subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Ecclesiae Metropolitanae pro tempore, ipsum Praesulem et Pastorem libentes augemus privilegiis iuribus insignibus universis quibus ceteri item in Ecclesia locorum Ordinarii fruuntur. Ipsius autem congruae prospicietur sustentationi e Curiae emolumentis et fidelium stipibus et bonorum partitione secundum Codicis Iuris Canonici canonem peragenda quae adhuc Mensam ad episcopalem, vulgo « Mitra » appellatam, Victoriensis Archiepiscopi pertinuerunt. Quo vero certius primos novensilis huius gregis passus dirigere Antistes inibi sciat, ei adesse volumus Collegium Consultorum ad normam iuris communis quam primum. De Seminarii dioecesani constitutione rectioneque et alumnorum educatione servabuntur communis iuris praecepta ac nominatim regulae a Congregatione de Institutione Catholica editae. Cum deinceps fieri licuerit, lectiores sacrorum alumni philosophicis theologicisque altius imbuendi disciplinis Romam in Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur. Ad novae regimen dioecesis quod spectat, administrationem bonorum, electionem dioecesani Administratoris ((sede vacante », fidelium iura et officia aliaque id genus omnia praescripta canonum custodiuntur. Simul vero atque Colatinensis dioecesis erectio erit ad effectum deducta, iam illi dioecesi sacerdotes censebuntur adscripti in cuius finibus munus habent ecclesiasticum ; reliqui presbyteri ac seminarii tirones manebunt ei communitati incardinati vel incardinabuntur cuius intra fines legitimum detinent domicilium. Acta quidem et documenta novum Colatinensem gregem tangentia eiusque ministros ac fideles et temporalia forsitan bona primo quoque tempore in Curiam pervehantur Colatinensem. Denique tandem decreta haec singula et iussa Nostra ut quam accuratissime res in solidas convertantur deputamus commemoratum superius Apostolicum in Brasilia Nuntium vel, ipso absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia procuratorem cui necessarias cunctas et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo hic agitur quemcumque visum erit virum in ecclesiastica dignitate constitutum,

officio simul rite obstrictum ut ad Congregationem pro Episcopis, simul ac fieri potuerit, germanum exemplar actus ipsius ita peractae exsecutionis transmittat. Quod superest denique precantes Nos ut caelitus vigor pietatis fideique Catholicae novensili Ecclesiae Colatinensi addatur et quam primum plenum is grex promoveatur divinitus ad vitae florem maioremque in Brasilia Ecclesiae Catholicae honorem, mandamus omnino ut haec singula tam nunc quam in postera tempora usquequaque valeant statuta omnemque suam sortiantur canonicam vim, contrariis quibusvis rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

SB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

¡$ BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Franciscus Cascone, *Proton. Apost. s.n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 261.951.

II

MOMBASAËNSIS

Nova Provincia ecclesiastica in Kenia constituitur Mombasaënsis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Ecclesia Catholica in Kenia fidelium numero, operibus inceptisque pastoralibus multum creverit spemque alat fore ut in posterum magis magisque augeatur, Nos, quibus cordi est ea omnia probare et ad effectum adducere, quae tum universae, tum locorum Ecclesiae quoquo modo prodesse possint, ut ipsis Episcopis, presbyteris, religiosis Christique asseclis ibi impiger laborantibus iustae tribueremus laudis testimonium animumque adderemus ad impensiorem in dies curam adhibendam de tota sua ecclesiali Communitate firmius constabilienda et prolatanda, statuimus novas ibi condere ecclesiasticas Provincias. Qua re, audita sententia Congregationis pro Gentium

Evangelizatione iisque item auditis, quorum interest, novam, praeter alias, Provinciam ecclesiasticam Mombasaënsem ita instituimus, ut cognominis dioecesis ad gradum evehatur archidioecesis metropolitanae eique tamquam suffraganea dioecesis subiciatur Garissaënsis, hucusque sedi metropolitanae Nairobensi subiecta. Insuper Venerabilem Fratrem Ioannem Njenga, ad hoc usque tempus Episcopum Mombasaënsem, ad dignitatem promovemus Archiepiscopi et Metropolitae Mombasaënsis. Ad haec omnia perficienda Venerabilem Fratrem legamus Clementem Faccani, Archiepiscopum titularem Serrensem in Proconsulari et in Kenia Apostolicum Pro-Nuntium, omnibus ei factis necessariis et opportunis facultatibus, etiam alium sacerdotem delegandi, onere imposito sincerum ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione peractae exsecutionis exemplar mittendi. Rebus nullis contrariis obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

SB AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Cascone, *Proton. Apost. s.n.*
Antonius Macculi, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 263.897.

III

RAISHAHIENSIS

In Bangladesa nova conditur dioecesis Raishahiensis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius in Bangladesa consuleretur evangelizationis operi, nuper Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, auditis quorum interest votis, novam dioecesim in eadem Natione censuerunt constituendam. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, eorundem sententiam ratam habentes, haec summa Apostolica Nostra decernimus

20 febbraio 1990. A S. E. il sig. Francisco Javier Cuadra Lizana *(Cile).*
13 marzo » A S. E. il sig. Rudolf Kirschläger *(Austria).*
4 aprile » A S. E. il sig. Jerzy Kuberski *(Polonia).*

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

27 gennaio 1990. Al sig. Giovanni dei Marchesi Serlupi Crescenzi (Roma).
3 maggio » Al sig. Vittorio Trocchi (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

15 settembre 1989. Al sig. Dungia Mosi Nagifi *(Zaïre).*
29 » Al sig. Lucien Champenois *(Francia).*
10 ottobre Al sig. Antonio Lojacono (Civitavecchia-Tarquinia).
» » Al sig. Ernst Träger (Freiburg im Breisgau).
30 novembre Al sig. Giuseppe Pellegrinelli (Bergamo).
» » Al sig. Gianfranco Mai (Bergamo).
» » Al sig. Silvio Piccinelli (Bergamo).
22 febbraio 1990. Al sig. Giuseppe Toniolo (Pisa).
26 marzo Al sig. Angelo Agnes (Avellino).
31 » Al sig. Jorio Borchi (Prato).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

6 novembre 1987. Al sig. Lyman Stebbins (New York).
» » » Al sig. Bernard Carroll (New York).
28 agosto 1988. Al sig. Frank William Voisin (Hamilton).
16 gennaio 1989. Al sig. Gino Tapinassi (Roma).
24 » » Al sig. Joseph Maxfield Warren (Saint Paul and Minneapolis).
19 febbraio » Al sig. Heinrich Zunterer (München und Freising).
28 » » Al sig. Arnaldo Vannucchi (Pitigliano-Sovana-Orbetello).
7 aprile » Al sig. Antonio Da Ros (Vittorio Veneto).

24	aprile	1989.	Al sig. Hervé Hof er Bury (Paris).
11	giugno	»	Al sig. Giuseppe Maoli (Rieti).
7	settembre	1989.	Al sig. Pierre Bédikian (Iskanderiya).
»	»	»	Al sig. Emile Bazergui (Iskanderiya).
	»	»	Al sig. Raphaël Atallah (Iskanderiya).
»	»	»	Al sig. Roupen Nalbandian (Iskanderiya).
17	»	»	Al sig. Heinrich F. J. M. van den Erenbeemt (s'Hertogenbosch).
10	ottobre	»	Al sig. Otto Meyer (Augsburg).
12	»	»	Al sig. Hugh McLaughlin (Armagh).
31	»	»	Al sig. Nicholas Lundberg (Dublin).
9	novembre	»	Al sig. Anthony Idowu George (Lagos).
»	»	»	Al sig. Alphonsus Bamidele Abiodun Obilana (Lagos).
2	gennaio	1990.	Al sig. Franco G. Astuto *(Italia).*
»		»	Al sig. Umberto Pelizzola *(Italia).*
»	»		Al sig. Alberto Lombardi *(Italia).*
10	»	»	Al sig. Imre Höfle (Caracas).
18	»	»	Al sig. Michele Santarella (Ravenna-Cervia).
20	»	»	Al sig. Claudio Modena (Chioggia).
24		»	Al sig. Josef Rötzer (Linz).
30	»	»	Al sig. Théodore Mangiapan (Tarbes et Lourdes).
31	»	»	Al sig. Giorgio Giovando (Ivrea).
1	febbraio	»	Al sig. André Courtaigne (Paris).
7	»	»	Al sig. Henry Nové-Josserand (Lyon).
»	»	»	Al sig. Vincenzo Tarsia (Agrigento).
9		»	Al sig. Giuseppe D'Urso (Roma).
»	»	»	Al sig. Virgilio Cassio (Roma).
».			Al sig. Luigi Bafanelli (Roma).
14	»	»	Al sig. Arshad Yassin Rashid (Babilonia dei Caldei).
»	»	»	Al sig. Hussam Bethoun Rassam (Babilonia dei Caldei).
16	»	»	Al sig. François Journel (Paris).
»	»	»	Al sig. Richard Lai Pong Chong (Kuala Lumpur).
»	»	»	Al sig. Gonzalo Rey Lama (Santiago de Compostela).
21	»	»	Al sig. Pietro Mancinelli (Roma).
27	»	»	Al sig. Andrea Burresi (Siena-Colle di Val d'Elsa-Montalcino).
9	marzo	»	Al sig. Franco Campanale (Bari-Bitonto).
»	»	»	Al sig. Vitantonio Carlomagno (Cassano all'Jonio).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Giacomini (Padova).
20	»	»	Al sig. Peter Hasler *(Città del Vaticano).*
29	»	»	Al sig. Roberto Mancinelli (Roma).
31	»	»	Al sig. Giovanni Proietti *(Italia).*
8	aprile	»	Al sig. Fabrizio Cattuzzo (Fiesole).
»	»	»	Al sig. Olinto Brandi (Fiesole).
30	»	»	Al sig. Giorgio Pennacchi (Porto-Santa Rufina).
8	giugno	»	Al sig. Filippo Dozzi (Roma).
»	»	»	Al sig. Vittorio Erario *(Italia).*
21	»		Al sig. Lamberto Ottaviani (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

27	gennaio	1988.	Al	sig. Peter Anthony Campbell (San Diego).
»	»	»	Al	sig. Floyd Daniel Dillabough (San Diego).
»	»	»	Al	Sig. George Aloysius Leo Leeher (San Diego).
»	»	»	Al	sig. Irving William Parker (San Diego).
[illegible]	marzo	»	Al	sig. Daniel Kavka (Passaic).
»	»		Al	sig. George Pegula (Passaic).
»	»	»	Al	sig. Michael Timko (Passaic).
14	aprile	»	Al	sig. Robert E. Scholly (Rockville Centre).
4	maggio	»	Al	sig. Victor R. Coudert, Jr. (Bridgeport).
»	»	»	Al	sig. William Gallagher (Bridgeport).
»	»	»	Al	sig. Bernard D. Helfrich (Bridgeport).
»	»	»	Al	sig. Carleton H. Pember (Bridgeport).
»	»	»	Al	sig. Daniel E. Ryan (Bridgeport).
[illegible]	giugno	»	Al	sig. John N. Dempsey (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Henry Durham (Norwich).
»	»		Al	sig. Peter A. LaMalfa (Norwich).
»		»	Al	sig. Jeremiah J. Lowney (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Salvatore A. Mazzotta (Norwich).
»			Al	sig. Hubert A. Neilan (Norwich).
»	»	»	Al	sig. William F. O'Neil (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Walter 0'Sullivan (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Kennetth M. Parazych (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Daniel B. Ryan (Norwich).
»	»	»	Al	sig. Leo C. Tetreault (Norwich).
15	»	»	Al	sig. Richard John Sayour (Newton).
»	»	»	Al	sig. Victor Anthony Sayour (Newton).
27	»	»	Al	sig. Petrus Leonardus Houben (Roermond).
»	»	»	Al	sig. Matthew Henry van Heugten ('s-Hertogenbosch)
13	ottobre	»	Al	sig. Robert B. Barnett (Mobile).
»		»	Al	sig. Edward A. Betancourt (Mobile).
	»	»	Al	sig. William M. Bowen (Mobile).
	»	»	Al	sig. Lee J. Bruno (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Emanuel Carter (Mobile)
	»	»	Al	sig. J. Brandiey Donaghey (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Thomas L. Doyle (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Michael Ford (Mobile).
»	»	»	Al	sig. 0. Joseph Hamburger (Mobile).
»	»	»	Al	sig. W. Harold Grant (Mobile).
»		»	Al	sig. John Navin Hecker (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Robert A. Hedstrom (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Richard Hodges (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Mitchell M. Kalifeh (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Calvin P. Keith (Mobile).
»	»	»	Al	sig. James Loftin (Mobile).
»	»	»	Al	sig. William H. McDermott (Mobile).
	»	»	Al	sig. John P. Macnamara (Mobile).
»	»	»	Al	sig. Herbert R. Noi etto (Mobile).
»	»		Al	sig. Arthur R. Outlaw (Mobile).

13 ottobre 1988. Al sig. Henry E. Patrick (Mobile).
» » ». Al sig. James M. Seals (Mobile).
» » » Al sig. Sam Shippen (Mobile).
» » » Al sig. Gordon G. Smith III (Mobile).
» » » Al sig. Frederick T. Stuardi (Mobile).
» » Al sig. Joseph V. Torrans (Mobile).
» » » Al sig. Luis M. Williams (Mobile).
» » » Al sig. Joseph H. Wilson (Mobile).
» » » Al sig. Samuel A. Zoghby (Mobile).
15 » Al sig. John J. Gallivan (Salt Lake City).
3 dicembre » Al sig- Antonio Díaz-Infante Ortuño (San Luis Potosí)
» Al sig. Carlos González Ramírez (San Luis Potosí).
» » » Al sig. Manuel Gómez Madrazo (San Luis Potosí).
» » » Al sig. Emerson S. Sturdevant (Salt Lake City).
4 gennaio 1989. Al sig. Patrick Brannigan (Paterson).
» » Al sig. Dominic Calabrese (Paterson).
» » » Al sig. Kenneth Foster (Paterson).
» » Al sig. William M. Kearns (Paterson).
» » » Al sig. Jamie Llanso (Paterson).
» » » Al sig. Anthony Lopez (Paterson).
» Al sig. Frank Lynch (Paterson)
» » Al sig. Robert Mulcahy (Paterson)
» » » Al sig. Edward Sebelle (Paterson).
» » » Al sig. Albin Stolarik (Paterson).
1 febbraio » Al sig. Lawrence J. Baldwin (New Orleans).
» » Al sig. Tom Benson (New Orleans).
» » Al sig. John F. Bricker (New Orleans).
» » Al sig. Ernest A. Carrere Jr. (New Orleans).
» » Al sig. James A. Comiskey (New Orleans).
» » » Al sig. Ernest J. Cook, Jr. (New Orleans).
» Al sig. James E. Cunningham (New Orleans).
» Al sig. Charles I. Denechaud III (New Orleans).
» » » Al sig. Harold S. Dey (New Orleans).
» » » Al sig. David Dixon (New Orleans)
» » » Al sig. Michael H. Ellis (New Orleans).
» » » Al sig. William F. Finegan (New Orleans).
» » Al sig. Henry J. Friloux, Jr. (New Orleans).
» » Al sig. J. Donald Garvey (New Orleans).
» » » Al sig. Lawrence D. Garvey (New Orleans).
» » Al sig. Maurice J. Hartson, III(New Orleans).
» » » Al sig. Henry L. Houin, Jr. (New Orleans).
» » » Al sig. Norman Kerth (New Orleans).
» » » Al sig. John B. Levert, Jr. (New Orleans).
» » » Al sig. T. Benbury Lockett (New Orleans).
» » Al sig. Thomas C. Mancini (New Orleans).
» » » Al sig. Charles C. Mary, Jr. (New Orleans).
» » » Al sig. Alden J. McDonald, Jr. (New Orleans).
» » » Al sig. Robert C. Mclntyre (New Orleans).
» » » Al sig. Robert L. Menard (New Orleans).

1	febbraio	1989.	Al	sig. E. J. Ourso (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Thomas P. Perkins, Sr. (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Olaiborne Perrilliat (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Peter Quirk (New Orleans).
	»	»	Al	sig. Anthony Rachal (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Michael J. Rapier (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. E. Howard Read (New Orleans).
»	»	»	Al	Sig. Reynard Rochon (New Orleans).
»		»	Al	sig. Stephen B. Rodi (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Jerry E. Romig (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. J. Garic Schoen (New Orleans).
	»	»	Al	sig. Gerald L. Schroeder (New Orleans).
»		»	Al	sig. John F. Screen (New Orleans).
»		»	Al	sig. William S. Smith (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Frank B. Stewart, Jr. (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Benjamin Toledano, Jr. (New Orleans).
	»	»	Al	sig. Jerome L. Tujague (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Basile Uddo (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Joseph F. Uddo, Jr. (New Orleans).
»	»	»	Al	sig. Frank H. Walk (New Orleans).
18	»	»	Al	sig. Winandus M.L.M. Kinels (Roermond).
11	aprile	»	Al	sig. Leon K. Poche (Lafayette).
23	maggio	»	Al	sig. Francis Gerard Bulber (Lake Charles).
22	luglio	»	Al	sig. John William Brent (Atlanta).
»	»	»	Al	sig. Rawson Haverty (Atlanta).
»	»	»	Al	sig. Hugh Spalding (Atlanta).
8	ottobre	»	Al	sig. Jesús Díaz-Infante Ortuño (San Luis Potosí).
8	novembre	»	Al	sig. Anthony A. Aremu (Oyo).
»	»	»	Al	sig. Anthony Adeleke (Oyo).
»	»	»	Al	sig. Joseph 0. Fasunhan (Oyo).
8	»	»	Al	sig. Philip Aloysius Timmermans (Rotterdam).
5	dicembre	»	Al	sig. Otto Deden (Rotterdam).
10	gennaio	1990.	Al	sig. Mariano Moronta (Los Teques).
13	»	»	Al	sig. Eugene Gillan (Armagh).
1	febbraio	»	Al	sig. Georg Rosmus (Passau).
»	»	»	Al	sig. Franz Ilg (Passau).
7	»		Al	sig. Charles Chanagnon (Lyon).
»	»	»	Al	sig. Charles Manterde (Lyon).
10	»	»	Al	sig. Bruno Babbi (Civitavecchia-Tarquinia).
»	»	»	Al	sig. Mario Gargiulo (Civitavecchia-Tarquinia).
16	»	»	Al	sig. François Rabourdin (Paris).
21	»	»	Al	sig. Alberto Goroni (Roma).
27	»	»	Al	sig. Wilhelm Plöger (Essen).
17	marzo	»	Al	sig. Angelo Nardinocchi (Roma).
20	»	»	Al	sig. Roman Fringeli *(Città del Vaticano).*
3	aprile	»	Al	sig. Jean Barbero (Fréjus-Toulon).
8	»	»	Al	sig. Nello Felicini (Fiesole).
»	»	»	Al	sig. François José M. de Bertoult (Soisson).
	»		Al	sig. Fabrizio Di Gregorio (Sabina-Poggio Mirteto).

8 aprile 1990. Al sig. Alfredo Nicolai (Sabina-Poggio Mirteto).
30 » » Al sig. Dominique Merlet (Paris).
8 maggio » Al sig. Roger Thirot (Paris).
21 » » Al sig. Franco Selva (Roma).
29 » Al sig. Nicola Giordano (Taranto).
» » » Al sig. Angelo Raffaele Lazzaro (Taranto).
6 giugno » Al sig. Bruno Del Pio (Roma).
» » » Al sig. Giuseppe Montalbotti (Roma).
21 » Al sig. Angelo Maria Angeletti (Roma).
» Al sig. Antonio Pelosi (Viterbo).

NECROLOGIO

16 settembre 1990. Mons. Héctor Jaramillo Duque, Vescovo di Sincelejo *(Colombia).*
17 » » Mons. Herman Eberhard Spiess, Vescovo tit. di Cemeriniano.
18 » » Mons. Giuliano Agresti, Arcivescovo di Lucca *(Italia).*
22 » » Mons. Carlo Cavallera, Vescovo emerito di Marsabit *(Ken ja).*
27 » » Mons. John Thomas Durkin, Vescovo emerito di Louis Trichard-Tzaneen *(Sud Africa).*
29 » » Mons. Raffaele Forni, Arcivescovo tit. di Egina.
» » » Mons. Volodymyr Malanczuk, Vescovo tit. di Epifania di Siria.
8 ottobre » Mons. Karl-August Siegel, Vescovo tit. di Sinnipsa.
16 » » Mons. Celestino Enverga, Vescovo di Daet *(Filippine).*
17 » » Mons. Francisco Orozco Lomelin, Vescovo tit. di Vita.
23 ottobre » Mons. Honorato Spiazera, Vescovo emerito di Lages *(Brasile).*
25 » » Mons. Jesús Domínguez Gómez, Vescovo di Coria-Cáceres *(Spagna).*
28 » » Mons. Mario Schierano, Arcivescovo tit. di Acrida.
29 » » Mons. Adrien Gand, Vescovo emerito di Lille *(Francia).*
1 novembre » Mons. Cyprian Kihangire, Vescovo emerito di Gulu *(Uganda).*
3 » » Mons. René Stourm, Arcivescovo emerito di Sens *(Francia).*

An. et vol. LXXXH 3 Decembris 1990 N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

IOANNES PAULUS II

AD PRAESULES, SACERDOTES, FIDELES ECCLESIAE MILLE QUADRINGENTIS ELAPSIS ANNIS A GREGORIO MAGNO CREATO PONTIFICE ROMANO

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii Filiaeque dilectae salutem et Apostolicam Benedictionem.

PLURIMUM SIGNIFICANS eventus dignusque et ipse, qui cunctis ab Ecclesiae fidelibus verum ab Episcopis maxime ac Presbyteris commemoretur, iam exsistit millesimus quadringentesimus mox exiturus annus ex quo in Romanum est Episcopum Gregorius Magnus adlectus. Honorificus vero idem titulus quo excelsitas eius est immortalitati commendata, acerrimus dein pastoralis ipsius animus, qui primaria veluti regula obligatioque ad quam reliqua referebantur, omnia antecessit curis universis et civilibus ei quoque explendis muneribus, Augustini sociorumque missio ad Anglos in arduum sane frugiferumque evangelizationis opus: quaedam hae sunt eminentiores personae illius et ingenii partes quae, ob magnam insignis exempli

etiamnum homines obstringentis vim, licet multa praeterierint ab eius aetate saecula, peculiarem merentur sibi mentionem.

Suis autem ex humanis sacerdotalibusque rationibus ipsa Gregorii forma admirantibus item hodie nobis ante oculos obversatur et, quantumvis mutatae — ne dicamus novae — invaluerat societatis humanique cultus condiciones, tamquam valentissima fidelitatis evangelicae testificatio spectatur necnon vehemens quidem studii nostri incitamentum resque inveniendi virtutis nobis hominum pastoribus propriae.

Servus servorum Dei: appellationem hanc eo ab ipso sumptam iam diacono in pluribusque usurpatam epistulis constat communem deinceps evasisse nominationem et quasi quandam Episcopi Romani definitionem. Pariter aliunde elucet demissa vere ex mente effecisse illum ex eodem titulo ministerii sui insigne atque universalem propter apostolatum suum in Christi Ecclesia omnino sese semper existimavisse et maximum primumque commonstravisse servorum Dei servum, omnium videlicet ad Christi ipsius exemplum famulum qui conceptis id adseveraverat verbis : « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis ».* Intima igitur ipsi fuit dignitatis propriae conscientia, ad quam trepidante valde mente accessit, cum nequiquam esset in tenebris restare conatus ut eam declinaret; at luculenta simul conscientia fuit proprii serviendi officii, cum et is intellegent ipse et intellegere ceteros doceret omnem esse praesertim in Ecclesia auctoritatem suapte natura ministerium.

Talis vero proprii muneris pontificii notio ac pro rata parte cuiusvis pastoralis operis vocabulo perstringitur et continetur responsalis officii : quicumque enim quodvis exerceat in Ecclesia ministerium, respondere eum de illo oportet, quod agat, non hominibus solis neque animabus sibi creditis sed etiam in primisque Deo ipsiusque Filio, cuius totiens nomine se ge-

' *Mt* 20, 28.

rat quoties supernaturales gratiae partiatur thesauros, Evangelii nuntiet Veritates, dirigendi operam persequatur et gubernandi.

Eandem vero hanc notionem, quae vigilans est propriorum officiorum conscientia, non tantum operibus totum per pontificatum procuratis reperimus confirmatam sed ipsius aequabiliter scriptis, illo potissimum quidem quod tot saecula fuit etiamque nunc incomparabilis liber manualis pro hominum pastoribus est et quod synodi atque concilia commendaverunt complura. Quantumvis notae quaedam sint affirmationes *Regulae Pastoralis* Sancti Gregorii, sicut illa qua dicit : « Ars est artium regimen animarum », voces tamen graves ac monitoriae, quae praeponuntur et sequuntur eam, quomodonam excidere de memoria possunt? « Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur !... saepe qui nequaquam spiritalia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt ». Et rursus : « Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet ».[2]

Transactis viginti iam quinque annis a Concilio Vaticano Secundo absoluto quod non manco nec levi quodam iudicio, sed efficaci aliqua electione, temporum recentiorum necessitatibus respondente, appellatum « pastorale » est proindeque ad Evangelii salutis ministerium proprie destinatum, plurimum sane proderit expedietque in manus hunc vere aureum sumere librum, unde doctrinae etiamnum valentes hauriantur et utiles profecto pastorali ex consuetudine monitiones et — ut ita dicamus — ipsa artis cuiusdam arcana, quam necesse omnino est prius addisci, quam deinceps exerceatur.

Evangelii missio praeconum ad « gentem Anglorum », quam peropportuno instinctu pastorali statuerat Gregorius et Augustinus monachus perfecit, loquendi Nobis argumentum in-

[2] *Reg. Past.* I, 1, 2.

dolis videlicet oecumenicae praebet, quod non solis Ecclesiae Catholicae fidelibus proponere cupimus, verum Fratribus ac Sororibus Anglicanae quoque Communionis. Quanta enim cum animi commotione inter historica sancti Bedae Venerabilis scripta paginae illae perleguntur adventum beati Dei Servi Augustini eiusque monachorum in Britanniam enarrantes necnon adsiduas Romani Pontificis curas, quas de iis prae se ferebat eorumque incepto cum amanti nempe ac vigili oculo ipsos procul sectabatur! Adibant enim « tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem » quam missionales iidem viri adeo etiam intermittere cogitabant, sed alacriter repetiverunt ob illius hortativa incitamenta, qui miserat eos imperabatque ut « omni instantia, omnique fervore » incohatum iam persequerentur opus. Quod feliciter quidem, auxiliante Domino, exiit pacificamque peperit Regno Dei Insulae illius deditionem. Ita porro eiusdem Sancti intellegitur celebratio, grati nimirum animi plena atque amoris, quae ibi eius morti adnectitur: « recte nostrum appellare possumus et debemus apostolum » — inibi legitur — « Quia ... nostram gentem eatenus idolis mancipatam, -Christi fecit Ecclesiam, ita ut apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem: quia etsi aliis non est apostolus, sed tamen nobis est; nam signaculum apostolatus eius nos sumus in Domino ».[3]

Nostris pariter diebus sacrum hoc « Signaculum » perdurat neque propter comprobatas solum rationes historiaeque coniunctiones, sed multiplicia etiam ob vincula, quae acerbi discidii vicissitudines supervaserunt, adhuc vehementer, permovere potest impellereque ut ex caritate et veritate iterum viae benedictae unionis ac fraternae consensionis reperiantur. Gregorium enim immutabili cum admiratione venerationeque tum Catholici respiciunt tum etiam Anglicam qui in suscepto iam oecumenicae operae itinere figuram offendere

[3] *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum,* I, c. 23 ss; II, c. 1.

valent ipsius uti pastoris seduli eiusque vocem confirmantem illos et cohort&ntem tum etiam consolantem.

Tria tamen praeterea adiuncta sunt quibus praestantis huius Pontificis nuntius accommodatior etiam redditur haec ad tempora nostra. Quem ad modum videlicet Romana ipsius civitas atque communitas nativa cum domo ibi quadam antiquissima nobilissimaque faciebant ut Urbis acriter perciperet necessitates, ita christiana profecto eius vocatio ac pontificia industria eum permovebant ut in totius omnino Ecclesiae commoditatem indefatigabili studio operaretur. Multiplex vero haec sollicitaque Gregorii cura clarum praestat indicium trib as de ecclesiasticis eventibus quos iam praenuntiavimus : Synodi nempe dioecesis Romanae celebratio iam magnam est partem praeparata; instat Episcoporum Synodi congressus ubi de presbyterorum hodie institutione agetur; advocata iam est synodalis congressio omnis Europae Episcoporum.

Insignis utinam Pastoris recordatio studium opusque sustineat ipsius Successoris et adiutorum Episcoporum necnon parochorum et omnium aliorum — sacerdotum, religiosorum et religiosarum atque christifidelium — qui proxime in navitate pastorali Romae eiusque circumiacentis provinciae versantur, ut prudens iis tribuatur intellectus et animi firmitas, quibus graves adeant quaestiones indolis religiosae moralis spiritalis, cum incremento Urbis coniunctas cumque cultus humani conversione et ipsis gubernii civilis atque administrationis difficultatibus ! Quod ille « sua » fecit pro Roma impeditis sane adversisque temporibus, multiplicatum nobis suadet ardorem nosque magnopere incitat vires ut duplicemus unde coepta congruenter ordinentur ac dirigantur quae sunt iam inter manus vel suscipi posthac oportebit, ne intra Romae hodiernae fines immutetur neve obscuretur christianae Romae vultus.

Ad argumentum vero quod attinet deliberationibus conventus synodalis mense Octobri propositum, persuasum plane habemus doctrinam effigiemque Sancti Gregorii velut vitae pa-

storalis magistri perpetuo quidem valere et admodum educandis sacerdotibus prodesse. Etenim complectitur illa nominatimque praescribit idoneam et diligentem institutionem ipsum ad exercitium pastoralis « artis»; praestituit similiter et fovet cuiusque ministri facultatem sese diversa accommodandi ad tempora ac percipiendi simul interiora et exteriora adiuncta tum homnium tum locorum, in quibus necesse est suum Pastores expleant apostolatum; at extollit in primis et monet animarum moderationem proprio cum rerum gerendarum sollicitudinumque cumulo non solum interiorem non turbare nec disicere vitam sed ex ea ipsa potius profluere debere. Hoc enim ex medio fonte sive « centro », id est de corde Pastoris fidei lumine perfuso igneque caritatis incenso, quodlibet concrescit opus bonum. Hinc ideo moveri debet et huc referri venturorum sacerdotum opus educationis quod tunc tantum prosperan poterit, cum probatus sui gregis pastor in ministerii erit operam ingressus.

Peculiaris dein Episcoporum Europaeorum Synodus, perinde ac saepius iam ediximus, duobus oportebit maximis interrogationibus respondeat: altera quarum praeteritum respiciens tempus « propria dona » tangit, quae tam orientalis quam occidentalis Ecclesiae potuerunt adhuc inter se possuntque permutare vicissim;[4] altera quidem in futurum prospiciens aevum expendit quo pacto adiuvari possit et ulterius explicari mutua haec « donorum permutatio » ad novam Continentis evangelizationem.

Triplicem propter hunc eventum Sancti Gregorii Magni singularia invocamus praesidia etiam cum Sanctorum Romanae Ecclesiae Pastorum auxiliis, ut Nobis subvenire dignetur ipsi iisque una omnibus, qui diversas apud Ecclesias per orbem disseminatas participes officiorum sunt pastoralis navitatis, unde novas perspicere necessitates valeamus novasque quae-

[4] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 13.

stiones, unde exorientes nunc occasiones adhibeamus in responsum, unde instrumenta ac vias in antecessum disponamus Ecclesiam ad tertium Millenium christianum adducendi, aeterno nimirum salutis nuntio nihil corrupto, verum aetatibus deinceps nascituris oblato patrimonii incomparabilis instar.

Longo quamvis tempore remoti exemplar insignis Pontificis nisus nostros conatusque efficaciter corroboret in aedificationemque Christi Ecclesiae ac progressionem efficacitate augeat magna, praestite Apostolica Nostra Benedictione.

Ex Aedibus Vaticanis, die xxix Iunii, in Sollemnitate Sanctorum Petri et Pauli, anno **MCMXC**, Pontificatus Nostri duodecimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA
DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

INTRODUCTIO

1. Ex **CORDE ECCLESIAE** profecta, Universitas Catholica in cursum sese immisit traditionis ad ipsa universitatis tamquam institutionis primordia pertinentia semperque sedem se ostendit incomparabilem virtutis creatricis ac propagationis scientiarum in hominum generis commodum. Suo enim ex munere Universitas magistrorum et scholarium investigationi vacat et docendi operi et studentium eruditioni qui cum docentibus eodem scientiae amore libere consociantur.[1]

[1] Cf. Litterae Summi Pontificis Alexandri IV ad Universitatem Parisiensem, 14 Aprilis 1255, Introductio: *Bullarium Diplomatum..., t.* III, Augustae Taurinorum 1858, p. 602.

Aliis porro cum Universitatibus gaudium de veritate, Sancto Augustino ipsi tam earum, communicat, gaudium nempe inquirendae detegendae partiendae veritatis[2] in omnibus humanae cognitionis provinciis. Praecipuum autem eius est officium « in ipsa mentis industria duos existentialiter coniungere rerum ordines quos saepius ad opponendos inclinatur, quasi sint inter se repugnantes: conquisitionem veritatis atque certitudinem iam cognosci veritatis fontem ».[3]

2. Nos quoque ipsi complures per annos rem plane beneficam^ sumus experti, unde et locupletati intus etiam sumus, videlicet id quod vitae est proprium universitatis: flagrantem veritatis inquisitionem liberalemque eiusdem participationem cum iuvenibus et iis omnibus qui stricte discunt ratiocinari ut recte agant quo melius hominum serviant societati.

Cupimus propterea altam Nostram Universitatis catholicae existimationem cum omnibus participare et simul exprimere quanti faciamus operam quae diversis humanae cognitionis partibus inibi datur. At laetari Nos praesertim volumus declarare quod saepius sivit Nos Dominus crebris in apostolicis itineribus convenire Catholicas Universitatum communitates variis in terris Continentibus. Documento enim viventi Nobis sunt magnaeque spei de christiani ingenii ubertate in cuiusque culturae sinu atque firmiter confidere Nobis permittunt futurum rursus esse ut christiana cultura denuo inter multiplices et abundantes condiciones efflorescat mutantis huius temporis quod magnis quidem obicitur provocationibus at etiam tantam rerum exspectationem prae se fert, operante veritatis amorisque Spiritu.

[2] S. AUGUSTINUS, *Confess.* 10, 23, 33: «Beata quippe vita est *gaudium de veritate.* Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus, illuminatio mea, salus faciei meae, Deus meus»: *PL* 32, 793-794; cf. S. THOMAS AQUINAS, *De Malo* 9, 1: «Est enim homini naturale quod appetat cognitionem veritatis ».

[3] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Institutum Catholicum Parisiense, 1 Iunii 1980: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* III, 1 (1980), p. 1581.

Quanti denique faciamus quantasque etiam habeamus gratias declarare gestimus plurimis illis catholicis docentibus apud Universitates non Catholicas opus explentibus. Proficere Universitatum commodo, ubi scholas et studia agunt, maxime putanda est industria eorum uti academicorum in scientiisque versatorum, quae quidem ad christianae fidei lucem geritur. Praesentes enim ipsi perpetuo hortantur ad gratuitam pervestigationem veritatis et sapientiae quae ex Alto descendit.

3. Iam inde a pontificatus Nostri exordio contendimus harum Nostrarum cogitationum ac sententiarum participes reddere proximos Nostros adiutores, nempe Patres Cardinales necnon ipsam Congregationem de Institutione Catholica, tum etiam viros ac mulieres totius orbis excultiores. Etenim colloquium, quod Ecclesia diversis cum aetatis huius culturis habet, est vitalis plane locus ubi « agitur futurum tempus Ecclesiae ac mundi, dum ad exitum decurrit hoc saeculum vicesimum nostrum ».[4] Non exstat nisi una cultura: hominis scilicet — ab homine et pro homine.[5] Atque humanitatis perita Ecclesia, secundum iudicium a Decessore Nostro Paulo VI apud Coetum Nationum Coniunctarum prolatum,[6] perscrutatur Universitatum Catholicarum ope earumque humanistici et scientifici patrimonii auxilio arcana hominis et orbis quae lumine per Revelationem concesso perfundit.

4. Sese autem veritatis causae sine ulla condicione devovere et decus Catholicae Universitatis est et officium. Haec namque ratio ipsius propria est qua tum hominis dignitati inservit tum Ecclesiae muneri, cui nempe funditus est persua-

[4] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Patres Cardinales, 9 Novembris 1979: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* II, 2 (1979), p. 1092; cf. Allocutio ad Unitarum Nationum Consilium quod appellatur UNESCO, Lutetiae Parisiorum, 2 Iunii 1980: *AAS* 72 (1980), pp. 735-752.

[5] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Universitatem Conimbrigensem, 15 Maii 1982: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* V, 2 (1982), p. 1692.

[6] Cf. PAULUS PP. VI, Allocutio ad Legatos Nationum, 4 Octobris 1965: *Insegnamenti di Paolo VI,* III (1965), p. 508.

sum « veritatem esse suam sociam veram ... atque cognitionem esse rationemque fideles fidei ministras ».[7] Nihil sane neglegens utilium cognitionum adeptionem, eminet tamen Universitas Catholica propter liberam suam totius veritatis inquisitionem de mundo et homine et Deo. Etenim huic nostro tempori valde est opus hac ratione ministerii suorum commodorum immemoris, quod scilicet ministerium est proclamandi veritatis sensum, quod est principale bonum sine quo libertas et iustitia et hominis dignitas pereunt. Ob genus quasi quoddam universalium humanitatis studiorum incumbit Catholica Universitas ipsa tota in omnes veritatis scrutandas partes secundum necessariam earum cum suprema Veritate, id est Deo, coniunctionem. Omni igitur submoto timore at potius cum ardore animi se illa dedit cunctis scientiae viis, sibi quae conscia sit Eum praecedere se qui « via, veritas et vita » est,[8] ***Logos,*** cuius Spiritus intellectus et amoris humanae tribuit personae ut suo ingenio extremam comperiat veritatem quae fons illorum ac finis est, unde solum eius Sapientiae donari potest plenitudo, qua dempta venturum mundi aevum periclitabitur omnino.

5. Porro intra eos limites, ubi veritas abstinenter pervestigatur, lucem sibi recipit significationemque necessitudo fidem inter ac rationem. « Intellege ut credas; crede ut intellegas »: haec Sancti Augustini cohortatio[9] ad Universitates quoque Catholicas adhibetur, quae invitantur videlicet ut audacter Revelationis et naturae divitias investigent, unde consociatus intellegentiae fideique conatus homines assequi sinat plenum quidem propriae humanitatis modum ad Dei imaginem

[7] IOANNES HENRICUS CARDINALIS NEWMAN, *The Idea of a University,* London, Longmans, Green and Company, 1931, p. XI.

[8] *Io* 14, 6.

[9] Cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 43, 9: *PL* 38, 258; cf. quoque S. ANSELMUS, *Proslogion,* cap. I: *PL* 158, 227.

ac similitudinem conditae mirabiliusque post peccatum in Christo refectae et destinatae ad splendendum sub Spiritus lumine.

6. Ex illa dein congressione, quam Catholica Universitas instituit inter salvifici Evangelii nuntii investigabilem ubertatem et multitudinem ac magnitudinem provinciarum humanae cognitionis ubi eum corporat, permittitur Ecclesiae ad colloquium immensae cuiusdam fecunditatis venire cum omnibus cuiuslibet culturae hominibus. Nam dignam sui vitam degit homo ob animi cultum; quodsi suam in Christo consequitur plenitudinem, haud dubitatur quin Evangelium ipsum, tangens hominem reficiensque in omnibus illius partibus ferax sit et fecundum etiam in culturam illam unde homo vivit ipse.

7. Hodierno quidem in mundo, qui adeo celeribus signatur progressibus scientiarum artisque technologicae, munera Universitatis Catholicae momentum sibi vindicant ac necessitatem usque maiorem. Inventa enim scientiarum et technologiae, si ex altera parte secum inferunt ingens rei oeconomicae et fabrilis augmentum, ex altera imponunt necessario respondentem inquisitionem significationis, ut reperta nova in verum singulorum hominum societatisque humanae totius simul sumptae bonum usurpentur. Si vero cuiusque est Universitatis officium talem conquirere significationem, Catholica insigniter vocatur Universitas ut huic respondeat necessitati: animus enim christianus eius sinit propria in studia eam inferre rationem moralem et spiritalem et religiosam necnon fructus scientiae technicaeque artis aestimare ex integrae personae humanae prospectu.

His in condicionibus incitantur Universitates Catholicae continuatam ad renovationem tum quia sunt universitates tum quia sunt catholicae. Etenim « agitur hic omnis significatio inquisitionis scientificae technicaeque operae, atque etiam socialis convictus humanique cultus, at altiore quidem modo agitur

significatio ipsa hominis ».[10] Postulat tamen huius generis renovatio luculentam omnino conscientiam: nempe ex indole sua catholica posse iam Universitatem investigationem veritatis melius perficere sine factioso studio eamque ideo inquisitionem nec subdi nec affici ullis particularibus quibuslibet utilitatibus.

8. Universitatibus exinde et Facultatibus Ecclesiasticis dicata cum iam sit Constitutio Apostolica cui titulus *Sapientia Christiana,*[11] decere plane nunc videtur Universitatibus ipsis Catholicis simile proponere documentum veluti « magnam chartam », quo posthac recurratur, ditatum scilicet adeo diuturna ac frugifera Ecclesiae experientia in universitatum regione ac reseratum ad tantae spei opera posteris annis efficienda; id quod poscit animose excogitandi virtutem solidamque fidelitatem.

9. Ad moderatores nominatim Universitatum Catholicarum hoc documentum dirigitur et academicas singillatim Communitates, praeterea ad eos omnes qui operam Universitatibus navant, Episcopos praesertim et Religiosas Congregationes, ecclesialia Instituta et plurimos fideles laicos in excelso Institutionis Superioris opere versantes. Propositum Nobis est nimirum ut «veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendae studio atque horum institutorum alumni formentur homines doctrina vere praestantes, gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mundo testes».[12]

10. Praeter Universitates autem Catholicas complura pariter alia appellamus Studiorum Superiorum Instituta Catho-

[10] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Conventum Internationalem de Catholicis Universitatibus, 25 Aprilis 1989, n. 3: *AAS* 81 (1989), p. 1218.

[11] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Const. apost. *Sapientia Christiana* de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis, 15 Aprilis 1979: *AAS* 71 (1979), pp. 469-521.

[12] CONO. OEC. VAT. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 10: *AAS* 58 (1966), p. 737.

lica. Suapte enim ex natura et fine communiter quaedam vel cuncta Universitatis propria opera persequuntur suasque conferunt Ecclesiae et societati hominum partes, simul per proprias investigationes, simul per professionalem ipsam institutionem vel praeparationem. Quamvis Universitatem Catholicam nominatim respiciat hoc documentum, universa tamen amplexari vult Instituta educationis altioris, contendentia scilicet ut in animos inque culturas transfundant nuntium Christi Evangelii.

Permagna ergo cum fiducia ac spe Catholicas omnes hortamur Universitates ut necessarium suum pergant munus complere, quod immo magis videtur in dies necessarium ad Ecclesiae congressionem cum scientiis progredientibus et cum multiplicibus temporis nostri culturis.

Coniuncti Nos cum singulis Fratribus Episcopis, Nobiscum qui officium pastorale communicant, testificari vobis singulis optamus illam Nostram obfirmatam sententiam: sine ulla dubitatione esse Universitatem Catholicam optimorum unum instrumentorum quod his temporibus offert Ecclesia, cum rerum certa cognitio conquiritur ac sapientia. Quandoquidem ad omnes homines Bonum Nuntium deferendi officium Ecclesiam obstringit, numquam desinere ea debet in has Universitates animum intendere. Per investigationem enim ac institutionem adiuvant Catholicae Universitates illam ut apta his recentioribus diebus ratione thesauros reperiat novos ac veteres culturae, illa quidem «nova et vetera» secundum Iesu vocem.[13]

11. Omnem denique Ecclesiam compellamus, persuasum habentes ad sui ipsius incrementum, ad christianae culturae auctum, ad hominum ipsorum progressum Catholicas pernecessarias esse Universitates. Quapropter cuncta ecclesialis Communitas admonetur ut Catholicis Universitatibus necnon Superioris Educationis Institutis suffragetur iisque opituletur

[13] *Mt* 13, 52.

in eorum sese explicandi renovandique conatu. Potissimum vero commonetur ut iura ac libertatem harum Institutionum in civili societate tueatur, subsidia quoque nummaria illis subministrans, apud eas maxime Nationes, magis ubi opus, ac tandem adiumentum praebeat novis Catholicis condendis Universitatibus ubicumque est necesse.

Ut demum praescripta haec Nostra, in Concilii Vaticani Secundi doctrinis innitentia atque Iuris Canonici Codicem consequentia, Catholicis permittant Universitatibus ceterisque Studiorum Superiorum Institutis suum implere ministerium plane necessarium novo in gratiae Adventu novum ad Millenium aperto, fervida facimus vota.

PARS PRIMA

INDOLES ET MUNUS

A. UNIVERSITATIS CATHOLICAE INDOLES

1. *Natura et fines*

12. Omnis Catholica Universitas, quatenus est *Universitas,* communitas academica est, quae severo criticoque modo ad hominis dignitatem simulque culturae hereditatem tutandas et excolendas valde confert per investigationem et institutionem ac diversa servitia communitatibus localibus nationalibus internationalibus praebita.[14] Ipsa fruitur Instituti propria autonomia, quae necessaria est ut suis efficaciter munibus fungatur necnon suis membris academicam in tuto collocat liberta tem, dum singulorum ipsius Communitatis iura intra veritatis et communis boni postulata tuetur.[15]

[14] Cf. La « *Magna Charta* » *delle Università Europee,* « *Principi fondamentali* ». Hoc documentum est editum Bononiae in Italia, die 18 Septembris 1988.

[15] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 59: *AAS* 58 (1966), p. 1080; cf. CONO. OEC. VAT. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 10: *AAS* 58 (1966), p. 737. «Autonomia institu-

13. Quoniam Universitatis Catholicae finis est, ut propria Instituti forma christianam praesentiam in Universitatum ambitu efficiat coram magnis societatis culturaeque quaestionibus,[16] illi utpote Catholicae inesse debent sequentes hae proprietates ad rei essentiam pertinentes :

1. spiritus christianus non tantum in singulis sociis verum in tota Universitatis Communitate uti tali;

2. consideratio perpetua, ad fidei Catholicae lucem, de augescente semper thesauro cognitionum humanarum, cui conferre partes suas ex propriis investigationibus contendit;

3. fidelitas erga christianum nuntium ita profecto ut ab Ecclesia explicatur;

4. officium institutionale serviendi Dei populo hominumque familiae in eorum scilicet itinere ad transcendentem illum finem qui vitae tribuit sensum.[17]

14. « Praefulgentibus porro hisce proprietatibus, patet Catholicam Universitatem, praeter instituendi et pervestigandi

tionalis » significat moderamen academicae institutionis esse et permanere intus in institutione. « Academica libertas » certa est fides tributa iis omnibus, qui dant operam institutioni et investigationi, quaerendi, intra suum peculiarem ambitum cognitionis et iuxta proprias methodos huiusce ambitus, veritatem quocumque inquisitio et evidentia eos ducunt, ac pariter docendi atque evulgandi effectus huiusmodi inquisitionis, prae oculis habitis memoratis rationibus ut serventur scilicet iura personae et communitatis intra veritatis bonique communis postulata.

[16] Notio *culturae,* in hoc adhibita documento, duos complectitur sensus: videlicet humanisticum et socialem-historicum. «Voce *cultura* sensu generali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit atque explicat; ipsum orbem terrarum cognitione et labore in suam potestatem redigere studet; vitam socialem, tam in familia quam in tota consortione civili, progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias spirituales atque appetitiones decursu temporum in operibus suis exprimit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant. Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem *cultura* saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere » (CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 53: *AAS* 58 [1966], p. 1075).

[17] Cf. *L'Université Catholique dans le monde moderne. Document final du 2ème Congrès des Délégués des Universités Catholiques,* Romae, 20-29 Novembris 1972, 1.

opus necnon servitia omnium Universitatum communia, ex ipso officio Instituti proprio afferre in suum opus inspirationem lucemque christiani nuntii. Apud Universitatem ergo Catholicam proposita ac agendi rationes et principia Catholica pervadunt et fingunt multiplices Universitatis navitates secundum harum naturam ac autonomiam proprias. Brevi: cum eodem sit tempore tum Universitas tum Catholica, simul eam oportet studiosorum esse communitatem in variis scientiae humanae provinciis versantium, simul academicam quidem institutionem ubi Catholica religio adsit modo vitali ».[18]

15. Locus itaque Catholica Universitas est quo rerum veritatem funditus scrutantur studiosi methodis scilicet cuiusque disciplinae academicae propriis sicque ad hominum cognitionum locupletandum thesaurum adiuvant. Quaeque disciplina tractatur modo systematico variaeque inter se disciplinae adducuntur in colloquium unde mutuo ditentur.

Non modo viris ac mulieribus adiumentum ministrat huius modi inquisitio in veritate ipsa continenter persequenda, sed testificationem quoque praesentem, tantopere hodie flagitatam, illius fiduciae quam in ipsa praestantia doctrinae et investigationis intrinseca reponit Ecclesia.

Necessario exinde apud Catholicam Universitatem inquisitio disciplinarum complectitur: a) prosecutionem operis cognitiones componendi; b) inter fidem ac rationem dialogum; c) sollicitudinem de ethica; d) theologicum prospectum.

16. Cognitionum compositio remanet opus semper perficiendum. Praeterea nostris diebus aucta scientiae copia, ad quam crescens usque partitio cognitionis intra singulas ipsas academicas disciplinas accedit, hoc opus magis magisque difficile reddit. At Universitas ipsa, et praesertim Catholica

[18] *Ibid.*

Universitas, « exstet oportet "vivens unitas" corporum ad veritatem rimandam conspirantium ... Quocirca provehere necesse est talem superiorem cognitionum synthesim, qua in sola illa veritatis sitis sedabitur quae intus est in corde hominis inscripta ».[19] Perducti propriis philosophiae ac theologiae subsidiis enitentur Universitatum studiosi ut opera constanti definiant quo loco sit collocanda et quam significationem habeat unaquaeque diversarum disciplinarum in unico personae humanae mundique prospectu, Evangelio proindeque fide in Christum, ***Logon*** uti centrum universi historiaeque hominum, illuminato.

17. In hac cognitionum compositione provehenda Catholica Universitas debet officio sese magis peculiari obstringere in dialogum fidem inter ac rationem, ut altius comprehendi possit quomodo unicam in veritatem fides et ratio confluant. Dum academica quaeque disciplina suam servat integritatem suasque vestigandi rationes, illud extollitur hoc ipso dialogo, quod nempe « inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si modo vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt ».[20] Vitalis haec mutua inter se actio duorum cognitionis ordinum distinctorum unius veritatis maio-

[19] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Conventum Internationalem de Catholicis Universitatibus, 25 Aprilis 1989, n. 4: *AAS* 81 (1989), p. 1219. Cf. quoque CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 61: *AAS* 58 (1966), pp. 1081-1082. Sic ut Cardinalis Newman animadvertit, Universitas «declarat se tribuere omnibus disciplinis, quas ipsa recipit, proprium locum ac proprios congruos fines; se definire iura quibus reciprocae statuantur rationes; seque promovere mutuam relationem singularum et omnium» *(Op. mem.,* p. 457).

[20] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 36: *AAS* 58 (1966), p. 1054. Quibusdam scientiarum cultoribus haec proposuimus consideranda: « dum ratio et fides exprimunt sane duos diversos cognoscendi gradus, utrumque liberum quod ad suas attinet methodos, ambo denique debent tendere simul ad unam inveniendam veritatem, quae suam trahit originem a Deo» (IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad eos qui conventui interfuerunt de « scientia Galileiana », 9 Maii 1983, n. 3: *AAS* 75 [1983], p. 690).

rem profecto parit erga veritatem ipsam amorem amplioremque inducit comprehensionem significationis vitae humanae necnon finis ipsius creationis.

18. Quandoquidem scientia hominis personae inservire debet, apud Catholicam Universitatem perficitur semper investigatio cum sollicitudine de ethicis ac moralibus implicationibus eius methodis inventisque insitis. Licet haec eadem cura subsit in omni inquisitione, potissimum vero urget in regione investigationis scientificae ac technologicae. « Pernecessarium est omnino nobis ipsis persuadere quanto ethica ratio praestet technicae viae, quanto persona res ipsas antecedat, quanto spiritus denique corpus superet. Tunc dumtaxat causae hominis consuletur, cum conscientiae ipsi coniuncta erit scientia. Hominibus revera proderunt scientiarum cultores, si sensum hominis mundum transcendentis Deique hominem conservarmi ».[21]

19. Insignem partem sustinet theologia in doctrinarum omnium summa sive synthesi quaerenda pariter ac in dialogo inter fidem et rationem. Affert utilitatem pariter suam reliquis omnibus disciplinis, cum in iis plena significatio conquiritur, quoniam non tantum illis subvenit ut recte investigent quo pacto inventa propria personas hominum societatemque sint affectura, verum etiam viam iis praebet iudicandi necnon directionem quandam quae desunt methodologiis earum. Reciproca haec actio ceteris cum disciplinis earumque inventis locupletat vicissim theologiam, dum meliorem mundi huius temporis intellectum ei exhibet atque ipsam theologicam investigationem magis adhaerere cogit praesentes ad necessitates. Perspecto ergo proprio theologiae

[21] **IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Unitarum Nationum Consilium quod appellatur UNESCO, Lutetiae Parisiorum, 2 Iunii 1980, n. 22: *AAS* 72 (1980), p. 750. In postremo memorato loco ipsa rettulimus verba allocutionis quam habuimus ad Pontificiam Academiam Scientiarum, 10 Novembris 1979: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* II, 2 (1979), p. 1109.**

pondere inter academicas disciplinas, Facultatem vel saltem theologiae cathedram habere debebit omnis Catholica Universitas.[22]

20. Propter intimam necessitudinem inter investigationem et docendi industriam oportet ipsa inquisitionis postulata iam superius quae sunt numerata totum doctrinae tradendae opus movere. Quamquam singulae explicantur disciplinae ordinate profecto et secundum suas quaeque rationes, mutua inter disciplinas cooperatio, philosophia ac theologia suffulta, studentes adiuva!) ut ordinatum quendam rerum conspectum adipiscantur intraque se cupiditatem perennem provehant progressus mentis. Dum vero doctrina ipsa communicatur, in lucem profertur humanam rationem sua in cogitatione aperiri maioribus semper quaestionibus ac venire responsionem completam superiore ex ordine per fidem. Morales praeterea implicationes, quae cuique insunt disciplinae, ponderantur veluti pars complens eiusdem disciplinae docendae, et quidem ut totus educandi processus denique tandem ad integrum personae incrementum intendatur. Catholica demum theologia, ex plena fidelitate erga Sacras Litteras et Traditionem et Ecclesiae Magisterium convenienter explanata, perspicuam Evangelii principiorum cognitionem offeret qua vitae humanae significatio locupletabitur eique nova donabitur dignitas.

Per investigationem atque institutionem debent studentes ita diversis in disciplinis erudiri ut idonei reapse exercitatique in certa scientiae provincia evadant cui dedent se in societatis Ecclesiaeque ministerium, at eodem similiter tempore exerceri ad fidem coram hominibus suam testandam.

[22] Cf. CONO. OEC. VAT. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 10: *AAS* 58 (1966), p. 737.

2. *Universitatis Communitas*

21. Catholica Universitas persequitur fines suos, dum ex officio etiam Communitatem efficere enititur re vera humanam Christique spiritu animatam. Eius autem unitatis fons communi profluit ex dedicatione veritati, ex eodem iudicio de dignitate humana, tandem ex persona ac nuntio Christi qui huic institutioni indit proprietatem suam. Ob illam ideo ordinationem Communitas universitatis sensu libertatis penetratur et caritatis, signatur quidem mutua singulorum observantia et sincero dialogo et cuiusque iurium tutela. Membris omnibus porro suis auxiliatur ut suam, uti personae humanae, plenitudinem consequantur. Ipsa vicissim membra, ut unitas provehatur, operam dant et secundum locum captumque suum singillatim conferunt ad consilia capienda, Communitatem ipsam tangentia, necnon ad Catholicam Instituti indolem servandam firmandamque.

22. Studeant universitatis docentes suam semper perficere eruditionem ac disponere doctrinas, proposita, methodos fructus pervestigationum cuiusque disciplinae in contextu cohaerentis visionis mundi. Christiani docentes vocantur ut tum testes sint tum praeceptores verae vitae christianae, quae nempe conciliationem iam effectam demonstret inter fidem et culturam, inter congruam proprii operis peritiam sapientiamque christianam. Permovebuntur docentes omnes excelsis propositis academicis ac vitae plane humanae principiis.

23. Commonentur studentes ut eam affectent institutionem quae praestantiam perfectionis humanisticae et culturalis cum propria praeparatione speciali componat. Talis autem perfectio et praeparatio illa esse debet ut incitari sese sentiant qui in vitae perpetuitate inquisitionem veritatis eiusque significationis continuent, quandoquidem « oportet animum ita excolere, ut promoveatur facultas admirandi, intus legendi,

contemplandi atque efformandi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem **m**.[23] Hinc ideo apti reddentur et idonei ut suscipiant aut, si illud iam forsan habuerint, altius perficiant vitae genus reapse christianum. Conscii sibi sint semper necesse est suae professionis gravitatis atque gaudium percipiant quod olim parati erunt « ductores » Christique testes iis in locis ubi munia propria exsequentur.

24. Catholicae Universitatis rectores atque administratores constans provehant Universitatis incrementum illiusque Communitatis per verum servitii ministerium. Dedita opera insuper et testificatio personarum non academicarum item necessariae sunt ad tuendam indolem ac vitam Universitatis.

25. A Religiosis Congregationibus complures conditae sunt Catholicae Universitates quae ex earum sustentatione pendere pergunt. Incitantur ergo Religiosae Congregationes, quae superioris institutionis apostolatui sese devovent, ut iisdem assistant Institutis in renovanda illorum cura utque religiosos ac religiosas educare pergant tales, a quibus solida utilitas afferri possit ipsi muneri operique Catholicae Universitatis.

Industria universitatis semper praeterea ex tradito more fuit et est instrumentum quo laici praestans in Ecclesia complere opus possunt. In maiore quidem hodie Universitatum Catholicarum parte, consistit academica Communitas pluribus e laicis quam clericis et religiosis, qui plura item munia altiora in dies et moderandi officia suscipiunt. Iidem profecto Catholici laici cohortanti respondent Ecclesiae « ut forti animo atque intellectuali creandi vi insigniti in praecipuis culturae locis praesentes sint, ut in scholae et universitatis mundo ».[24]

[23] CONO. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 59: *AAS* 58 (1966), p. 1080. Cardinalis Newman ita describit spectatum propositum: « Efformatur vero mentis habitus qui per totam manet vitam cuiusque notae sunt libertas, aequitas, tranquillitas, temperantia et sapientia» *(Op. mem.,* pp. 101-102).

[24] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Apost, post-synodalis *Christifideles Laici,* 30 Decembris 1988, n. 44: *AAS* 81 (1989), p. 479.

Ventura quidem aetas Catholicarum Universitatum maximam scilicet partem pendet ex consentaneo liberalique Catholicorum laicorum opere. Augescentem eorum operam his in sedibus studiorum habet Ecclesia velut magnae spei documentum necnon confirmationem pernecessariae vocationis ipsius laicatus in Ecclesia et mundo. Confidit enim eos propriis fungentes muneribus « res temporales omnes ... ita illuminare et ordinare, ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris ».[25]

26. Multorum Institutorum Catholicorum Communitates universitariae in se simul collegas et sodales amplexantur ad alias Ecclesias qui pertinent aliasque Communitates ecclesiales ac religiones, tum etiam collegas nullam profitentes religiosam fidem. Viri hi et mulieres sua ex eruditione rerumque experientia prosunt quidem variarum disciplinarum academicarum progressui vel aliis muneribus explendis Universitatem contingentibus.

3. *Catholica Universitas in Ecclesia*

27. Se ita tamquam Universitatem praebens, habet omnis Catholica Universitas cum Ecclesia coniunctionem necessitudinis, quae suapte natura ad ipsius pertinet propriam Instituti identitatem. Uti talis enim particeps recta via est vitae alicuius Ecclesiae particularis, ubi sedem nempe occupat, eodem tamen tempore, quatenus inserta est, uti institutio academica in communitate internationali scientiae et investigationis, Ecclesiae universalis vitam communicat ac promovet, peculiare proinde vinculum ineundo cum Sancta Sede, ob unitatis servitium, quod ei est pro universa Ecclesia exsequendum. Hoc ex illius

[25] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31: *AAS* 57 (1965), pp. 37-38; cf. CONC. OEC. VAT. II, Decr. de apostolatu Laicorum *Apostolicam actuositatem,* passim: *AAS* 58 (1966), pp. 837ss.; cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 43: *AAS* 58 (1966), pp. 1061-1064.

necessario vinculo cum Ecclesia velut consectaria proficiscuntur fidelitas Universitatis, ut institutionis, ipsi nuntio Christiano, agnitio et oboeditio auctoritati magisterii Ecclesiae in rebus fidei ac morum. Catholici sodales Communitatis ipsius vicissim Universitatis ad suam quisque fidelitatem concitantur erga Ecclesiam cum iis omnibus effectibus quos id secum infert. A sodalibus denique non Catholicis observantia petitur indolis Catholicae Instituti, ubi opus faciunt suum, dum illud vicissim eorum religiosam libertatem observabit.[26]

28. Officio proprio obstringuntur Episcopi ut Catholicas promoveant Universitates potissimumque curis prosequantur eas et adiuvent ut indolem suam Catholicam conservent immo et corroborent etiam coram civilibus Auctoritatibus. Quod convenienter quidem obtinebitur si vincula generata asservataque erunt arcta et personalia et pastoralia inter Universitates et ecclesiasticas Auctoritates, quae vincula fiducia mutua et congruens adiutrix opera et dialogus continuus signent. Quantumvis directo haud ingrediantur Episcopi interius Universitatis regimen, non ideo tamen « existimandi sunt velut extrarii quidam actores, verum vitae ipsius Catholicae Universitatis participes ».[27]

29. Probans Ecclesia « culturae humanae ét praesertim scientiarum legitimam autonomiam » academicam simul singulorum studiosorum libertatem in propriae professionis disciplina agnoscit secundum principia scientiae ac methodos, ad quas refertur illa,[28] intra veritatis ipsius bonique communis postulata.

[26] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decl. de Libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 2: *AAS* 58 (1966), pp. 930-931.

[27] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Moderatores Educationis Superioris Catholicae, habita in Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis urbe Nova Aurelia in Instituto cui nomen «Xavier University of Louisiana», 12 Septembris 1987, n. 4: *AAS* 80 (1988), p. 764.

[28] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 59: *AAS* 58 (1966), p. 1080.

Locum praeterea legitimum suum etiam theologia uti scientia obtinet inter ceteras disciplinas apud Universitatem. Perinde ac plane ei convenit, principia peculiaria sua habet et methodos proprias quae illam omnino tamquam scientiam definiunt. Dummodo hisce adhaerescant principiis eiusdemque adhibeant congruas methodos, etiam theologi eadem fruuntur academica libertate.

Effectricem ergo theologorum industriam incitent Episcopi. Ecclesiae enim per inquisitiones ad theologiae propriam methodum peractas deserviunt. Melius quidem comprehendere contendunt et ulterius enodare et communicare efficientius Revelationis Christianae sensum, quem ad modum e Sacris Litteris ac Traditione Ecclesiaeque Magisterio traditur. Vias etiam scrutantur quibus lumen theologia afferre potest singulis quaestionibus e nostri temporis cultura exortis. Simul vero, quandoquidem veritatis revelatae intellectum conquirit theologia cuius authentica interpretatio Ecclesiae creditur Episcopis,[29] id iam sua natura pertinet ad principia ac rationes investigationis et traditionis eorum academicae disciplinae, quod scilicet auctoritatem Episcoporum observare debent theologi haerereque ad Catholicam doctrinam secundum auctoritatis gradum quo ipsa docetur.[30] Dialogus autem inter Episcopos ac theologos pernecessarius est ob proprium reciprocum munus illorum; id quod hodie maxime constat, cum inquisitionis fructus adeo celeriter diffunduntur abundanterque per communicationis socialis instrumenta.[31]

[29] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum,* 8-10: *AAS* 58 (1966), pp. 820-822.

[30] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 25: *AAS* 57 (1965), pp. 29-31.

[31] Cf. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de ecclesiali theologi vocatione *Donum veritatis,* 24 Maii 1990.

B. UNIVERSITATIS CATHOLICAE MUNUS SERVIENDI

30. Studiorum Universitatis munus praecipuum veritatis continens est indagatio per scientiae pervestigationem, custodiam et communicationem pro societatis bono. Proprietatum et propositorum suorum auxilio Universitas Catholica hoc communicat munus.

1. *Servitium Ecclesiae praestandum et societati*

31. Institutione et investigatione Universitas Catholica necessariam fert opem Ecclesiae : viros namque praeparat et mulieres, qui, christianis perfusi principiis et ad vivendum adiuti modo maturo conscioque pro sua christiana vocatione, apti etiam erunt ad officia sumenda in Ecclesia. Insuper per scientiae inquisitionum exitus, quos suppeditat, poterit Catholica Universitas Ecclesiae opitulari, ut temporum quaestionibus et necessitatibus respondeat.

32. Universitas Catholica, sicut quaevis alia Studiorum Universitas, in humana est societate collocata: quam ob rem ut praestandum eius servitium Ecclesiae augeatur — in suae sane potestatis provincia — incitatur ut efficacioris usque tum singulis tum societati culturalis progressionis instrumentum sit. Suis idcirco pervestigationibus amplectatur oportet studium gravium huius temporis quaestionum, quales sunt quae humanae vitae dignitatem contingunt, iustitiae in omnes provectum, vitae personalis et familiaris condicionem, rerum naturae tuitionem, pacis comparationem et politicae stabilitatis, mundi bonorum aequiorem participationem novamque oeconomicam et civilem dispositionem, quae melius tum cuiusque tum omnium nationum serviat consortioni. Id spectet oportet Universitatis pervestigatio, ut radices et causas penitus perscrutetur gravium problematum nostrae aetatis, eorum ethicas et religiosas mensuras praesertim attendens. Cum res postulabit, Uni-

versitati Catholicae audendum erit incommodas dicere veritates, quae communi sensui non blandiuntur, sed tamen ad verum societatis bonum servandum necessariae sunt.

33. Plane ante omnia considerandi sunt et ponderandi, ad christianam rationem, valores et praevalentes in societate inque praesenti cultura normae, necnon horum temporum societati officium ea ethica et religiosa principia nuntiandi, quae vitae humanae plenum tribuunt sensum. Aliud adiumentum est hoc, quo Universitas ad illam conferre potest anthropologiam christianam augendam, quae a persona Christi originem trahit et efficit ut creationis ac Redemptionis dynamismus in res ipsas vim habeat et in vitae quaestionum iustam solutionem.

34. Christianus ceteris serviendi spiritus ad iustitiam socialem provehendam omni Catholicae Universitati peculiaris est momenti, et docentibus participandus est et studentibus excolendus. Ecclesia firmiter in auctum insistit omnis viri omnisque mulieris integrum.[32] Evangelium Ecclesiae doctrina sociali explanatum, instanter invitat ad fovendam « progressionem populorum, qui maxime ab iniuria famis, egestatis, morborum domesticorum, ignorationis rerum abesse nituntur; qui largiorem bonorum societatem ab humanitate vitae profectorum expetunt, atque humanas suas proprietates postulant in opere ipso pluris aestimari; qui denique ad maiora incrementa constanter mentes intendunt »,[33] Quaelibet Universitas Catholica animadvertat sibi esse re ad progressionem conferendum societatis in qua operatur; poterit, exempli causa, vias quaerere quibus Universitatis institutio iis omnibus pateat, qui ex ea fructum possint percipere, pauperibus imprimis vel qui ad coetus pertinent numero pauciores, qui ea ex more privati sunt. Eius insuper est, quantum potest, incrementum fovere Nationum prodeuntium.

[32] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Ene. *Sollicitudo rei socialis,* 27-34: *AAS* 80 (1988), pp. 547-560.

[33] PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Populorum progressio,* 1: *AAS* 59 (1967), p. 257.

35. In suo nisu his implicatis quaestionibus respondendi, quae tot humanae vitae et societatis aspectus contingunt, Universitas Catholica sociata opera utatur multiplicium academicarum disciplinarum, quae iam per se modo suo proprio in solutiones valent quaerendas. Cum praeterea singula Instituta copiae oeconomicae et personarum exiguitate laborent, praecipuum est Universitates Catholicas secum operam consociare in communibus pervestigationis consiliis captis cumque aliis et privatis et publicis Institutis. Quod ad hoc attinet et ad alias navitatum peculiarium Universitatis Catholicae regiones, momentum agnoscitur, quod variae Universitatum Catholicarum nationalium et internationalium habent consociationes. Ex his est speciali modo memorandum munus Foederationis Internationalis Studiorum Universitatum Catholicarum, a Sancta Sede constitutae,[34] quae fructuosam exspectat ab ea cooperationem.

36. Rationibus institutionis permanentis adultorum, docentes ad servitia consultationis parando, novis utendo communicationis instrumentis aliisque pluribus modis, Universitas Catholica efficere potest ut cognitionis humanae crescens summa et melior in dies fidei intellectus ampliori sint praesto multitudini, ita Universitatis servitia trans ambitum proprie academicum transferens.

37. Societati in serviendo, potius colloquendum erit, ut par est, cum ordine academicorum, eruditorum, scientiae cultorum eius regionis, in qua Universitas Catholica operatur. Dialogi formae exquisitae et cooperationis fovendae sunt inter Uni-

[34] « Maximis ergo hisce studiorum domiciliis tam feliciter propagatis, perutile visum est ut eorum magistri et alumni in communem quandam consociationem coalescerent, quae, Summi Pontificis, utpote omnium Patris et Doctoris, auctoritate suffulta, collatis consiliis iunctaque opera lumen Christi impensius diffunderet ac dilataret » (Pius PP. XII, Litt. Apostolicae *Catholicas Studiorum Universitates,* quibus constituta est Foederatio Internationalis Studiorum Universitatum Catholicarum: *AAS* 42 T1950], p. 386).

versitates Catholicas ceterasque Nationis Universitates pro profectu, pro mutua culturarum comprehensione, pro tuenda rerum natura, oecologica cum conscientia internationali.

Una cum ceteris privatis et publicis Institutis Universitates Catholicae per superiorem educationem perque investigationem communi serviunt bono; variorum Institutorum generum unum sunt, ad liberam expressionem diversitatis culturae necessariorum, et ad provehendum in societate et in mundo mutuae necessitudinis sensum intendunt. Iure ergo eae a civili societate et a publicis Auctoritatibus approbationem exspectant et suae autonomiae institutionalis suaeque academicae libertatis tutelam. Idem praeterea iis ius est quoad oeconomicam sustentationem, quae quidem necessaria est, ut tuto superesse possint et progredi.

2. *Actio pastoralis ad Universitatem pertinens*

38. Actio pastoralis ad Universitatem pertinens navitas illa est Universitatis, quae Communitatis eiusdem participibus opportunitatem praebet componendi studium academicum negotiaque Academiam attingentia cum principiis religiosis et moralibus, sicque vitam cum fide componendi. Ea munus Ecclesiae ad effectum adducit in Universitate, et in eius navitate inque eius inhaeret structura. Universitatis Communitas, quae indolem catholicam Instituti provehendam curet, erit huius rationis pastoralis conscia modosque sentiet, quibus eadem ratio ad omnes suas navitates vim possit habere.

39. Ut, pro sua natura, Universitatis Communitas suam significet catholicam indolem, debet suas actiones cotidianas imbuere fide, in meditatione et precatione gravia tempora ponendo. Ita huius Communitatis sodalibus catholicis commoditates praebebuntur in vita sua doctrinam et exercitationem catholicam appropriandi. Confirmabuntur hi namque ad participandam sacramentorum celebrationem, Eucharistiae prae-

ser tim sacramentum, tamquam cultus communis actum perfectissimum. Eae academicae Communitates, in quibus non pauci sint, qui ad diversas pertineant Ecclesias, ecclesiales Communitates, vel alias religiones eorum incepta ad meditandum et precandum verebuntur, eorum fidem tutantes.

40. Qui in actionem pastoralem ad Universitatem spectantem incumbunt professores et studentes adhortentur, ut magis conscii sint suscepti officii erga illos, qui in corporum et animorum dolore sunt. Christi sequentes exemplum, peculiari modo pauperioribus prospiciant iisque, qui propter iniustitiam in regione oeconomica, sociali, culturali, religiosa patiuntur. Hoc officium praesertim in Communitate academica exercendum est, sed etiam extra eandem explicari potest.

41. Actio pastoralis Universitatem contingens necessaria est opera, cuius gratia alumni catholici, in suis explendis baptismalibus promissis, praeparari possunt ad actuose vitam Ecclesiae participandam. Potest equidem conferre ad augendam et alendam matrimonii vitaeque familiaris veram aestimationem, vocationes ad sacerdotium et ad vitam religiosam excitare, christianum sollicitare laicorum munus et quamlibet Evangelii spiritu activitatem permeare. Concordia actionis pastoralis Universitatem attingentis cum Institutis quae in Ecclesia particulari operantur, Episcopo moderatore aut probatore, communi sane utilitati proderit.[35]

42. Complures Consociationes et Motus vitae spiritalis atque apostolicae, potissimum qui proprie pro studentibus conditi sunt, magno pondere esse possunt ad incrementum aspectuum pastoralium vitae Universitatis.

[35] Codex Iuris Canonici ita enuntiat communia Episcopi erga studentes Universitatum officia: « Episcopus dioecesanus impensam habeat curam pastoralem studentium, etiam per paroeciae erectionem, vel saltem per sacerdotes ad hoc stabiliter deputatos, et provideat ut apud universitates, etiam non catholicas, centra habeantur universitaria catholica, quae iuventuti adiutorio sint, praesertim spirituali» *(C.I.C.,* can. 813).

3. *Dialogus culturalis*

43. Natura sua Universitas culturam provehit indagatione, ad loci culturam subsequentibus aetatibus prodendam praeceptione adiuvat, suis institutoriis servitiis incepta fovet ad culturam spectantia. Toti patet humanae experientiae, ad dialogum parata et a qualibet cultura discendum. Hunc Universitas Catholica processum participat copiosam praebendo culturalem Ecclesiae experientiam. Insuper conscia humanam culturam Revelationi patere rebusque hominum naturam transcendentibus, Universitas Catholica locus est primarius et proprius fructuosi Evangelii cum cultura dialogi.

44. Ea Ecclesiae hoc admodum dialogo assidet, illam adiuvando ad melius diversas culturas cognoscendas, ad harum probanda et improbanda, cernenda, ad vere humanas accipiendas contributiones, ad instrumenta excolenda, quibus hominibus certae et definitae culturae comprehensibiliorem reddat fidem.[36] Si verum est Evangelium aequari non posse cum cultura, quin contra omnes transcendere culturas, nihilominus <(Regnum, quod Evangelio nuntiatur, in vitae usum deducitur ab hominibus, qui sua certa cultura imbuti sunt, atque in Regno aedificando necessario usurpanda sunt quaedam elementa culturae et humanarum culturarum n.[37] « Fides, quae in margine eius se collocaret quod est humanum, ideoque eius, quod est cultura, fides esset quae plenitudinem non redderet eorum,

[36] « Pariter Ecclesia, decursu temporum variis in condicionibus vivens, diversarum culturarum inventa adhibuit, ut nuntium Christi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundat et explicet, illud investiget et altius intellegat, in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimat » (CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 58: *AAS* 58 [1966], p. 1079).

[37] PAULUS PP. VI, Adhort. Apost. *Evangelii nuntiandi,* 20: *AAS* 68 (1976), p. 18; cf. CONC, OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 58: *AAS* 58 (1966), p. 1079.

quae Verbum Dei enuntiat et revelat; fides obtruncata, immo peior, fides iam se ipsam abrogans ».[38]

45. Universitas Catholica debet plus plusque intendere considerationem in culturas mundi huius aetatis, sicut et in varias traditiones culturales quae sunt in Ecclesia, ut continuo faveat et utili dialogo inter Evangelium et praesentem societatem. In normis quae culturae cuiusque auctoritatem nota distinguunt, principatum habent sensus personae humanae, eius libertas, eius dignitas, eius officii conscientia eiusque ad res hominis naturam transcendentes apertura. Cum personae observantia coniunctum est eminens familiae bonum, quae omnis humanae culturae est cellula primaria.

Universitates Catholicae cernere nitantur et bene ponderare culturae hodiernae studia et repugnantias, ut eam ad personarum et populorum integram progressionem aptiorem reddant. Praesertim idoneis investigationibus altius perscrutentur vim, quam recens technologia et praesertim communicationis socialis instrumenta, in personas habent, in familias, in instituta et in novae culturae summam. Translaticiae culturae in sua ipsarum natura tuendae sunt, eas adiuvando ut « valores », qui dicuntur, huius aetatis accipiant, suo non neglecto patrimonio, quod est totius humanae familiae bonum. Universitates in locis sitae more tradito culturalibus, diligenter conentur eorundem locorum culturas cum utili recentiorum culturarum concursu temperare.

46. Peculiariter interest Universitatis Catholicae ut inter doctrinam christianam et scientias huius temporis dialogus instituatur. Quod quidem homines postulat singulis in disciplinis peculiariter versatos simulque apta praeditos theologica for-

[38] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio Metellini, in Columbia, habita ad homines cultura excultos, studentes et eos omnes qui in studiorum Universitatibus operam navant suam, 5 Iulii 1986, n. 3: *AAS* 79 (1987), p. 99; cf. quoque CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 58: *AAS* 58 (1966), p. 1079.

matione habilesque quaestionibus epistemologicis obeundis, quae ad nexus pertineant fidei cum ratione. Hic dialogus tum physicas scientias attingit, tum humanas, quae nova implicataque problemata ponunt philosophica et ethica. Christianus investigator ostendere debet humanam intellegentiam veritate ditescere superiore, quae ex Evangelio proficiscitur: « Intellegentia non minuitur sed, contra, stimulatur et confirmatur interiore illo fonte altae comprehensionis, quae Verbum Dei est, et "valorum" ordine, qui inde oritur ... Modo suo unico Universitas Catholica prodest ad declarandam spiritus praestantiam, cui non licet sine sui exitu discrimine alii rei servire, quae non sit veritatis inquisitio ».[39]

47. Praeter culturalem dialogum Universitas Catholica, proprios sui observando fines, diversos religiosos-culturales contextus considerando et normas sequendo a legitima Auctoritate Ecclesiastica latas, dialogo oecumenico potest utilis esse, ad unitatem omnium christianorum quaerendam, adque dialogum instituendum inter religiones, sicque adiuvare ad cernenda bona spiritalia, quae in ceteris religionibus insunt.

4. *Evangelizatio*

48. Ecclesiae primum munus est ita Evangelium praedicare, ut nexui fidei caveatur cum vita, tum in singulis, tum in sociali culturali contextu, in quo homines vivunt, operantur et inter se communicant. Evangelizatio significat « Bonum Nuntium exportare in omnes usque coetus generis humani, ut, dum hoc propria via intrinsecus penetrat, humanitatem ipsam novam efficiat... non solum quidem Ecclesiae interest Evangelium praedicare in latioribus semper locorum finibus illudve hominum multitudinibus usque maioribus, sed ipsius etiam Evangelii potentia tangere et quasi evertere normas iudicandi, bona

[39] PAULUS PP. VI, Allocutio ad Delegatos Foederationis Internationalis Studiorum universitatum Catholicarum, 27 Novembris 1972: *AAS* 64 (1972), p. 770.

quae plus momenti habent, studia ac rationes cogitandi, motus impulsores et vitae exemplaria generis humani, quae cum Dei verbo salutisque consilio repugnant».[40]

49. Quaevis Catholica Universitas pro sua natura magnum fert auxilium Ecclesiae in evangelizationis opere. Agitur enim vitale testimonium Instituti proprium, Christo dandum eiusque nuntio, tam necessario in culturis saecularismo, qui dicitur, notatis, aut ubi Christus eiusque nuntius nondum noti sunt. Insuper Catholicae Universitatis omnia opera praecipua iunguntur et accommodantur Ecclesiae muneri evangelizandi : pervestigatio videlicet effecta nuntio christiano illuminante, qui nova humana inventa hominibus commodet et societati ; formatio in contextu fidei perfecta, quae idoneas reddat personas ad iudicium rationale et criticum consciasque transcendentis personae humanae dignitatis; institutio professionibus exercendis, quae valores ethicos complectatur et sensum servitii personis et societati praestandum ; dialogus cum cultura, qui meliori fidei cognitioni faveat; indagatio theologica, quae fidem adiuvet in se exprimenda per sermonem novum. « Ecclesia, propterea quod sibi magis magisque conscia fit salvifici sui muneris in universo hoc orbe terrarum, cupit coniunctas sibi habere has sedes institutionis; vult illas praesentes esse efficaciterque operari ad verum Christi nuntium disseminandum ».[41]

[40] PAULUS PP. VI, Adhort. Apost. *Evangelii nuntiandi,* 18-19: *AAS* 68 (1976), pp. 17-18.

[41] PAULUS PP. VI, Allocutio ad Praesides atque Rectores Universitatum Societatis Iesu, 6 Augusti 1975, II: *AAS* 67 (1975), p. 533. Die 25 Aprilis 1989, alloquentes Nos participes Conventus Internationalis de Catholicis Universitatibus, haec addidimus (n. 5): «In Catholica Universitate Ecclesiae munus evangelizandi et munus investigandi atque docendi sunt inter se *coniuncta* et *composita* simul»: cf. *AAS* 81 (1989), p. 1220.

PARS ALTERA

NORMAE GENERALES

Art. 1. *Harum Normarum Generalium natura*

§ 1. Hae Normae Generales nituntur Codice Iuris Canonici,[42] cuius ulterior explicatio sunt, et additiciis Ecclesiae legibus, firmo iure Sanctae Sedis auctoritatem suam interponendi cum id necessarium sit. Eae valent in omnes Universitates Catholicas inque Instituta Catholica Studiorum Superiorum totius orbis terrarum.

§ 2. Normas Generales in singulis locis et regionibus applicare debent Conferentiae Episcopales et cetera Consilia Hierarchiae Catholicae[43] convenienter cum Codice Iuris Canonici cumque legibus ecclesiasticis additiciis, ratione habita Statutorum cuiusque Universitatis vel Instituti et — prout fieri potest et opportunum est — etiam iuris civilis. Post inspectionem Sanctae Sedis,[44] hae locorum aut regionum « Ordinationes » valebunt in omnes Universitates Catholicas et in Instituta Catholica Studiorum Superiorum regionis, exceptis Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis: quae quidem, pariter ac Facultates Ecclesiasticae ad Universitatem Catholicam pertinentes, normis reguntur Constitutionis Apostolicae *Sapientia Christiana.*[45]

§ 3. Universitas, constituta vel approbata a Sancta Sede, a Conferentia Episcopali vel ab alio Consilio Hierarchiae Ca-

[42] Cf. praesertim *C.I.C.* caput: «De Catholicis Universitatibus aliisque Studiorum Superiorum Institutis» *(C.I.C.,* canones 807-814).

[43] Conferentiae Episcoporum constitutae sunt in Latino Ritu. Alii Ritus alia habent Consilia Catholicae Hierarchiae.

[44] Cf. *C.I.C.,* can. 455, § 2.

[45] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Const. Apost. *Sapientia Christiana* de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis, 15 Aprilis 1979: *AAS* 71 (1979), pp. 469-521. Universitates et Facultates Ecclesiasticae sunt eae quae ius habent academicos conferendi gradus auctoritate Sanctae Sedis.

tholicae, vel ab Episcopo dioecesano, has Normas Generales earumque applicationes, locales et regionales, inserere debet instrumentis ad suum regimen pertinentibus suaque vigentia Statuta tum ad Normas Generales accommodare tum ad earum applicationes et legitimae Auctoritati ecclesiasticae approbanda proponere. Ceterae quoque Universitates Catholicae, quae videlicet non sunt memoratis formis institutae, concorditer cum loci Auctoritate ecclesiastica, has Normas Generales, earumque locales et regionales applicationes in usum suum convertent et instrumentis inserent ad suum regimen attinentibus et — quantum fieri poterit — sua vigentia Statuta tum his Normis Generalibus, tum earum applicationibus accommodabunt.

Art. 2. *Universitatis Catholicae natura*

§ 1. Universitas Catholica, sicujb quaelibet Universitas, est studiosorum communitas, quae variarum humanae cognitionis regionum partes agit. Pervestigationi se dedit, institutioni variisque servitiorum formis, cum eius munere culturali consentaneis.

§ 2. Universitas Catholica, qua catholica, suam pervestigationem, institutionem ceteraque opera propositis, principiis et moribus catholicis perfundit et exsequitur. Est Ecclesiae coniuncta aut certo vinculo constitutivo et legitimo, aut ex officio institutionali ab eius sponsoribus sumpto.

§ 3. Quaelibet Universitas Catholica debet suam catholicam indolem significare vel sui muneris enuntiatione, vel alio apto instrumento publico, nisi aliter concessum sit a competenti Auctoritate ecclesiastica. Quaerere sibi debet, praesertim per suam structuram suasque leges, instrumenta ad illam naturam exprimendam atque servandam iuxta § 2.

§ 4. Institutio catholica et disciplina catholica debent, vim habere ad omnes actiones Universitatis, cum tamen cuiusque personae libertas conscientiae sit omnino reverenda.[46] Omnis actus publicus Universitatis consentaneus esse debet eius naturae catholicae.

§ 5. Universitas Catholica autonomiam possidet necessariam ad propriam sui naturam excolendam suumque munus persequendum. Pervestigationis et institutionis libertas agnoscenda et observanda est pro principiis et methodis cuiusque disciplinae propriis, dummodo personarum et Communitatis iura protegantur, intra postulata veritatis et boni communis.[47]

Art. 3. *Universitatis Catholicae erectio*

§ 1. Universitas Catholica erigi aut approbari potest a Sancta Sede, a Conferentia Episcopali, aut ab alio Hierarchiae Catholicae Consilio, ab Episcopo dioecesano.

§ 2. Episcopo dioecesano consentiente Universitas Catholica erigi potest etiam ab Instituto Religioso aut ab alia persona iuridica publica.

§ 3. Universitas Catholica ab aliis personis ecclesiasticis aut a laicis erigi potest. Eiusmodi Universitas poterit Universitas Catholica haberi solummodo competenti Auctoritate ecclesiastica probante, secundum condiciones, quas partes pactae erunt.[48]

§ 4. In casibus, quorum mentio fit in §§ 1 et 2, Statuta competenti ecclesiasticae Auctoritati probanda erunt.

[46] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decl. de Libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 2: *AAS* 58 (1966), pp. 930-931.

[47] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 57 et 59: *AAS* 58 (1966), pp. 1077-1080; cf. CONC. OEC. VAT. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 10: *AAS* 58 (1966), p. 737.

[48] Sive erectio huiusce Universitatis sive condiciones iuxta quas potest haberi Universitas Catholica debent respondere normis directoriis praestitutis ab Apostolica Sede, a Conferentia Episcoporum vel ab alio Catholicae Hierarchiae Coetu.

Art. 4. *Universitatis Communitas*

§ 1. Onus tuendi et confirmandi Universitatis indolem catholicam spectat imprimis ad ipsam Universitatem. Quamvis hoc onus impositum sit imprimis Universitatis Auctoritatibus (additis, ubi sint, Magno Cancellario et/aut Consilio rebus administrandis praeposito vel Corpore alio idem valente), participatur diverso gradu etiam ab omnibus Communitatis sodalibus, ideoque postulat ut conquirantur aptae ad Universitatem personae, praecipue professores et administratores, quae promptae sint et idoneae ad hanc indolem fovendam. Universitatis Catholicae indoles intime coniuncta est cum professorum qualitate et doctrinae catholicae observantia. Legitimae Auctoritatis est duabus his principalibus condicionibus invigilare, iuxta praescripta Codicis Iuris Canonici.[49]

§ 2. Omnes docentes et administratores, id temporis cum nominantur, monendi sunt de Instituti indole catholica deque eius consectariis, itemque de suo officio hanc indolem provehendi aut, saltem, observandi.

§ 3. Modis, diversis academicis disciplinis congruentibus, omnibus catholicis docentibus fideliter accipiendae sunt, ceterisque omnibus docentibus observandae, doctrina et de morum disciplina catholica, tum in pervestigando tum in instituendo. In primis theologi catholici, conscii se Ecclesiae persequi mandatum, fideles sint erga Ecclesiae Magisterium, uti Sacrarum Litterarum et Sacrae Traditionis interpretem authenticum.[50]

[49] Canon 810 *C.I.C.* definit onera competentis Auctoritatis de hac re: « § 1. Auctoritati iuxta statuta competenti officium est providendi ut in universitatibus catholicis nominentur docentes qui, praeterquam idoneitate scientifica et paedagogica, doctrinae integritate et vitae probitate praestent utque, deficientibus his requisitis, servato modo procedendi in statutis definito, a munere removeantur. § 2. Episcoporum conferentiae et Episcopi dioecesani, quorum interest, officium habent et ius invigilandi, ut in iisdem universitatibus principia doctrinae catholicae fideliter serventur ». Cf. etiam, in generalibus normis huiusce Constitutionis, Articulus 5, 2.

[50] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 25: *AAS* 57 (1965), p. 29; cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,*

§ 4. Docentes et administratores ad alias Ecclesias, Communitates ecclesiales vel religiones pertinentes, iique qui nullam profitentur fidem religiosam omnesque studentes, Universitatis indolem catholicam agnoscere et revereri obstringuntur. Ne haec Universitatis vel Instituti Superioris catholica indoles in periculum discrimenque vocetur, caveatur ne docentes non catholici pars fiant maior in Universitate vel Instituto, quae catholica sunt et manere debent.

§ 5. Studentium educatio debet perfectionem academicam et professionalem componere cum formatione ad principia moralia et religiosa atque cum doctrinae socialis Ecclesiae cognitione. Ratio studiorum pro unaquaque professione comprehendere debet convenientem ethicam formationem ad professionem, ad quam illa praeparat. Efficiatur praeterea ut omnes studentes possint doctrinae catholicae scholas audire.[51]

Art. **5.** *Universitas Catholica in Ecclesia*

§ 1. Quaevis Catholica Universitas communionem retinere debet cum Ecclesia universa cumque Sancta Sede; arcte debet esse coniuncta cum Ecclesia particulari, praesertim cum Episcopis dioecesanis regionis vel nationis, ubi exsistit. Pro sua Universitatis indole, Universitas Catholica ad operam Ecclesiae evangelizationis conferet.

§ 2. Cuiusque Episcopi munus est bonae administrationi favere Catholicarum Universitatum dioecesis suae, eique ius et officium est invigilandi earum indoli catholicae servandae et firmandae. Si quoad hanc necessariam condicionem quaestiones oriantur, Episcopus loci consilia capiat, quae opus sint ad eas solvendas, concorditer cum legitimis Auctoritatibus aca-

8-10: *AAS* 58 (1966), pp. 820-822; cf. *C.I.C.*, can. 812: «Qui in studiorum superiorum institutis quibuslibet disciplinas tradunt theologicas, auctoritatis ecclesiasticae competentis mandatum habeant oportet».

[51] Cf. *C.I.C.*, can. 811, § 2.

demicis et congruenter statutis procedendi rationibus[52] ac — si necesse sit — cum Sanctae Sedis auxilio.

§ 3. Certis temporibus quaelibet Universitas Catholica, de qua in art. 3, §§ 1 et 2, ad competentem ecclesiasticam Auctoritatem referre debet de Universitate deque eius operibus. Ceterae Universitates Catholicae de his rebus certiorem facere debent Episcopum dioecesis, in qua posita est Instituti sedes praecipua.

Art. 6. *Actio pastoralis ad Universitatem pertinens*

§ 1. Universitas Catholica provehere debet curam pastoralem sodalium Communitatis Universitatis et, praesertim, incrementum spiritale eorum, qui fidem catholicam profitentur. Eae viae praeferendae sunt, quae prosint formationi humanae et professionali harmonice sociandae, in luce catholicae doctrinae, cum valoribus religiosis, eo fine ut cognitiones per intellectum acquisitae cum religioso vitae momento iungantur.

§ 2. Personarum idonearum sufficiens numerus — sacerdotum, religiosorum, religiosarum et laicorum — nominetur, qui actioni proprie pastorali prospiciat pro Communitate Universitatis, quae explicanda erit convenienter actioni pastorali Ecclesiae particularis cumque eius auxilio, Episcopo dioecesano moderante vel approbante. Omnes Communitatis Universitatis sodales in vitandi sunt ut actioni pastorali ad Universitatem pertinenti operam dent eiusque incepta participent.

Art. 7. *Cooperatio*

§ 1. Quo implicatae hodiernae societatis quaestiones melius oppetantur, et Universitatum vel Institutorum indoles catholica confirmetur, oportet cooperatio provehatur regionalis, nationa-

[52] **Quod attinet ad Universitates, de quibus in art. 3, §§ 1 et 2, hae rationes definiendae sunt in Statutis ab auctoritate ecclesiastica probatis. Quod autem ad reliquas Catholicas Universitates pertinet, eaedem sunt decernendae a Conferentiis Episcoporum vel a ceteris Coetibus Catholicae Hierarchiae.**

lis et internationalis in pervestigatione, in institutione inque ceteris Universitatis operibus, omnium Universitatum Catholicarum, etiam Universitatum et Facultatum Ecclesiasticarum.[53] Haec cooperatio, ut par est, provehenda est etiam inter Universitates Catholicas et alias Universitates atque Instituta rebus investigandis et docendis, tum publica, tum privata.

§ 2. Universitates Catholicae, cum id fieri poterit congruenterque doctrinae catholicae principiis, in consiliis publicis inque Institutorum nationalium et internationalium propositis intersint, quae pro iustitia, incremento et progressui capessuntur.

NORMAE TEMPORARIAE

Art. **8.** Haec Constitutio valere coeperit die I° anni academici 1991.

Art. 9. Constitutionis exsecutio demandata est Congregationi de Institutione Catholica, cuius erit prospicere et necessarias ad id normas prodere.

Art. 10. Congregationis de Institutione Catholica officium erit, cum procedente tempore id adiuncta requirent, mutationes proponere in hanc Constitutionem inducendas, ut haec continenter ad novas necessitates apta sit Universitatum Catholicarum.

Art. 11. Leges particulares vel consuetudines, quae nunc vigent et huic Constitutioni contrariae sunt, abrogantur. Item abrogantur privilegia ad hoc usque tempus a Sancta Sede personis physicis et moralibus concessa, quae eidem huic Constitutioni contraria sunt.

[53] Cf. *C.I.C.,* can. 820; cf. quoque IOANNES PAULUS PP. II, Const. Apost. *Sapientia Christiana* de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis, 15 Aprilis 1979, *Ordinationes,* art. 49: *AAS* 71 (1979), p. 512.

CONCLUSIO

Munus, quod Ecclesia magna cum spe Universitatibus Catholicis concredit, culturalem et religiosam habet significationem magni momenti, quin immo maximi, cum ipsa humani generis futura contingat. Renovatio, quae ab Universitatibus Catholicis postulatur, has habiliores reddet ad satisfaciendum officio Christi nuntium afferendi hominibus, societati, culturis : « Quaevis humana res, singularis et socialis, a Christo est liberata: tum personae, tum hominum actiones, quorum cultura altissima est expressio et propria. Ecclesiae actio salvifica in culturas perficitur, in primis, per personas, familias, et educatores ... Iesus Christus, Salvator noster, lucem suam spemque suam iis omnibus praebet, qui scientias, artes, litteras colunt multasque culturae hodiernae confirmatas regiones. Omnes idcirco Ecclesiae filii et filiae conscii fieri debent sui muneris et perspicere Evangelii vim posse mentes valoresque principales pervadere et regenerare, qui singulas culturas perfundunt, sicut et opiniones animarumque habitus qui ex eis oriuntur ».[54]

Vehementissima cum spe hoc Documentum vertimus ad omnes viros omnesque mulieres qui, multimodis, in grave munus insistunt institutionis superioris catholicae.

Carissimi Fratres et Sorores, Nostrum hortamentum Nostraque fiducia vos prosequantur in duro vestro cotidiano labore, maiore in dies, urgentiore, necessario ad evangelizationis causam, ad culturae et culturarum futura. Ecclesiae et mundo vestrum testimonium et intellegens vestra opera, libera et officii conscia, opus sunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis in caelum, anno **MCMXC**, Pontificatus Nostri duodecimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[54] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Pontificium Consilium de Cultura, 13 Ianuarii 1989, n. 2: *AAS* 81 (1989), pp. 857-858.

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

quibus organismo vulgo « Pontificia Opera per la preservazione della Fede e per la provvista di nuove Chiese in Roma » nova denominatio et ordinatio datur.

I mutamenti che si sono verificati nella società ecclesiale e civile di Roma dalla promulgazione del Motu Proprio di Pio XI « In Allocutione habita » del 5 agosto 1930,[1] con cui fu costituita la Pontificia Opera per la preservazione della Fede e per la provvista di nuove Chiese in Roma, che modificava ed ampliava quella già fondata da Leone XIII col Motu Proprio ((Litteras ante annos)) del 25 novembre 1902,[2] consigliano di dare alla citata Opera una nuova configurazione giuridica.

Infatti, mentre sta crescendo la partecipazione del Popolo di Dio alla vita della Chiesa in Roma, emerge Popportunintà di assicurare alla Diocesi, anche in questo campo, una gestione più agile e più efficace dal punto di vista organizzativo, in quanto più aderente alle presenti necessità.

Ritenendo a tal fine conveniente collegare giuridicamente la predetta Opera alla Diocesi, dispongo che, fermo restando quanto altro stabilito con il ricordato Motu Proprio del 5 agosto 1930, l'Opera, la quale è persona giuridica pubblica ai sensi del canone 116 del Codice di Diritto Canonico, passi sotto la giurisdizione immediata e diretta (lei Cardinale mio Vicario Generale per la Città di Roma e Distretto, che ne è di diritto il Presidente ed il Rappresentante Legale, e muti il suo nome in quello di « Opera Romana per la preservazione della Fede e la provvista di nuove Chiese in Roma ».

L'opera avrà un suo Consiglio di Amministrazione secondo gli Ordinamenti propri.

Confido che il nuovo assetto giuridico consentirà all'((Opera » di dare una risposta tempestiva ed appropriata alle necessità della Comunità ecclesiale di Roma, e a tal fine conto anche sul volenteroso contributo di tutti i suoi componenti.

[1] *AAS* 22 (1930), pp. 337-340.

[2] *Leonis XIII P.M. Acta,* 22 (1902-1903), pp. 241-242.

Tutto quanto è stabilito con il presente Motu Proprio, ordino che abbia pieno e stabile valore, nonostante qualsiasi disposizione contraria, pur meritevole di speciale menzione.

Dato a Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, il 1° luglio dell'anno 1989, undecimo di Pontificato.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

LASÏÏIOËNSIS

Ad statum dioecesis attollitur Praefectura Apostolica Lashioënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Missionariorum ob sollertem operam promptamque fidelium voluntatem iam Lashioënsis ager iste laetas segetes fudit. Quae res magno Nos afficit gaudio atque Nos pariter impellit ut ad novam, feliciorem, condicionem instituta ecclesiastica aptemus. Idcirco consentientibus Venerabilibus Patribus Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis, iis quoque quorum interest quique quasdam partes sustinent suffragantibus, Apostolica Nostra usi potestate, Praefecturam Apostolicam *Lashioënsem* ad dignitatem evehimus et gradum dioecesis. Quam deinceps Metropolitanae Ecclesiae Mandalayensi subicimus necnon Congregationis pro Gentium Evangelizatione iurisdictioni. Sedem praeterea episcopalem in urbe locamus quam inibi incolae Lashio appellant, dum templum Sacratissimo Cordi Iesu dicatum eodemque in loco situm ad statum attollimus aedis cathedralis. Omnia haec ad explenda Venerabilem Fratrem deputarmis Petrum Biggio, Archiepiscopum titulo Otriculanum et in Bangladesa Apostolicum Pro-Nuntium, munus pariter in Myanmar Republica Delegati Apostolici praestantem, factis autem opportunis facultatibus etiam quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincerum exemplar ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittendum curentur. Contrariis rebus minime obsistentibus.

Finem tandem his Litteris Nostris imponentes, Dei Verbi operarios cunctosque fideles istic solari volumus et contestari quanti eorundem animi ad spiritalem humanumque progressum contentionem existimemus, ut communitas haec quam clarissime inter gentes eluceat.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

(Sf AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Antonius Macculi, *Proton. Apost. s.n.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 266.295.

LITTERAE APOSTOLICAE

Memoriae proditur Summum Pontificem Ioannem Paulum II die decimo mensis Maii anno MCMXC in urbe Monterreyensi imaginem coronavisse Immaculatae Conceptionis Mariae, « Virgen Chiquita » appellatam.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Imo ex pectore laetamur cum occasio Nobis datur ad Nostram pietatem in Beatissimam Virginem Mariam significandam, in cuius tutela inde a pueritia sumus cuiusque benignitatem in vitae Nostrae variis casibus, vel gravibus, experti sumus. At insuper magnam adhibemus curam ut Ea magis magisque ab Ecclesiae filiis cognoscatur tenerrima Mater, ad quam confugere possint fisi se ab Eadem in suis necessitatibus adiutum iri. Hoc quidem facimus et Eius magnitudines, privilegia, virtutes illustrando per crebrum Nostrum Magisterium, et publicis honoris signis Eam exornando. Libenti igitur animo precibus concessimus reverendi Sacerdotis Aureliani Tapia Méndez qui, suum expromens votum Christique fidelium sibi concreditorum, rogavit ut Ipsi Nos in Nostra visitatione ad metropolitanam urbem Monterreyensem in Mexico, gratiosae Conceptionis Mariae Immaculatae imagini, quae vernáculo sermone «Virgen Chiquita» vocatur, aureum diadema imponere dignaremur. Volentes ideo in hanc caelestem Matrem, immo et Reginam, aliud

Nostri amoris testimonium dare arctiusque fieri vinculum, quo Illi tota Mexicana Civitas per saecula iuncta mansit et etiam nunc manet, die decimo mensis Maii hoc anno MCMXC in Rivo Sancta Catharina urbis Monterreyensis, Immaculatae Conceptionis Mariae imaginem, quae « Virgen Chiquita » illic denominatur, quaeque in templo paroeciali colitur, a Nobis die quarto mensis Martii superiore anno Basilicae Minoris titulo decorato per Breve « Romanorum Pontificum », aureo diademate, benedictione sacrato, sollemni redimiimus ritu. Ut autem huius eventus posteris memoria traderetur indicareturque fidelium voluntas continenter Eam diligendi, sequendi, venerandi, quae solidissima est omnium Christianorum spes et ad caelum plana via et secura, has Litteras dari iussimus, facti testes verissimas. Rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Iulii, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

LOCO *rB* Sigilli
In Secret. Status tab., n. 264.820.

EPISTULA

R. P. D. Paulo Iosepho Cordes, episcopo tit. Naissitano, Delegato « in persona » ad Communitates Novi Catechumenatus.

AL VENERATO FRATELLO MONSIGNOR PAUL JOSEF CORDES, INCARICATO « AD PERSONAM » PER L'APOSTOLATO DELLE COMUNIT V NEOCATECUMENALI, VICE PRESIDENTE DEL PONTIFICIO CONSIGLIO PER I LAICI.*

Ogniqualvolta lo Spirito Santo fa germinare nella Chiesa impulsi di una maggiore fedeltà al Vangelo, fioriscono nuovi carismi che manifestano tali realtà e nuove istituzioni che le mettono in pratica. È stato così dopo il Concilio di Trento e dopo il Concilio Vaticano IL

Tra le realtà generate dallo Spirito ai nostri giorni figurano le Comunità Neocatecumenali, iniziate dal Signor K. Arguello e dalla

* La Mente del Santo Padre, nel riconoscere il Cammino Neocatecumenale come valido itinerario di formazione cattolica, non è di dare indicazioni vincolanti agli Ordinari del luogo, ma soltanto di incoraggiarli a considerare con attenzione le Comunità Neocatecumenali, lasciando tuttavia al giudizio degli stessi Ordinari di agire secondo le esigenze pastorali delle singole diocesi.

Signora C. Hernández (Madrid, Spagna), la cui efficacia per il rinnovamento della vita cristiana veniva salutata dal mio predecessore Paolo VI come frutto del Concilio: «Quanta gioia e quanta speranza ci date con la vostra presenza e con la vostra attività ... Vivere e promuovere questo risveglio è quanto voi chiamate una forma di "dopo il Battesimo" che potrà rinnovare nelle odierne comunità cristiane quegli effetti di maturità e di approfondimento che nella Chiesa primitiva erano realizzati dal periodo di preparazione al Battesimo)) (Paolo VI alle Comunità Neocatecumenali, Udienza Generale, 8 maggio 1974, in *Notitiae* 96-96, 1974, 230).

Anch'io, nei tanti incontri avuti come Vescovo di Roma, nelle parrocchie romane, con le Comunità Neocatecumenali e con i loro Pastori e nei miei viaggi apostolici in molte nazioni, ho potuto costatare copiosi frutti di conversione personale e fecondo impulso missionario.

Cum autem Magisterium, etiam sine voluntate ponendi actum « definitivum », doctrinam docet sive ad iuvandam altiorem perceptionem Revelationis vel eius rei, quae explanat argumentum eiusdem Revelationis, sive ad monendum de conformitate alicuius doctrinae cum veritatibus fidei, sive denique ad praecavendas opiniones quae cum eisdem veritatibus non componuntur : tunc religiosum voluntatis et intellectus obsequium requiritur.[23] Quod non mere externum atque disciplina impositum esse potest, sed cohaerere debet cum oboeditione fidei et ab ipsa permoveri.

24. Denique Magisterium, ut maxime idoneo quo fieri possit modo, Populo Dei deserviat, ac nominatim ut eum tueatur a periculosis opinionibus quae ad errorem conducere possint, intervenire potest in quaestionibus disputatis, in quibus, una cum firmis principiis, elementa coniecturalia et contingentia miscentur. Et saepe nonnisi post aliquod tempus distinctio fieri potest inter id quod necessarium est, et id quod contingens.

Voluntas sinceri obsequii erga hanc Magisterii doctrinam, in rebus quae per se irreformabiles non sunt, pro regula habenda est. Potest tamen accidere, ut theologus quaestiones sibi ponat, quae, prout fert casus, opportunitatem, formam ac vel etiam materiam alicuius interventus respiciant. Quod eum imprimis impellet, ut accurate inspiciat quaenam sit horum interventuum auctoritas, prout ipsa se prodit sive ex indole documentorum, sive ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, sive ex dicendi ratione.[24]

Cum agitur de interventibus indolis prudentialis, accidit ut quaedam documenta Magisterii non fuerint a defectibus immunia. Pastores non semper statim prae oculis habuerunt omnes aspectus vel omnem implexitatem quaestionis. At esset veritati contrarium, si ob nonnullos certos casus, concluderemus Ecclesiae Magisterium plerumque falli posse in suis prudentialibus iudiciis, vel assistentia divina mi-, nime frui in integro suae missionis exercitio. Namque theologus, qui suam disciplinam bene exercere non potest nisi quadam historiae

[22] In textu novae Professionis fidei (cf. nota 15) assensus circa has doctrinas subtilius explicatur his verbis: «Firmiter etiam amplector et retineo...».

[23] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 25; C.I.C., can. 752.

[24] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 25 § 1.

cognitione imbutus sit, probe novit res, labente tempore, clarius explicari. Quod non est accipiendum, quasi pondus fidei veritatum minui posset decursu temporis. Ipse scit nonnulla iudicia Magisterii excusari potuisse tempore, quo prolata sint, quia affirmationes, quae tunc considerabantur, modo inextricabili complectebantur sententias veras, una cum aliis, quae minus tutae erant. Tantum progrediente tempore licuit discrimen inducere et, post accurata studia, ad verum doctrinae progressum pervenire.

25. Etiam cum cooperatio optimis condicionibus procedit, non excluditur dari posse tensiones inter theologum et Magisterium. Significatio, quae iis tribuitur, et animus qui ad easdem solvendas geritur, non est quidem parvi momenti : nam tensiones, si non e quodam sensu infensi aut adversi animi oriantur, evadere possunt vis dynamica atque incitamentum, quibus Magisterium et theologi, exercentes dialogum, sua cuiusque munera adimpleant.

26. Ad dialogum quod attinet, duplex norma servanda est : scilicet ubi communionis fidei causa agitur, uti principium tenenda est « unitas veritatis » ; ubi vero discrepantiae permanent quae hanc communionem in discrimen non adducant, tunc « unitas caritatis » tutanda erit.

27. Etiamsi doctrina fidei in discrimen non adducatur, theologus opiniones suas vel hypoteses suas contrarias non exhibebit, quasi de conclusionibus agatur, quae nullam controversiam admittant. Quod exigitur ob reverentiam tum erga veritatem, tum erga Populum Dei (cf. *Rm* 14, 1-15; *1 Cor* 8; 10, 23-33). Ob easdem causas, ipse abstineat ab earum publica declaratione intempestiva.

28. Quod supra dictum est, peculiari modo applicatur ad theologum qui, ob rationes quae ipsi solidae videantur, graves habeat difficultates excipiendi doctrinam Magisterii non irreformabilem.

Huiusmodi discrepantia probari non potest, si in hoc tantum nititur, quod doctrinae validitas omnino manifesta non est, vel quod censetur sententiam oppositam probabiliorem esse. Ita pariter satis non est iudicium privatae conscientiae theologi, quia haec minime constituit instantiam autonomam atque exclusivam, qua de doctrinae veritate iudicari possit.

29. Utcumque res se habet, numquam deficiet fundamentalis animi dispositio ad sincere amplectendam doctrinam Magisterii, ut addecet

quemlibet fidelem ob fidei oboeditionem. Theologus ergo conabitur hanc doctrinam in iis rebus, quas continet, in suis rationibus et in suis causis intellegere. Ad hoc ille accuratam patientemque considerationem devovebit, promptus ad recognoscendas suas ipsius opiniones et ad obiectiones examinandas, quas eius collegae ipsi attulerint.

30. Si nihilominus post sincerum conatum difficultates permaneant, theologi officium est in notitiam auctoritatum Magisterii perferre quaestiones ortas ex ipsa doctrina proposita vel ex probationibus quae offeruntur, vel etiam ex modo quo eadem doctrina proponitur. Ipse id efficiet spiritu evangelico ductus ac vehementi studio permotus difficultates solvendi. Tunc eius obiectiones in verum progressum conferent, Magisterium exstimulando ad doctrinam Ecclesiae modo profundiore proponendam aptioribusque fulciendam argumentis.

Quibus in casibus, theologus a confugiendo ad instrumenta communicationis socialis abstinebit, loco sese dirigendi ad competentem auctoritatem; non enim hoc modo, scilicet hominum opinionem sollicitando, ad quaestiones doctrinales declarandas et ad serviendum veritati conferre potest.

31. Potest autem fieri, ut post doctrinae Magisterii examen accuratum et peractum cum voluntate eum audiendi absque ulla reticentia, difficultates remaneant, quia argumenta in contrarium theologo praevalere videntur. Erga affirmationem cui non existimat se posse assensum intellectus praebere, eius officium est cum animo propenso ad profundiorem quaestionis investigationem perstare.

Homini, qui sincerus sit et amore flagret in Ecclesiam, huiusmodi condicio videri potest sane laboriosa. Eadem vero evadere potest invitamentum ad patiendum in silentio et precatione, certa cum spe, veritatem, si vere eius causa agatur, necessario tandem superiorem discessuram esse.

B) QUAESTIO DISSENSIONIS

32. Saepius Magisterium monuit circa gravia incommoda Ecclesiae communioni allata a se gerendi modis eorum, qui systematica ratione illi opponuntur, atque eo perveniunt ut se etiam in coetus ordinatos constituant.[25] Paulus VI, in Adhortatione, cui nomen *Paterna cum*

[25] PAULUS VI, Adhort. apost. *Paterna cum benevolentia,* 8 decembris 1974: *AAS* 67 (1975) 5-23. Consulatur etiam CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Declar. *Mysterium Ecclesiae: AAS* 65 (1973) 396-408.

benevolentia, rei proponit explicationem, quae suum momentum etiamnum conservat. Peculiari modo, hic seTmo est de illa publica se gerendi ratione, quae magisterio Ecclesiae opponitur et etiam « dissensio » appellatur, quaeque bene distinguenda est a condicione difficultatis privatae, de qua supra dictum est. Quae dissensio potest quidem varias formas sumere, eiusque remotae ac proximae causae sunt multiplices.

Inter rationes, quae remoto vel obliquo modo vim adhibere possunt, recolenda est ratio liberalismi philosophici, qua mentes aetatis nostrae quoque perfunduntur. Hinc animorum inclinatio ad opinandum quodvis iudicium eo plus valere, quanto magis proficiscatur e persona suis annitente viribus. Ita cogitandi libertas opponitur auctoritati traditionis, quae origo servitutis existimatur. Doctrina quaedam tradita vulgoque accepta, in antecessum iam suspicioni ducitur et eius pondus veridicum in dubitationem vocatur. Ad extremum, libertas iudicii sic intellecta maiorem obtinet auctoritatem, quam ipsa veritas. Agitur igitur de re longe alia ac legitimo postulato libertatis, quae est absentia coactionis, tamquam condicio necessaria ad sinceram veritatis inquisitionem. Propter quod Ecclesia semper postulatum defendit : « invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem)).[26]

Pondus opinionis publicae artificio tractatae, itemque eius deformia obsequia vim quoque habent. Saepe exemplaria socialia per instrumenta communicationis socialis passim disseminata assumunt potentiam alicuius normae; peculiari modo persuasio invalescit haud debere Ecclesiam suam proferre sententiam, nisi in rebus quas publica opinio censeat esse maioris momenti, neque alio sensu, quam eidem publicae opinioni congruat : posse, verbi gratia, Magisterium auctoritatem suam interponere de quaestionibus oeconomicis et socialibus, sed iudicio cuiusque hominis relinquere quaestiones vitae coniugalis et familiaris honestatem attinentes.

Denique, etiam linguarum culturarumque multiplicitas, quae in se ipsa thesaurus est, indirecte potest falsas comprehensiones inferre, causas secuturae dissensionis.

Quae cum ita sint, iudicium criticum bene perpensum et vera quaestionum cognitio in theologo postulatur, si ecclesiale munus suum explere cupiat, neque, dum sese accommodât huic saeculo (cf. *Rm* 12, 2;

[26] Declar. *Dignitatis humanae,* 10.

Eph 4, 23), libertatem amittat iudicii, quae discipulorum Christi propria esse debet.

33. Dissensio varias formas sumere potest. Forma, quae extrema est, illuc tandem spectat, ut Ecclesia commutetur secundum contestationis exemplar, quod de publicae societatis vita sumitur. Frequentius censetur theologum ofiicio astringi solis Magisterii doctrinis infallibilibus assentiendi, e contrario, ob principium quasi theologici positivismi, doctrinas sine ullo infallibilis Magisterii usu propositas, nullam in se complecti vim obligandi, concessa singulis plena facultate adhaerendi vel dissidendi. Sicque theologus prorsus posset libere in dubium vocare vel recusare omnino Magisterium non infallibile, nominatim in regione normarum moralium particularium. Immo hac sua oppositione ipse progressui doctrinae conferret.

34. Dissensionis defensio generatim variis argumentis fulcitur, quorum duo suapte natura altius fundantur. Alterum est indolis hermeneuticae : documenta Magisterii nihil aliud esse, nisi quamdam theologiae opinabilis imaginem. Alterum vero ad pluralismum theologicum appellat, protractum quandoque usque ad relativismum, qui in discrimen adducit ipsam integritatem fidei : interventus Magisterii ortum suum ducere ex una tantum theologia inter alias multas, at nullam theologiam particularem ubique eminere posse super ceteras. Sic genus quoddam « magisterii paralleli » theologorum exoritur, quod magisterio authentico adversatur et aemulatur.[27]

Proprium unum sane munus theologi est recte interpretari Magisterii documenta, quam ad rem normis hermeneuticis utitur, inter quas principium illud reperitur, vi cuius doctrina Magisterii, assistentiae divinae virtute, ultra argumentationes valet, interdum haustas ex quadam theologia particulari, quam ipsa adhibet. Quod autem attinet ad pluralismum theologicum, ipsum legitimum non est, nisi in tuto ponatur unitas fidei in suo sensu obiectivo.[28] Diversi enim gradus, qui sunt unitas fidei, unitas-pluralitas significationum fidei

[27] Notio « magisterii paralleli » theologorum, quod obstat et certat cum magisterio Pastorum, quibusdam locis innititur ubi S. Thomas Aquinas discrimen inicit inter « magisterium cathedrae pastoralis » et « magisterium cathedrae magisterialis » (*Contra impugnantes,* c. 2; *Quodlib.* III, q. 4. a. 1 [9]; *In IV Sent.* 19, 2, 2, q. 3 sol. 2 ad 4). Hi reapse loci nullum ponunt fundamentum istius sententiae, quandoquidem S. Thomas persuasissimum sibi habet ius iudicandi in doctrinae rebus ad unum pertinere «officium praelationis ».

[28] Cf. PAULUS VI, Adhort. apost. *Paterna cum benevolentia,* 4: *AAS* 67 (1975) 14-15.

et pluralitas theologiarum, inter se vinculo necessario coniunguntur. Eatio ultima pluralitatis est ininvestigabile Christi mysterium, quod quamlibet obiectivam doctrinae dispositionem excedit. Quod tamen significare non potest admittendas esse conclusiones, quae illi opponantur, et pariter in dubitationem adduci veritatem illarum affirmationum, quibus Magisterium aliquando sese expressit.[29] Quod autem attinet ad « magisterium parallelum », permagna damna spiritualia afferre potest, quoties illud magisterio Pastorum obsistit. Etenim quotiescumque dissensio extendere valet suam vim efficacitatemque usque ad gignendam publicam opinionem, proclivis fit ut ipsa agendi norma evadat; et id non potest non perturbare graviter Populum Dei, illumque inducere ad verae auctoritatis contemptionem.[30]

35. Dissensio interdum ad argumentum sociologicum appellat, iuxta quod magnae christianorum multitudinis opinio esset directa et aequa significatio ((sensus supernaturalis fidei ».

Revera opiniones Christifidelium ad « sensum fidei » simpliciter redigi non possunt.[31] Hic est proprietas ipsius fidei theologalis quae, cum sit Dei donum quod efficit ut veritati unusquisque singillatim adhaereat, falli nequit. Porro haec fides unius cuiusque, simul etiam Ecclesiae fides est, quandoquidem Deus Ecclesiae concredidit custodiam Verbi, proindeque quod Ecclesia credit, credit et Christifidelis. Itaque natura sua « sensus fidei » infert secum intimum spiritus cordisque consensum cum Ecclesia, id est illud « sentire cum Ecclesia ».

Si ergo theologalis fides qua talis falli non potest, nihilominus fidelis fovere intus erratas opiniones potest, quoniam non universae eius cogitationes ex fide progrediuntur.[32] Cogitata non omnia, quae intra

[29] Cf. PAULUS VI, *Allocutio habita ad sodales Commissionis Theologicae Internationalis,* 11 octobris 1973: *AAS* 65 (1973) 555-559.

[30] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Redemptor hominis,* n. 19: *AAS* 71 (1979) 308; *Allocutio ad Christifideles Managuenses,* 4 martii 1983, 7: *AAS* 75 (1983) 723; *Allocutio ad Religiosos Quatemalenses,* 8 martii 1983, 3: *AAS* 75 (1983) 746; *Allocutio ad Episcopos Peruviae,* 2 februarii 1985, 5: *AAS* 77 (1985) 874; *Allocutio ad Conferentiam Episcoporum Belgarum,* 18 maii 1985, 5: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* VIII, 1 (1985) 1481; *Allocutio ad aliquot Episcopos Americanos tempore visitationis nad limina»,* 15 octobris 1988, 6: *L'Osservatore Romano,* 16 octobris 1988, p. 4.

[31] Cf. IOANNES PAULUS II, Adhort. apost. *Familiaris consortio,* 5: *AAS* 74 (1982) 85-86.

[32] Inspiciatur formula Concilii Tridentini, sess. VI, cap. 9: fides «cui non potest subesse falsum»: *DS* 1534; cf. S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* II-II[ae], q. 1, a. 3, ad 3: «Possibile est enim hominem fidelem ex coniectura humana falsum aliquid aestimare. Sed quod ex fide falsum aestimet, hoc est impossibile ».

Dei Populum circumferuntur, cum fide ipsa concinunt, eoque magis quod facile subire possunt impulsum alicuius publicae opinionis, quae recentioribus communicationis instrumentis pervenitur. Non sine causa Concilium Vaticanum II necessariam coniunctionem in luce ponit inter « sensum fidei » et regimen Populi Dei, quod magisterio Pastorum concreditur : nam duae res sunt, quarum altera ab altera separari non potest.[33] Interventus Magisterii id nempe sibi proponunt, ut unitas Ecclesiae in veritate Domini perstet. Etenim ipsi inserviunt ad demorandum in veritate adversum arbitrariam indolem mutantium opinionum, simulque declaratio sunt oboeditionis Dei Verbo.[34] Tum etiam cum libertatem theologi circumscribere videntur, interventus générant, per fidelitatem erga fidem a maioribus traditam, altiorem libertatem, quam provenire non potest nisi ex unitate in veritate.

36. Libertas actus fidei ius dissensionis fundare non potest. Nullo modo haec designat libertatem a veritate, sed liberam sui ipsius destinationem, quam quisque perficere debet secundum proprium officium morale amplectendi veritatem. Actus fidei est actus voluntarius, quia homo a Christo Servatore redemptus ab eoque vocatus ad filiorum adoptionem (cf. *Rm* 8, 15; *Gal* 4, 5; *Eph* 1, 5 ; *Io* 1, 12), non potest adhaerere Deo, nisi <(a Patre tractus » *(Io* 6, 44), rationabile Deo deferat fidei suae donum (cf. *Rm* 12, 1). Quemadmodum iam memoravit Declaratio *Dignitatis humanae/*[35] nulla humana auctoritas ius habet interveniendi adhibitis coercitionibus vel impulsionibus, huic ipsi electioni, utpote quae eius potestatis fines excedat. Si ergo ius libertatis religiosae observatur, simul iacitur fundamentum unde reliqua hominis iura observentur.

Non potest igitur haec hominum iura advocari, ut Magisterii interventibus resistatur. Namque talis agendi modus perperam naturam Ecclesiae et missionem intellexit, quae a Domino suo recepit officium omnibus hominibus veritatem salutis nuntiandi, quod ipsa. complet Christi vestigia persequendo ; novit enim « nec aliter veritatem sese imponere, nisi vi ipsius veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur M.[36]

[33] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 12.
[34] Cf. Const. dogm. *Dei Verbum,* 10.
[35] Cf. Declar. *Dignitatis humanae,* 9-10.
[36] *Ibid.,* 1.

37. Vi mandati divini, quod intra Ecclesiam illi est creditum, Magisterium munus habet proponendi Evangelii doctrinam, circa eius integritatem vigilandi, atque ita protegendi fidem Populi Dei. Quod ut rite consequatur, induci interdum potest, ut graviora capiat consilia, cum, verbi gratia, theologum a fidei doctrina abscedentem privat missione canonica vel mandato docendi prius collato, vel cum quaedam scripta declarat non esse huic doctrinae conformia. Ita se gerens, studet fidele persistere erga proprium officium, quoniam tuetur ius Populi Dei, ut nuntium Ecclesiae purum omnino integrumque suscipiat, neve peculiari opinione periculosa conturbetur.

Hisce in adiunctis, declaratum a Magisterio iudicium — postquam diligentior investigatio expleta est secundum praestitutas formulas atque illi, cui interest, facultas data est quasdam forsitan falsas propriae cogitationis interpretationes dissolvendi — haud afficit ipsam personam theologi, verum conceptiones eius mentis publice expositas. Quod vero hae agendi rationes perfici possunt, non inde sequitur eas iuri atque iustitiae obstare. Si quis hac in re de iurium hominis violatione loquatur, a via aberret, cum certum eorum iurium ordinem ignoret, necnon naturam communitatis ecclesialis eiusque commune bonum. Theologus autem, qui non consentit cum Ecclesia, contradicit muneri nomine Ecclesiae docendi, quod libere et conscie suscepit.[37]

38. Nec denique dissensionem sustinere illa potest argumentatio, qua cuique homini imponitur officium propriae oboediendi conscientiae. Etenim ante omnia hoc officium impletur, cum conscientia illuminat iudicium practicum circa decisionem aliquam sumendam; at de veritate hic agitur alicuius propositionis doctrinalis. Praeterea, si theologus, haud secus ac quilibet fidelis, conscientiam suam sectetur oportet, oportet eam pariter informet. Non enim conscientia est facultas sui iuris et falli nescia; actus est moralis iudicii, quod consciam electionem respicit. Conscientia recta est conscientia, quae convenienter fide et lege morali obiectiva illustratur; et supponit etiam rectitudinem voluntatis in vero bono assequendo.

Conscientia recta theologi catholici proinde pro certo habet fidem in Verbum Dei, cuius divitias perscrutari debet, simulque etiam amorem in Ecclesiam, a qua munus suum recepit, et reverentiam erga

[37] Cf. IOANNES PAULUS II, Const. apost. *Sapientia christiana,* 15 aprilis 1979, n. 27, 1: *AAS* 71 (1979) 483; C.I.C., can. 812.

Magisterium, quod divinitus assistitur. Magisterio Ecclesiae magisterium supremum conscientiae opponere idem est ac principium liberi examinis, quod nec cum Revelationis oeconomia eiusque in Ecclesia transmissione conciliari potest, nec cum recta opinione theologiae munerumque theologi. Namque fidei enunciationes non e singulari quadam inquisitione oriuntur aut libera ponderatione Verbi Dei, sed ecclesialem hereditatem constituunt. Quod si a Pastoribus disceditur, qui vigilant ut vivam sustentent apostolicam traditionem, ipsa cum Christo tuta coniunctio iam irreparabiliter laeditur.[38]

39. Ecclesia, suum ortum ducens ex unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti,[39] est mysterium communionis bene ordinatae, secundum voluntatem Conditoris sui, circa hierarchiam, in ministerium Evangelii constitutam et ipsius Populi Dei, qui inde vivit. Ad imaginem membrorum primae communitatis, baptizati omnes, cum charismatibus unicuique propriis ornati, sincero corde contendere debent ad consonantem doctrinae, vitae et cultus unitatem (cf. *Act* 2, 42). Haec est norma, quae profluit ex ipsa essentia Ecclesiae. Quapropter ad ipsam Ecclesiam nude simpliciterque regulae et instituta apponi non possunt, quae suapte ex natura societas civilis vel popularis regiminis gubernatio habent. Tanto proinde minus, in ipsis rationibus quae intra Ecclesiam vigere debent, licet afflatum expeti a mente circumiacentis mundi (cf. *Rm* 12, 2). Rogare maiorem opinionis partem quid tandem credere facereque deceat, adversus Magisterium invocare pondus publicae opinionis, praetendere theologorum « consensum », affirmare theologum esse praesagum quemdam interpretem alicuius « basis » aut sui iuris communitatis quae hac ratione unica habeatur fons veritatis : haec omnia grave denotant detrimentum sensus veritatis, atque similiter sensus Ecclesiae.

40. Ecclesia exsistit « velut sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[40] Hinc si quis concordiam communionemque conquirit, vim simul auget eius testimonii et credibilitatis ; si e contra dissensionis invitamento ceditur, permittitur ut « infidelitatis erga Spiritus Sancti motus » progrediantur.[41]

[38] Cf. PAULUS VI, Adhort. apost. *Paterna cum benevolentia,* 4: *AAS* 67 (1975) 15.
[39] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 4.
[40] Cf. *ibid.,* 1.
[41] Cf. PAULUS VI, Adhort. apost. *Paterna cum benevolentia,* 2-3: *AAS* 67 (1975) 10-11.

Quantumvis et theologia et Magisterium sint naturae diversae habeantque munia sane dissimilia, quae permisceri non possunt, de duobus tamen agitur muneribus vitalibus in Ecclesia, quae inter se mutuo confluere oportet ac locupletari in Populi Dei ministerium.

Ad Pastores spectat, vi auctoritatis a Christo ipsis tributae, operam dare, ut huic invigilent unitati prohibeantque item ne contentiones, quae e vita ipsa cooriantur, in discidia demum transeant. Eorum auctoritas, supergrediens opiniones particulares atque oppositiones, necesse est omnes consociet in unitate Evangelii, quod est « verbum reconciliationis » (cf. *2 Cor* 5, 18-20).

Ad theologos autem quod attinet, ad ipsos etiam, vi proprii charismatis, spectat suas partes conferre ad Christi corpus in unitate veritateque aedificandum, et eorum opera nunc quidem magis quam alias umquam requiritur ad totius orbis terrestris evangelizationem, quae totius Populi Dei vires postulat.[42] Quod si ob indolem propriae investigationis ipsis accidere potest ut obvii sint difficultatibus, earum quaerere debent solutionem in fidenti colloquio cum Pastoribus, in spiritu veritatis et caritatis, qui ad ipsam communionem Ecclesiae pertinet.

41. Utrique ante oculos semper habebunt Christum esse Verbum definitivum Patris (cf. *Hebr* 1, 2) in quo, ut S. Ioannes a Cruce docet, ((Deus nuntiavit nobis omnia simul et semel »,[43] eumque, uti talem, esse Veritatem, quae liberat (cf. *Io* 8, 36; 14, 6). Actus adhaesionis et obsequii erga Verbum, quod Ecclesiae creditum est sub Magisterii ductu, denique ad Ipsum referuntur, atque introducunt in regionem verae libertatis.

CONCLUSIO

42. Virgo Maria, Mater et perfecta imago Ecclesiae, iam inde a primordiis Novi Testamenti beata est proclamata ob assensum fidei, quod statim nec ulla interposita dubitatione praestitit Verbo Dei (cf. *Lc* 1, 38. 45), quod iugiter conservabat conferens in corde suo (cf. *Lc* 2, 19. 51). Ita ipsa facta est ut exemplum et praesidium omni Populo Dei, eius maternae sollicitudini credito. Eadem ei commonstrat viam receptionis et ministerii ipsius Verbi, eodemque tempore finem ulti-

[42] Cf. IOANNES PAULUS II, Adhort. apost, post-synod. *Christifideles laici,* 32-35: *AAS* 81 (1989) 451-459.

[43] S. IOANNES A CRUCE, *Ascensus ad montem Carmelum,* II, 22, 3.

mum numquam obliviscendum, qui scilicet est nuntiatio universis hominibus salutis, quae in mundum a Filio eius Iesu Christo est allata.

Congregatio pro Doctrina Fidei, absolvens Instructionem, vehementer Episcopos cohortatur, ut cum theologis foveant promoveantque rationes fiducia plenas, animo parati ad excipiendum Verbum eique serviendum, et in communione caritatis, vi cuius facilius superari poterunt quaedam impedimenta, quae condicionibus hominum in terra sunt innata. Hac profecto ratione omnes valebunt maiorem in modum tam Verbo quam Populo Dei inservire, ut hic, perseverans in doctrina veritatis et libertatis inde a principio percepta, et in Filio et in Patre permaneat et vitam aeternam, tamquam Promissionis effectum (cf. *1 Io* 2, 24-25), consequatur.

Hanc Instructionem in Conventu Plenario huius Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 24 Maii 1990, in sollemnitate Ascensionis Domini.

IOSEPHUS card. RATZINGER, ***Praefectus***

L. © S.

)Sf Albertus Bovone
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Secretarius***

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

I

BRIXIEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Annuntiatae Cocchetti, Fundatricis Sororum a S. Dorothea De Cemmo (1800-1882).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Famula Dei Annuntiata Cocchetti, in oppido dioeceseos Brixiensis *Ronato,* die 9 mensis Maii anno 1800 nata, mature utroque parente est orbata et ab avia paterna educata. Progrediente aetate, puellarum ignorantiam et pericula miserata, ludum litterarum gratis iis aperuit, legitimum diploma docendi consecuta. Interim autem, mortua avia, in tutelam venit patrui, qui Mediolani medicinam exercebat. Is pro nepte sua matrimonium cogitabat, dum ipsa de religiosa amplexanda vita meditabatur. Quapropter sex post annos Famula Dei e patrui domo clam aufugit, divino -praesidio firmata, et ad Brixiense oppidum vulgo appellatum *Cemmo* se contulit, ut suam operam praestaret alicui piae dominae, quae privatam scholam pauperibus puellis instruendis instruxerat. Ita voti compos facta, iam uni virtutum progressioni et infantium curae vitam impendebat, ut a desidia puellas revocaret, solida imbueret doctrina, domesticas doceret artes atque ad pietatem ceterasque christianas virtutes inclinaret. In tam salutari incoeptu Serva Dei magistrum et consiliarium habuit praeclarum sacerdotem et Evangelii praeconem Servum Dei Lucam Passi. Cuius hortatu ipsa habitum religiosum induit inter Sorores a Sancta Dorothea. Religiosis votis nuncupatis, Cemmum rediit et iuvenes, quotquot id desideravissent, in Institutum religiosum cooptavit. Quod Institutum eiusque religiosa communitas in novam increvit Congregationem, cuius Serva Dei ab omnibus legifera mater est agnita. Virtutibus et fama sanctimoniae clara, die 23 mensis Martii anno 1882 placide animam efflavit. Heroicas autem eam coluisse virtutes Sum-

mus Pontifex Ioannes Paulus II, servatis omnibus de iure servandis, die 13 Maii anno 1989 declaravit.

Porro, ut Venerabilis Serva Dei Annuntiata Cocchetti in Beatorum Caelitum album legitime referretur, Causae actores sanationem quandam, quae divinitus asserebatur patrata eiusdem Venerabilis intercessione, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt.

Quae sanatio obtigit Bortolinae Milesi, tredecim annorum puellae. Medicis curationibus in cassum adhibitis edictaque a medentibus a curatione infausta quoad vitam prognosi mox quidem adfutura, Venerabilis Annuntiatae Cocchetti patrocinium ab aegrae familia est imploratum per novendiales preces; et ecce, nondum conclusis novendialibus orationibus, aegrota circa medium mensem Martium anni 1943 rapide ac perfecte a tumefactione abdominali probabilis indolis sarcomatosae cum syndrome subocclusivo sanata est.

Qua super miranda sanatione conditus est apud curiam episcopalem Brixiensem, annis 1952-1953, processus ordinaria potestate ((ne pereant probationes)), cui vis apostolica est agnita per Rescriptum huius Congregationis die 17 Octobris a. 1987 ; eodemque die de eiusdem processus iuridica auctoritate est decretum.

Iuris ordine servato, eiusmodi sanatio ad Medicum Collegium est relata, quod, post accuratam atque medicae artis principiis suffultam disceptationem die 18 mensis Octobris a. 1989 habitam, asseruit eandem sanationem praeter naturae vires et ordinem evenisse. Secuta est postmodum theologorum discussio, et quidem primum, die 19 Ianuarii mensis anno hoc decurrente 1990, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 24 Aprilis eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum ad Vaticanum coadunata, ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi. Et in utroque coetu, posito dubio num de miraculo ageretur responsum est datum affirmativum.

De hisce omnibus rebus certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, responsum Congregationis de Causis Sanctorum ratum habens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente, meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater decretoriam proferens sententiam edixit : *Constare de*

miraculo, Venerabili Annuntiata Cocchetti intercedente, a Deo patrato, scilicet de valde rapida perfectaque sanatione puellae Bortolinae Milesi a tumefactione abdominali probabilis indolis sarcomatosae cum Syndrome subocclusivo ; dimisso in discrimen statu generali valetudinis.

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Beatissimus Pater referri iussit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

CRACOVIEN.

DECRETUM

Canonizationis Beati Raphaelis a S. Ioseph (in saec.: Iosephi Kalinowski), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1835-1907).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Poloniae christifideles in magnam ingressi sunt spem se quam primum suae gentis alium virum veluti stellam super Ecclesiae firmamentum fulgentem conspecturos. De Beato agitur Raphaele a S. Ioseph (in saeculo : Iosepho Kalinowski), sacerdote professo Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, cuius causa canonizationis eo pervenit ut eidem supremi altarium honores rite decerni videantur.

Is ortum duxit Vilnae, die 1 mensis Septembris anno 1835. Qui sub patris magisterio adeo profecit, ut inter condiscipulos pietate, litteris ac scientia eminuerit. Militiae nomen dedit atque anno 1863 Polonis se adiunxit qui contra Russicum oppressorem insurrexerant ; verum captus morti fuit damnatus, quae poena in coactos labores commutata est, quam admiranda patientia in Sibiria tulit, socio-

rumque animos piis exhortationibus reereabat, aeterna praemia pro iustitia patientibus promissa recolens. Libertate autem donatus, Lutetiam Parisiorum petivit anno 1874, ubi institutor factus est Venerabilis Augusti Czartorski, cuius animam non modo humana scientia sed et pietate excoluit. Anno 1877, Graeci in Austria, nomen dedit Ordini Carmelitarum Discalceatorum. Religiosis votis nuncupatis studiisque philosophiae et theologiae rite absolutis, in patriam reversus, Czernae, presbyter a. 1882 est ordinatus. Hac illae in Polonia est diversatus, ubique omnibus omnia factus, nihil sibi pepercit in animarum salute procuranda. Divino amore impellente, Pater Raphael plurimos haereticos ad Petri ovile reduxit, plurimos e coeno peccati sublevavit, plurimos ad christianae perfectionis semitas adduxit. Plura et gravia officia a sui Ordinis moderatoribus ei concredita fuerunt, quibus sancte fere ad mortem usque functus est. Die 15 Novembris a. 1907, in coenobio Wadowicensi quod excitaverat, direxerat exemplisque roboraverat, piissime obdormivit in Domino, sanctitatis fama circumdatus. Miraculis clarum, servatis omnibus de iure servandis, Ioannes Paulus II eum in catalogo Beatorum die 22 mensis Iunii a. 1983 Cracoviae adscripsit.

Ex quo autem Beatorum Caelitum honores eidem decreti sunt, devotio erga novensilem Beatum magnis est incrementis aucta atque percrebruit et fama de beneficiis, miraculi quoque speciem praebentibus, eius apud Deum intercessione obtentis, quae veluti superna signa sunt visa ad Causam usque ad canonizationem prosequendam. Factum est ita ut ex diversis, quae mirae ferebantur, sanationibus, Causae actores unam selegerint eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum proposuerint ut ad sollemnem deveniretur canonizationem.

Quae asserta mira sanatio respicit Alexandrum Roman, puerum octo annorum loci cui nomen *Wadowice,* in finibus archidioeceseos Cracoviensis positi. Is namque, viam peditibus patentem transiens, automobili curru est invectus atque in altum proiectus,-graviter in terram procubuit illeso fortiter capite, ibique sensibus omnino destitutus remansit. Infelix casus grave trauma calvae multiplicesque contusiones puero attulit. In valetudinarium deductus, prognosis edicta est infausta quoad vitam. Peracta utcumque chirurgica operatione, puer in veternoso statu fere decem dies permansit. Interim eius parentes fervidis precibus Beati Raphaelis a S. Ioseph patrocinium implorare coeperunt, neque in vanum; etenim Beatus de caelo adfuit.

Die etenim novendialium orationum postremo, scilicet inter dies 27-28 Ianuarii anno 1989, effecta est rerum mutatio : praeter omnium exspectationem Alexander Eoman anhelitum recepit, loqui, edere, scribere et cantare protinus valuit.

Cum divinitus patrata haberetur huiusmodi sanatio, instrui coeptus est processus super eadem apud Curiam archiepiscopalem Cracoviensem, mensibus Maio et Iunio anni 1989. Cuius inquisitionis transumptum Romae, ad Congregationem de Causis Sanctorum transmissum, decretum meruit iuridicae validitatis die 15 Septembris eodem vertente anno. Consilium autem Medicum ipsius Congregationis, severo examini subiectis depositionibus cum testium in processu excussorum, tum a curatione medicorum et ab inspectione atque ex officio deputatorum, die 15 mensis Novembris eodem anno 1989 coadunatum, una voce censuit praedictam sanationem per naturae leges explicari non posse.

Servatis itaque ex iure servandis, eadem asserta mira sanatio ad disceptationem revocata est in binis praescriptis coetibus, nimirum primum, die 23 Februarii huius vertentis anni 1990, in Congressu Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 8 Maii hoc eodem anno, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Andrea Maria Deskur. Porro, utroque in Coetu, proposito ad disceptandum dubio num de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur, constaret, omnes qui aderant adfirmando responderunt.

De hisce rebus omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum, in Audientia ipsi concessa, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super praefata mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, Beatissimus Pater, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Andrea M. Deskur, Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, edixit : ***Constare de miraculo, a Deo patrato per intercessionem Beati Raphaelis a 8. Ioseph (in saeculo: Iosephi Kalinowski), sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, videlicet de mirabiliter rapida, perfecta stabilique sanatione pueri Alexandri Roman a « Grave trauma cranico con frattura delle ossa della base e volta con avvallamento osseo. Ematoma subdurale***

bilaterale, contusione cerebrale e perdita di sostanza cerebrale corticale di 3 cm. x 3 cm. a carico dell'emisfero sinistro. Stato comatoso. Contusioni multiple)).

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

III

LAUSANNEN.-GENE VEN.-FRIBURGEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Margaritae Bays, e Tertio Ordine Saeculari S. Francisci (1815-1879).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ut suae ergo vocationi respondeant, fideles laici activitates quotidianas videre debent ut occasionem sese coniungendi cum Deo eiusque voluntatem adimplendi necnon serviendi ceteris hominibus eosque ad communionem cum Deo in Christo perducendi » (IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici,* 30 Decembris 1988, n. 17; *AAS* 81 [1989] 419)..~"

Merito haec verba accommodari queunt vitae atque actis Servae Dei Margaritae Bays, e Tertio Ordine S. Francisci Assisiensis, quae, a piis parentibus agricolis, labori penitus deditis, in loco nata est patrio sermone dicto *La Pierraz,* intra fines Cantonis Friburgensis in Helvetia, die 8 Septembris, anno 1815, ibidemque Baptismatis aquas sequenti die recepit. A iuvenili vero aetate, solitudinis ac precationis amore tam vehementer alliciebatur, ut suas quoque arnicas ad pietà-

tis officia excolenda traheret. Vivax atque intellegens puella, duobus vel tribus annis scholam frequentavit, ubi legere ac scribere didicit. Tirocinio dein peracto, sartricis artem exercuit et simul domesticis laboribus operam dedit.

Licet ad statum religiosum amplectendum attraheretur tamen in domo paterna degere statuit, ibique virtutes coluit atque sanctitatem prosecuta est, tamquam mulier laica nubilis, in ambitu suae familiae suaeque paroeciae. Precandi studio eminuit Dei Serva, quae cotidie, primo mane, paroecialem ecclesiam sat distantem petebat, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium participaret, quod totius diei apicem consideraban Pietate aestuans erga Iesum Christum Dominum nostrum, Viae Crucis stationes assidue meditabatur : impensissime etiam Beatissimam Virginem Mariam diligebat, cuius Sanctuaria, etiam dissita, frequenter invisebat, quamque Rosarii recitatione nunquam venerari omittebat.

Ex hoc autem cum Deo commercio necessarius veluti fructus sequebatur, ut se totam apostolatui exercendo Margarita dederet, in multiplicem aliorum utilitatem. Itaque diebus dominicis, post meridiem, pueros congregabat, ut luderent, catechismi explanationem audirent et personalem orationem colere discerent. Mense autem Maio, tempore vespertino, eosdem pueros ad celebrationem in honorem Beatissimae Virginis Mariae invitabat. Libenti animo pauperes excipiebat, quos Iesu Christi perdilectos vocabat. Aegrotos et monentes visitabat, ut eos consolaretur atque iuvaret. Enixe quoque adlaboravit, ut opera a Sancta Infantia atque a Fidei propagatione in paroecia instituerentur.

Gravissimo morbo affecta ab anno 1853, praeter omnium spem convaluit die 8 Decembris anno 1854, eadem nempe die qua Summus Pontifex Pius IX Beatissimae Mariae Virginis sine labe originali conceptae dogma proclamavit. Ex eo autem tempore Servae Dei vita ad Iesu Christi Passionem magis magisque conformari videtur. Anno vero 1860 Tertium Ordinem saecularem Sancti Francisci ingressa est et ab Episcopo dioecesano licentiam obtinuit ut quotannis, per integram hebdomadam, exercitiis spiritualibus intra monialium clausurae saepta vacaret.

Postremis vitae annis Dei Serva magnos passa est dolores, cum internos tum etiam externos. Aequo enim animo pertulit ludibria personae sibi propinquae, quae eam redarguebat quasi pigritiae indulgerei et tempus tereret dum orationi vacabat : simul vero a conscien-

tiae moderatore aegre quandoque reprehendebatur, utpote qui viam qua, divinae gratiae actione, in vita spirituali ipsa ducebatur, non plane intellegeret. His autem alii accedebant dolores, quos praesertim feriis sextis Dei Serva experiebatur. Ipsa vero hanc a se compositam recitabat orationem: «O Sacra Victima, trahe me post Te, ut una simul gradiamur. Patiar Tecum, hoc enim aequum est. Meam repugnantiam ne respexeris, sed fac ut adimpleam in carne mea ea quae desunt passionum tuarum. Crucem amplector, Tecum mori desidero, in Sacratissimi Cordis tui Vulnere spiritum meum emittere cupio ».

In eodem loco quo nata erat atque vixerat, piissime Margarita mortua est die 27 Iunii, anno 1879, feria VI, tunc octava festi Sacratissimi Cordis Iesu.

Enitet in primis Servae Dei fides, qua omnes revelatas veritates credidit, prout ab Ecclesia ipsae docentur, easque veluti nullo interposito velamine contemplata est. Impensam meditando ac precando operam dedit et Deum continenter praesentem habuit, tum in cotidianae vitae adiunctis tum in tolerandis doloribus, quos patienter tulit, se totam in manus Domini fidenter tradens. Romanum Pontificem summo dilexit amore atque ex animo venerata est; quo in loco recensere quoque praestat adiutricem operam a Dei Serva Canonico Schorderet collatam, ut catholica ederetur ephemeris, cui titulus « La Liberté », qua Romani Pontificis iura contra impugnantes strenue defendebantur eiusdemque magisterium late divulgabatur ; quamvis enim Margarita nihil ipsa scripserit, efficaciter tamen et abscondite adlaboravit, ut, etsi magnae erant difficultates, praedicta ephemeris publici iuris fieri pergeret.

Licet humiliter demisseque sentiret seque miseram peccatricem putaret, spem tamen in Dei misericordia inque Passionis Iesu Christi meritis firmam reposuit, totisque suis viribus gratiae actioni cooperari sategit. Caritate acta, unum quaesivit Deum et proximum propter Ipsum dilexit. Dum vero in ceteris virtutibus magis magisque progrediebatur, ita Margaritae animo humilitas inhaerebat aliasque in eo agebat radices, ut coram suis concivibus tamquam omnium serva ipsa apparere percuperet et cuncta aestimationis signa sibi exhibita reiceret, neque ullis sive laudibus sive detrectationibus commoveretur.

Propter haec omnia sanctitatis famam est in vita consecuta, quae, post eius mortem, ad nostros usque dies mansit. Canonizationis Causa inita est in curia dioecesana Lausannensi, Genevensi ac Friburgensi, ubi Ordinarius Processus confectus est a die 30 Iunii, anno

1927, usque ad diem 24 Septembris, anno 1929. Cum hic tamen processus haud sufficiens videretur, Causae Postulator rescriptum a S. Rituum Congregatione impetravit, die 24 Aprilis, anno 1953, vi cuius, ad probationes complendas, alius Processus additicius instrui posset. Novus hic Processus peractus est in eadem curia dioecesana, a die 26 Iulii praedicti anni 1953 usque ad diem 7 Iunii, anni 1955. Summarium pariter ex officio confectum est, quo constat Dei Servam nihil omnino scripsisse, quapropter S. Rituum Congregatio, Decreto edito die 25 Novembris, anno 1953, ad ulteriora procedi posse statuit. Examinatis dein his Processibus eorundemque auctoritate ad iuris tramitem comprobata, Decretum hac de re latum est a Congregatione de Causis Sanctorum, die 13 Decembris, anno 1985. Actores tandem operam dederunt ut *Positio* ex rebus cognitis conficeretur, qua rite concinnata quaestio de Servae Dei virtutibus agitata est apud eandem Congregationem, et quidem primum, die 13 Februarii, anno 1990, in Congressu Peculiari Consultorum, moderante Fidei Promotore Generali Rev.mo D.no Antonio Petti ; deinde, die 19 Iunii eiusdem anni, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, dubio num constaret de heroicis Servae Dei virtutibus, responsum affirmativum est latum.

Facta de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis accepit atque mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus appararetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto, necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Margaritae Bays, e Tertio Ordine saeculari Sancti Francisci, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri iussit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

IV

LUCIONEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Mariae Ludovicae a Iesu (in saec.: Mariae Ludovicae Trichet), Confundatricis Filiarum a Sapientia (1684-1759).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me » *(Io* 4, 34). Exemplum et praecepta Domini Iesu secuta serva Dei Maria Ludovica a Iesu cum humilitate, perseverantia et laetitia caelestis Patris voluntatem fecit, pro cuius gloria non paucas subiit res adversas et acerbitates. In accepta vocatione permanens et vera impulsa caritate, sine intermissione est in christianae perfectionis via progressa, et splendidum exemplar facta ardentis coniunctionis cum Deo atque indefatigabilis pro pauperibus proque aegrotis apostolatus.

Pictavae die 7 mensis Maii anno 1684 orta est serva Dei a Iuliano Trichet et Francisca Lecoq, qui eam solida morali et religiosa formatione instruxerunt. A pueritia magna pietate enituit, simplicitate et pauperum cura. Anno nata 17 sanctum Aloisium Mariam Grignion de Montfort in urbe sua cognovit, tunc Valetudinarii Generalis cappellanum, qui, eius factus consiliator, ad eius vitam momentum habuit decretorium. Puella namque, studiosa se Deo totam consecrandi, statim ei visa est apta ad suum apostolicum opus adiuvandum adque Institutum religiosum, quod iam in animo habebat.

Anno 1702, absente sancto Aloisio Maria, Dei Serva novitiatum iniit apud Canonissas a Sancto Augustino ; sed post paucos menses propter valetudinis causam fuit ei ad familiam redeundum. Cum rursus in suum sanctum spiritus moderatorem incidisset, est ab eo sollicitata ad vivendum in Valetudinario Generali et ad Consociationem ingrediendam ((La Sagesse)) denominatam, quae ex nonnullis constabat piis mulieribus in eodem Valetudinario iacentibus. Die 2 mensis Februarii anno 1703 habitum religiosum induit nomenque cepit Sororem Mariam Ludovicam a Iesu, sicque prima exstitit futurae

Congregationis Filiarum a Sapientia sodalis- Cum Sanctus munere abiit, quo fungebatur, Dei Servae dixit : « Filia mea, ex hac domo ne exieris antequam decem anni transierint; si Filiarum a Sapientia Institutum post hoc tempus conditum erit, id Deo satis erit eiusque de te consilia ad effectum erunt adducta ». Quod consilium sequens, in Valetudinario mansit et decem exspectavit annos, quo melius Dei voluntatem de se cognosceret. Interea alacriter in imitatione Christi progrediebatur et pauperibus atque aegrotis serviebat, quamquam Valetudinarii ministri eam insimulabant, invidia persequebantur, mordebant. Anno 1714 ei se iunxit Catharina Brunet, quae secunda fuit Filia a Sapientia.

Ab Episcopo Rupellensi invitata, anno 1715 in eam urbem migravit, ubi gratuitam scholam pro pauperibus aperuit et Valetudinario « Saint-Louis » vocato se dedit. Tandem sanctus Aloisius Maria Grignion de Montfort pristinum suum propositum potuit ad effectum adducere et Filias a Sapientia instituere atque Regulam conscribere, quae est postea ab Episcopo dioecesano approbata. Mense Augusto eiusdem anni Serva Dei et eius socia vota religiosa nuncuparunt.

Conditore mortuo (die 28 mensis Aprilis anno 1716), sola Institutum rexit incipiens, quod adversa multa est passum, qualia fuerunt maxima paupertas, loci Auctoritatum contentiones et iniustitiae, acerbae malignitates, graves ob iuvenes Sorores luctus et etiam calumniarum persecutio, acres omnino.

b) vel laurea, saltem in iure canonico, una cum eximia peritia, probata praesertim magisterio universitario vel munere iudiciali apud tribunalia ecclesiastica aut civilia.

§ 2. Candidatus linguam Latinam ita calleat oportet, ut defensiones aliaque acta in ea conscribere valeat.

Art. 3. - § 1. Ut quis patrocinium vel munus procuratoris exercere possit habeat oportet in Urbe saltem quasidomicilium, vel, de licentia Cardinalis Secretarii Status, ibi locum ad notificationes accipiendas.

§ 2. Si qua forte mutatio intervenerit, validae nihilominus sunt actorum notificationes in priore domicilio vel loco factae, donec mutatio Cardinali Secretario Status, et etiam, si qui processus vel recursus pendeat, tribunali vel Dicastero significata sit.

Art. 4. - Praeter ad ea, de quibus in art. 1 M.P. *Iusti Iudicis,* Advocati habiles sunt ut operam suam apud Dicasteria Romanae Curiae, ubi opus fuerit, praestent.

* *AAS* LXXX (1988) 1258.

Art. 5. - Antequam Advocati munus exerceant, tenentur professionem fidei et iusiurandum fidelitatis coram Praefecto Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae eiusve delegato rite dare.

II. DE ADVOCATORUM SANCTAE SEDIS CORPORE

Art. 6. - Advocati Sanctae Sedis a Cardinali Secretario Status, audita Commissione de qua in art. 1 § 2, libere ad quinquennium nominantur, et possunt per singula quinquennia confirmari, donec septuaginta quinque annorum aetatem expleverint.

Art. 7. - Ut quis inter Advocatos Sanctae Sedis adnumeretur requiritur ut :

a) vel per quinque saltem annos in Albo Advocatorum apud Romanam Curiam inscriptus sit ;

***b)* vel per decem annos apud suprema civilia tribunalia patrocinium exercuerit aut magistratum gesserit.**

Art. 8. - Advocati Sanctae Sedis constituuntur ad utrumque forum vel ad canonicum aut civile tantum.

Art. 9. - Antequam Advocati munus exerceant, tenentur professionem fidei et iusiurandum fidelitatis coram Cardinali Secretario Status eiusve delegato rite dare.

Art. 10. - Praeterquam ad normam art. 24 § 2, Advocati cessant si munus stabiliter assumant, quod, iudicio Cardinalis Secretarii Status, cum ofiicio Advocati Sanctae Sedis componi nequeat.

Art. 11. - § 1. Cessant quoque si ex Albo Advocatorum apud Romanam Curiam legitime expungantur.

§ 2. Pari ratione, qui ex Corpore Advocatorum Sanctae Sedis removeantur, nisi hoc fiat propter incompatibilitatem ofiîcii assumpti, expuncti habeantur ex Albo Advocatorum apud Romanam Curiam, nisi Cardinalis Secretarius Status aliter decreverit.

Art. 12. - Advocati Consistoriales et Procuratores Palatiorum Apostolicorum ipso iure Advocatis Sanctae Sedis adnumerantur ceterisque Advocatis praecedunt.

Art. 13. - Album Advocatorum apud Romanam Curiam et Index Advocatorum Sanctae Sedis apud Secretariam Status servantur.

III. DE ADVOCATORUM OFFICIIS

Art. 14. - Advocati apud Romanam Curiam et Advocati Sanctae Sedis memores sint semper se in suo munere exercendo Sedis Apostolicae operis quodammodo participes esse propriaque actuositate verum ecclesiale servitium explere.

Art. 15. - Fidei et morum integritate excellant et vitam ecclesialem secundum propriam cuiusque condicionem sedulo participent.

Art. 16. - Ne adhaereant, faveant neque quoquo modo operam navent consociationibus vel motibus, qui doctrinae catholicae adversantur.

Art. 17. - In sua professione exercenda, praeter praecepta moralia legis christianae et naturalis, ethicas sui muneris normas servent.

Art. 18. - Secretum fideliter servare debent in causis et negotiis, quo in singulis casibus quovis titulo adstringuntur.

Art. 19. - Patrocinium causae adversus Sanctam Sedem apud tribunalia civilia ne suscipiant.

Art. 20. - § 1. Quod attinet ad honoraria, serventur normae apud singula tribunalia vel Dicasteria vigentes. Ab immoderato, tamen, lucro Advocati se abstineant.

§ 2. Iidem tenentur, de mandato Dicasterii, gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebere iis, quibus Dicasterium hoc beneficium concessit.

IV. DE COMMISSIONIS MUNERE

Art. 21. - § 1. Praeses ceteraque membra Commissionis, de qua in art. 1 § 2, libere a Cardinali Secretario Status ad quinquennium nominantur. Possunt, tamen, durante munere, libere substitui.

§ 2. Quae Commissio necessaria documenta et notitias acquirat, ut de omnibus qualitatibus candidati iure requisitis prudenter iudicare possit.

§ 3. Iudicium, tamen, de idoneitate candidati Commissio in plenaria sessione rite convocata secretis suffragiis exprimit.

Art. 22. - Uniuscuiusque sessionis relationem, Cardinali Secretario Status tradendam, actuarius, a Praeside ex membris nominatus, perscribat, quae suffragiorum numerum pro candidato vel contra vel abstensiones exprimat.

Art. 23. - De rebus in Commissione tractatis membra ad secretum adstringuntur.

V. DE SANCTIONIBUS

Art. 24. - § 1. Si quis Advocatorum normas sui muneris graviter violaverit, praesertim in casibus de quibus in artt. 5 et 6 M.P. *Iusti Iudicis,* res ad Promotorem Iustitiae Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae deferatur; qui actionem apud idem Tribunal proponat, qua sanctiones ad normam iuris irrogari possunt, haud exclusa ab Albo expunctione.

§ 2. Quodsi tamen requisita necessaria, de quibus in art. 3 M.P. *Iusti Iudicis,* postea deficiant et ob alias graves causas ad normam art. 8 M.P. *Iusti Iudicis* a Cardinali Secretario Status, audita Commissione de qua in art. 1 § 2, Advocati a munere removeri possunt.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die vicesima tertia mensis Iulii anno 1990 comprobavit Ordinationem ad exsequendas Litteras Apostolicas motu proprio datas initium ducentes a verbis *Iusti Iudicis,* earumque promulgationem praecepit.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

APPENDICES

I. IUSIURANDUM ADVOCATORUM SANCTAE SEDIS

Ego N.N., Advocatus Sanctae Sedis nominatus et gravium officiorum conscius, quae propter concreditum munus iam in mea universa vitae opera mihi persequenda sunt,

spondeo, voveo et iuro

1) in communione cum Catholica Ecclesia, in primis autem in Summi Pontificis ac Sedis Apostolicae obsequiis, semper me futurum, sive verbis a me prolatis sive agendi ratione;

2) Sanctae Sedis iura ubique servare, tueri ac defendere me totis viribus curaturum, summa cum diligentia et fidelitate forensia mea munera omnia expleturum;

3) communem Ecclesiae disciplinam perpetuo ac religiose me secuturum, itemque speciales de meis muneribus leges et ordinationes omnes servaturum et legitima ecclesiasticorum superiorum praecepta.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia, quae manibus meis tango.

(subsignatio)

Ego infrascriptus testor praefatum Dominum Advocatum Sanctae Sedis iusiurandum ut supra in manibus meis praestitisse, hac die

(subsignatio)

II. IUSIURANDUM ADVOCATORUM APUD CURIAM ROMANAM

Ego N.N., in Album Advocatorum apud Curiam Romanam admissus, spondeo, voveo et iuro

1) in communione cum Catholica Ecclesia, in primis autem in Summi Pontificis ac Sedis Apostolicae obsequiis, semper me futurum, sive verbis a me prolatis sive agendi ratione;

2) summa cum diligentia et fidelitate forensia mea munera me expleturum ;

3) communem Ecclesiae disciplinam perpetuo ac religiose me secuturum, itemque speciales de meis muneribus leges et ordinationes omnes servaturum et legitima ecclesiasticorum superiorum praecepta.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia, quae manibus meis tango.

(subsignatio)

Ego infrascriptus testor praefatum Dominum, iri Album Advocatorum apud Romanam Curiam admissum, iusiurandum ut supra in manibus meis praestitisse, hac die. . . . .

(subsignatio)

II

Secunda Sectio Consilii « di Conciliazione e Arbitrato » in Officio Laboris apud Sedem Apostolicam ad tempus constituitur.

UFFICIO DEL LAVORO DELLA SEDE APOSTOLICA
ULSA

Al fine di assicurare un adeguato funzionamento del Collegio di Conciliazione e Arbitrato in rapporto al numero delle controversie di cui è investito, in conformità di quanto è previsto alPArt. 11, comma 3 dello Statuto dell'ULSA, si istituisce una Seconda Sezione del Collegio di Conciliazione e Arbitrato, con durata fino al 31 dicembre 1991.

La Sezione è costituita dal Presidente del Collegio designato ai sensi dell'Art. 11, comma 1 dello Statuto e da due dei tre Membri supplenti dello stesso Collegio.

In caso di impedimento del Presidente le funzioni di presidenza sono assunte da uno degli altri Membri designati ex Art. 11, I° comma.

Per la composizione delle due Sezioni il Presidente del Collegio, con proprie ordinanze, potrà avvalersi sia dei due Membri effettivi sia dei tre Membri supplenti tenendo presente che, per la validità della costituzione del Collegio, ogni Sezione deve sempre essere composta da almeno un Membro effettivo.

Dal Vaticano, 18 Novembre 1990.

68 AGOSTINO card. CASAROLI
Segretario di Stato

In Secr. Status tab., n. 265.986/'A.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

QUEBECEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a S. Caecilia Romana (in saec.: Dinae Bélanger), Sororis professae Congregationis Religiosarum Iesu et Mariae (1897-1929).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Quebeci in Canadia, die 30 mensis Aprilis anno 1897 nata, Dina Bélanger vitam religiosam quattuor et viginti annorum amplectens nomen accepit Mariam a Sancta Caecilia Romana, quippe quae ab infantia plectocymbalo studuerat, qua in arte peculiares postea fecit progressiones.

Sive in saeculo, sive in conventu, hoc eius fuit propositum, ut vehementer assidueque ad Deum contenderet et sitienter expeteret cum Christo pati pro salute proximorum et pro familiae, cuius erat sodalis, aedificatione. Puella, adulescehtula et iuvenis ita ob suam pietatem in honorem fuit, ut ab aequalibus passim « sancta Dina » appellaretur. Religiosa in Instituto Iesu et Mariae effecta, ad perfectionis christianae culmen velociter ambulavit, emisso quoque voto ((perfectissima quaeque » persequendi in cogitationibus, in optatis, in verbis inque actibus omni vitae tempore. Phtisi correpta, mortem obiit die 1 Septembris -anno 1929, alterum et tricesimum aetatis agens annum, praeclara sanctitudinis exornata fama. Eam coluisse heroum in modum christianas et religiosas virtutes Summus Pontifex Ioannes Paulus II, servatis ex iure servandis, die 13 mense Maio a. 1989 declaravit.

Porro, ut ad ulteriora procederetur in casu necesse erat Causae actoribus, uti hodierna exigit lex, Apostolicae Sedi exhibere unum

miraculum divinitus patratum per eiusdem Venerabilis intercessionem. Cui legi obsequentes, iidem actores sanationem, quam miram asserebant, nuper ad cognoscendum obtulerunt. Agitur nempe de sanatione Andreae Chiasson, infantis Canadiensis septem mensium qui, invocato caelesti patrocinio Venerabilis Mariae a Sancta Caecilia Romana, edita a medentibus prognosi infausta et quoad valetudinem et quoad vitam, asseritur celerrime perfecteque die 4 Septembris anni 1939 convaluisse a morbo cuius diagnosis sic a medicis est definita : « Idrocefalo acuto a patogenesi imprecisata insorto nei primi mesi di vita extrauterina ».

Iamvero, super asserta mira sanatione est apud Curiam episcopalem Bathurstensem in Canada instructus processus temporis spatio quod decursum est a die 11 mensis Maii anni 1953 ad diem 9 mensis Iunii insequentis anni 1954, excussis 14 testibus de visu, quos inter 3 erant medici a curatione. Cuius inquisitionis iuridica forma et auctoritas agnitae sunt per huius Congregationis de Causis Sanctorum decretum die 14 Martii anni 1987 latum.

Postmodum, servato iuris ordine, concinnatum est Summarium, quod vocant, actorum processualium et extraprocessualium, additis duorum medicorum ex ofiicio deputatorum votis, circa praefatam sanationem, illudque commissum est studio et examini Consultae Medicae huius Congregationis. Cuius Consultae sodales, in sessione diei 15 Novembris prioris anni 1989 coadunati, omnibus mature perpensis professi sunt sanationem de qua supra est dictum contigisse praeter naturae vires, idest quoad modum.

Quo responso dato, tota quaestio relata est disceptationi theologicae, et quidem primum, die 23 mensis Martii anni huius vertentis, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 19 mensis Iunii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum huic Dicasterio praepositorum, in Palatio Vaticano coadunata, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et posito utrimque dubio num de miraculo ageretur, omnes, qui aderant, adfirmando responderunt.

De omnibus autem hisce rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex, vota Congregationis excipiens rataque habens, mandavit ut super relata mira sanatione Decretum rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon supra dicto Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Serva Dei Maria a Sancta Caecilia Romana, sorore professa Congregationis religiosarum Iesu et Mariae, videlicet de instantánea, perfecta ac stabili sanatione infantis Andreae Chiasson ab « idrocefalo acuto a patogenesi imprecisata insorto nei primi mesi di vita extrauterina ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

ROMANA

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Columbae Ioannae Gabriel, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Caritate (1858-1926).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Benigno Deo servire et apud Eum vivere, cum Eo vivere, vivere pro Eo: o, sortem felicem!... Et illuc ire, quo me anima gubernanda vocat, quo consolandum cor, quo corpus dolens deleniendum ! Numquam sciet quid sit gratia salutis qui non sit nisus amore. Solus amor non ex vano est operosus : ultroneus scatens, odia restinguit, sensus mollit, affert omnibus pacem; delapsum iterum conectit, contentiones componit, erigit flexum, tuetur, non laedit, et sub eius alis perfu-

gium quisque inveniet nullasque timebit minas. Omnia vincit amor. Ex magno amore exortum opus destrui numquam poterit ».

His in lineis, a Matre Columba scriptis, religiosa et Instituti Sororum Benedictinarum a Caritate Conditrice, flagrans eius adumbratur cupiditas, a primis gradibus vitae religiosae Leopoli factis ad extremos terrestris vitae dies, qua est Romae defuncta.

In « Dominici schola servitii » *(Regulae S. Benedicti Prologus),* sapientia crevit et gratia, discens oboedientiam voluntati Patris fontem esse pacis et laetitiae; Mariam imaginem esse Ecclesiae et in fide ac caritate spectatissimum exemplar (cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 53) ; dolorem, humilitatem, laborem, Dei et fratrum amorem momenta esse necessaria ad ingrediendum regnum caelorum. Haec Serva Dei nuntiavit vita, operibus et scriptis, tantum ostendens fervorem, ut iure in numero haberi possit insigniorum caritatis in pauperes inque aegritudine afflictos apostolorum.

In Polonia nata die 3 mensis Maii anno 1858 a Radulfo Gabriel et Agnete Rawski in urbe Stanislaopoli, tunc Austriaco imperio tenta, nunc autem Russico, eodem die quo orta, est baptizata, eique nomina sunt indita Ioanna et Mathildis. Acceptis suo tempore Confirmationis et Eucharistiae sacramentis, ita Dei gratiam in anima sua agere libere sivit, ut non solum exemplum evaserit vitae christianae, verum etiam cupida alias adducendi animas ad Christum, sicut Hebraicae illius amiculae suae animam, pro cuius conversione vel ad monendum parata erat. Anno 1866 cum parentibus et fratre Stanislao Leopolim migravit, ubi ludum ingenuarum litterarum frequentavit et moniales Benedictinas ibi degentes cognovit.

Haec cum Sancti Benedicti filiabus consuetudo non modo in Janina (ita familiariter appellabatur) amorem acuit erga Christum, sed eam docuit modo novo, pleno, unico Dei in hominem caritatem rependere, scilicet perpetuo Ei seipsam consecrando. Divinam ergo vocationem animadvertit et magno cum ardore novitiatum iniit apud illas Religiosas, post vestem indutam cum 16 esset annorum (quae res iis temporibus insolita erat) et nomen captum Sororem Columbam. Diplomatibus praedita ludi magistrae et praeceptricis mathematicae, physicorum, chemicae et picturae linearis in ludis ingenuarum litterarum, quae erat adepta omne punctum ferens, est ab Antistitis iussa in institutionem incumbere, in qua eminuit ob peculiares didacticas facultates obque insignem caritatem erga alumnos minus instructor et pauperiores. Professio religiosa, quam, iuxta normas canonicas id

temporis fecit 24 annos nata, die Transfigurationis Domini anno 1882, eam in ardenti studio confirmavit progrediendi in religiosa perfectione. Aliquot etiam annos quam optime perrexit suo docendi munere fungi, semper pro alumnorum egenis familiis laborans, ad quas adiuvandas a suis coenobii Antistitis cibaria postulabat et vestimenta, Christi caritate flagrans. Virtutes, quas cum simplicitate exercebat et humilitate, sororibus sodalibus admirationem iniecerunt, quae eam esse voluerunt suam moderatricem spiritalem in monasterii summis muneribus, nimirum Priorissae anno 1889, Magistrae novitiarum anno 1894 et tandem Abbatissae anno 1897. His in officiis sustinendis difficilibus quidem et magni oneris Serva Dei ostendit se veram esse suis Sororibus Matrem, omnia consilia capiendo ad illius Communitatis condicionem religiosam et socialem evehendam ; se semper paratam praebendo ad monendum, ad adhortandum, ad incitandum sanctitatem versus, aptis modis relaxationi et adsuetudini renitendo in Dei servitio. Vixit effecitque ut viveretur ex liturgia, quae culmen est ad quod actio contendit Ecclesiae et simul fons, ex quo tota vita eius emanat (cf. CONC. OEC. VAT. II, *Sacrosanctum Concilium,* 10), nihilque neglexit, quod Sororum spiritalem gradum meliorem facere posset : ad fervidiorem in dies enim deprecationem eas stimulavit adque alacrius sanctiusque virtutum exercitium, itemque, secundum morem proprie benedictinum, ad laborem assiduum, utpote paupertatis humilitatisque significationem manifestam, cuius prima specimen dedit.

Ut saepe accidit, tanta acris industria est acerbitatibus perfusa et aegritudinibus ; Deus namque amicorum suorum virtutes experitur molestiis et adversis : non idcirco admiramur, quod etiam Servae Dei pravae interpretationes, adversam, inimici, contemptus non defuerunt ; sed ab omni casu difficili et acerbo victrix abiit, humilitate fulta et oboedientia. Eiusmodi aegrimoniae praeterquam aliunde, etiam e quadam simultate ortae sunt nonnullarum eius monialium contra reformationem regularem, quam Serva Dei in monasterio perficere volebat.

His omnibus rebus Mater Columba est in tale discrimen adducta, ut impulsa sit ad omnia relinquenda, res et personas, ne umquam Christum relinqueret. Hinc die 21 mensis Aprilis anno 1900 exsul Romam venit, sola, pauper, falso insimulata !

Immensa cum fiducia Deo se permisit : « Iesu mi, tu scis me multos in animo acúleos habere, sed eos patientem perpeti et etiam aliquantulo cum gaudio, cum omnis aculeus sit adorabili sanguine tuo

conspersus. At unum nolo aculeum, unum recuso dolorem • te perdendi dolorem. Dilecte mi Iesu, omnia ego repudio, at te repudiabo numquam ».

Romae, Beatae Franciscae Siedliska hospes, unum optabat: quam primum ad suum redire monasterium; sed aequa haec spes a novo Episcopo Leopolitano dispulsa est, qui eam mittere maluit, ad coniecturalia incommoda vitanda, ad monasterium Benedictinarum Sublacensem, ut ibi in sua consecratione vivere pergeret.

Serva Dei in eo quidem commorata est, ab anno 1902 ad annum 1903, ut annum probaretur; sed experimento peracto, denuo Romam petiit, alia amaritudine affecta, at Providentiae omnino confisa, quae ei, post longam doloris noctem, diluculum praeparabat resurrectionis, operibus über et meritis.

Interea sanctas in animas incurrebat, quae multa ei consilia et subsidia dederunt : quod ad hoc spectat, digni qui memorentur sunt Beata Francisca Siedliska, Servus Dei Pyrrhus Soavizzi et aliqui Romanae Curiae Praelati. Ita mira eius de animis deque christiana societatis renovatione cura exitum habuit institutionem Domus-Familiae pro puellis operariis pauperibus, cum opum expers esset, et solum dives maxima fide, quam Dei Providentiae habebat. Omnes eam adiuverunt, cum Pontifices Pius X et Benedictus XV, tum e^ Italiae Reges et Cardinales ac simplices sacerdotes.

Plurimae puellae, apud Matrem Columbam deversabantur, quoad corpus et animum sustentatam; quod opus auxilia postulabat perpetua. Eam ob rem cum iuvenibus, quae ei ministras se praebebant in puellis operariis consulendo ab opere vacuis, Auctoritate Ecclesiastica adhortante et approbante, Institutum condidit Sororum Benedictinarum a Caritate; quod, ea fortiter ac sapienter regente, pedetemptim crevit seque ad varias extendit Italicas dioeceses et, deinde, etiam ad exteras missiones.

Cum fervore, quo eminebat, exinde suam exsequebatur Conditricis operam sedulo et alacriter, semper laeta Iesu in pauperibus servire et, quantum poterat, Christi bonum odorem diffundere. Romae, sicut antea Leopoli, numquam destitit religiosam contendere perfectionem et impetu constantique cum voluntate labores obiit, quos hoc exigit negotium, et in accepta vocatione manens, gradatim contigit metam. Hac in re vis ei profuit et indolis firmitas, intellegentiae facilitas, industrius animus, sed ante omnia magna fides et ardens caritas.

Ne in operibus quidem apostolicis Romanis ei angustiae et difficultates defuerunt, sed cum sibi conscia esset — uti dicere solebat — « Opera Dei nasci, crescere, florere in Calvaria cruce obumbrante », sincera indefatigataque sedulitate illis se tradidit, simul progressus faciens in intima cum Deo coniunctione et in sanctitatis via. Semper namque maxime intendit ad id explicandum, quod suas Sorores iuvenesque docebat, quin eas antegrediebatur exemplo, vitam suam condonando Deo, Ecclesiae, proximo, praesertim pauperi et indigenti, at potissimum pueris, aegrotis, puellis operariis. Qua re olim suis scripsit filiabus spiritalibus : <(Cor filiae habeatis in Deum, in proximum cor matris, cor iudicis in vos ». Quam animarum curam temperavit cum taciturnitate, contemplatione, Regulae observantia; et quo graviora sollicitioraque erant negotia, eo magis sentiebat sibi esse deprecandum novasque hauriendas vires e coniunctione cum Deo.

Semper simplicem et humilem se servavit, ab honoribus et a fluxis rebus alienam, aedificii sui spiritalis fundamentum habens paupertatem, oboedientiam Superioribus, quos semper Dei ducebat vicarios, absolutam et perfectam Providentiae fiduciam, caritatem, omnique tempore paratam (se servavit) ad se devovendam ut Deo gloriam daret tota vita sua.

Die 5 mensis Martii anno 1926 Romae Vicariatus eius religiosam Congregationem approbavit, tuncque magna eius laetitia fuit.

Sorores suas formabat « ad meditationem adque deprecationem, vitae activae arcte coniunctas », et, vera spiritalis mater, « maxima eas complectebatur benevolentia, etsi ex earum vitiis acerbum capiebat dolorem », cum contra affirmaret « summa se affici laetitia ob earundem in melius mutatos mores ».

Ad terminum usque dierum suorum Dei Serva Patris voluntatem et fecit et facere docuit, Christi et Ecclesiae doctrinae obsequens fuit, laeta vitam pro regni Dei amplificatione profundere ((omnibus suis pauperculis sed promptis viribus ». Ultimis annis vitae suae est valetudine minus prospera usa, sed continenter fuit serena, quandoquidem sciebat, uti scripsit, « doloris thesaurum cum amore toleratum finem habiturum et in coronam conversum iri » ; et Sororibus paratis ad suam Domino pro Matris Columbae valetudine offerendam, materna indulgentia obiciebat : « Imprimis Dominum deprecamini ut bonam mihi mortem concedat ».

Et profecto e vita decessit quiete ad solis occasum die 24 mensis Septembris anno 1926, a filiis suis spiritalibus circumfusa et eius sa-

cerdotibus adiutoribus assidentibus, ex quibus Servo Dei Pyrrho Soavizzi et Patre Vincentio Ceresi.

Fama sanctitatis, quam viva sibi comparaverat, in eius exsequiis significata est et insequentibus annis diffundi perrexit et confirmari, donec apud Romae Vicariatum Processus Cognitionalis initium factum est, qui annis actus est 1983-1986.

Huius Processus auctoritas a Congregatione pro Causis Sanctorum agnita est die 28 mensis Iunii anno 1986.

Die 28 mensis Novembris anno 1989 exitu cum faventi habitus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, praesidente Patre Caietano Stano, O.F.M.Conv., Promotoris Fidei «ad casum» munere fungente. Etiam Em.mi Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 8 mensis Maii anni 1990, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Pironio, agnoverunt Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Columbae Ioannae Ctabrel, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

III

TAURINEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Allamano, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Missionum a Consolata (1851-1926).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Natus die 21 mensis Ianuarii anno 1851 in oppido cui nomen *Gastelnuovo d'Asti* intra Taurinensis archidioeceseos fines, Iosephus Allamano inde ab infantia ad pietatem christianasque virtutes est educatus, sedula quidem cura piissimae matris, quae s. Iosephi Cafasso soror erat. Elementari curriculo in natali oppido confecto, ad superiora studia peragenda celebre sancti Ioannis Bosco oratorium adivit, cuius spirituali usus est directione. Tot tantisque instructus auxiliis, nihil mirum si Servus Dei vocationem ad sacerdotium expertus sit. Ecclesiasticis studiis laudabiliter peractis, sacerdotio auctus est anno 1873. Cum sacerdotale ministerium aliquamdiu exercuisset in pago *Passer ano,* moderator spiritualis Seminarii metropolitam Taurinensis est deputatus. Rector deinde nominatus principalis sanctuarii civitatis a Consolata appellati, nulli parcens labori vel expensis, templum reparandum et amplificandum splendideque exornandum curavit atque ardenti suo zelo actuosum centrum reddidit Marialis devotionis urbis Taurinensis universaeque Pedemontanae regionis. Regimini postea praepositus ecclesiastici Convictus Taurinensis instituendis iuvenibus sacerdotibus, magister quoque praecellens cleri exstitit. Canonicus quoque ecclesiae metropolitanae renuntiatus, monialium regimini addictus aliisque variis gravatus officiis, a caritatis operibus exsequendis atque ab apostolicis laboribus sustinendis, uti sacrae Paenitentiae assiduus optimusque minister, non destitit.

Servus Dei insuper duplicem erigendam curavit Sodalitatem missionalem, virorum nempe et mulierum, sub titulo « Institutum Missionum a Consolata », cui regimini, quoad vixit, praefuit, totis viribus incumbens ad actuosam utriusque religiosae familiae sodalium formationem. Laboribus fractus potius quam annis, die 16 Februarii anno 1926, Taurini obdormivit in Domino. Eum virtutes heroum in

modum coluisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 13 Mensis Maii a. 1989 edixit.

Porro, ut Venerabilibus Servis Dei honores legitime decernantur Beatorum Caelitum, vigens ius in Causis Sanctorum requirit unum miraculum eorundem intercessioni tributum riteque ab Apostolica Sede agnitum. Hinc seduli Causae actores Venerabilis Iosephi Allamano sanationem quandam, eodem deprecatore a Deo patratam, nuperrime ad cognoscendum exhibuerunt. Asserebant namque dominam Seraphinam Nyambura, civem Kenyatensem in Africa Orientali, quattuor et triginta annos natam, protinus perfecteque mense Septembri anno 1971, precibus ac meritis eiusdem Venerabilis, convaluisse a morbo hepático virali fulminante et in statu veternoso.

Super hoc miro eventu processus cognitionalis, quem vocabant, instructus est apud curiam episcopalem Nyeriensem a die 5 Novembris ad diem usque 8 Decembris anni 1975, cuius fides et auctoritas iuridica est agnita per decretum huius Congregationis de Causis Sanctorum die 17 mensis Octobris a. 1986 latum.

Cuius iuridicae inquisitionis acta et documenta fuere disceptata primum in sessione Consultae Medicae die 25 mensis Octobris a. 1989 coadunata, cuius sodales omnibus mature perpensis, fassi sunt praedictam sanationem contigisse praeter naturae vires eamque explicari non posse per naturae leges.

Medicorum autem iudicium secutae sunt binae disceptationes theologorum, et quidem prius, die 2 mensis Februarii anni huius vertentis 1990, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 22 mensis Maii eodem anno, in Congregatione Ordinaria ad Vaticanum habita Patrum Cardinalium et Episcoporum Congregationis de Causis Sanctorum praepositorum, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeno in Haemimonto. Et in bina disceptatione omnes, proposito dubio num de miraculo constaret necne, adfirmantes responderunt.

De omnibus hisce rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, ut decretum super eadem mira sanatione conscriberetur praecepit.

Quod cum factum esset, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque convocari solitis, eisque astantibus, Bea-

tissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato, deprecatore Venerabili Servo Dei Iosepho Allamano, videlicet de instantánea, perfecta ac duratura sanatione dominae Seraphinae Nyambura a morbo hepático virali fulminante et in statu veternoso.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Iulii A. D. 1990.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

i

CHILAPENSIS

DECRETUM

de mutatione sedis et nominis dioecesis

Cum urbs Chilpancingo, intra fines dioecesis Chilapensis exstans, incolarum frequentia opibusque modo crebra, labentibus annis, felicia susceperit incrementa ac, ad praesens, christifidelium numero, industria, commerciisque floreat, Exc.mus P. D. Iosephus Maria Hernández González, Episcopus memoratae Ecclesiae, maiori animarum spirituali bono apprime studens, ab Apostolica Sede enixe expostulavit ut sedes episcopalis a civitate Chilapensi ad urbem cui nomen Chilpancingo transferatur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Hieronymi Prigione, Archiepiscopi titularis Lauriacensis, in Dicione Mexicana Apostolici Delegati, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice, Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Eadem Congregatio, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut :

1. Sedes episcopalis dioecesis Chilapensis in urbe vulgo Chilpancingo nuncupata statuatur templumque paroeciale ibi exstans Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae dicatum ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehatur eique insignia, privilegia iuraque omnia tribuens quibus ceterae Episcopales Ecclesiae, ad normam iuris communis, fruuntur et ornantur;

2. Templo vero in civitate Chilapa exstanti Deo in honorem eiusdemque Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae dicato, usque adhuc dignitate Ecclesiae Cathedralis insignito, titulum ac fastigium Concathedralis Ecclesiae tribuantur;

3. Novae constitutae Cathedralis Ecclesiae, cui nomen Curiae « Chilpancingensis », eiusque Praesulis Ordinarii loci titulum ac denominatio ((Chilpancingensis-Chilapensis » sit ;

4. Episcopo Chilpancingensi-Chilapensi residere liceat etiam in urbe Chilapensi prout, suo iudicio, hoc ad maiorem Dei gloriam christifideliumque spiritualem salutem provehendam cesserit.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P. D. Hieronymum Prigione deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 20 mensis Octobris anno 1989.

@ BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

68 Iustinus Rigali, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 666J86.

II

BELLICENSIS-ARSENSIS

DECRETUM

De concathedralis erectione

Cum intra fines dioecesis Bellicensis urbs extet, vulgo « Bourg-en-Bresse » nuncupata, opportunitate loci conspicua necnon incolarum numero operumque navitate iure celebrata, in qua et sedes civilium Magistratuum ac publicorum officiorum posita est, Exc.mo P. D. Renato Fourrier, tunc Episcopo Bellicensi, impetrante, a. D. MCMLXXIV sedes episcopalis in eandem urbem translata fuit.

His autem diebus, Exc.mus P. D. Vido Bagnard, Episcopus Bellicensis-Arsensis, ad aptius animarum bono consulendum, ab Apostolica Sede postulavit ut templum in eadem civitate Deo in honorem Beatae Mariae Virginis, sub titulo « Notre-Dame de Bourg », dicatum, ad dignitatem ac fastigium Ecclesiae Concathedralis eveheretur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Laurentii Antonetti, Archiepiscopi tit. Rusellensis atque in Gallia Apostolici Nuntii, catholicae religionis firmitatem, ac incrementum prae oculis habens, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, vigore specialium facultatem a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, sibi tributarum decernit :

1 - ut, servata dioecesis Bellicensis-Arsensis Cathedrae episcopalis dignitate, templum illud Deo in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo vulgo ((Notre-Dame de Bourg » dicatum, titulo ac fastigio Ecclesiae Concathedralis decoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria;

2 - ut, in posterum, Exc.mo Episcopo Bellicensi-Àrsensi Concathedrali Ecclesia Beatae Mariae Virginis seu « Notre-Dame de Bourg », de iure uti liceat prout ad maiorem Dei gloriam concreditique gregis spirituale bonum provehendum cesserit.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Laurentium Antonetti, Archiepiscopum Rusellensem ac in Gallia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas ei tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum

in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 20 mensis Augusti anno 1990.

68 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

Marcellus Costalunga, *Sui)secretarius*

LOCO rB Sigilli

In Congr. pro Episc, tab., n. 556J90.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 12 Septembris 1990. — Praelaturae Solimöes Superioris Exc.mum P. D. Evangelistam Alcimarem Caldas Magalhäes, hactenus Episcopum Carolinensem.

die 2k Octobris. — Episcopum Coadiutorem Crucis Altae R. D. Petrum Ercilium Simon, Vicarium generalem Passofundensem.

die 13 Novembris. — Praelaturae territoriali Huamaciucanae R. P. Sebastianum Ramis Torrens, e Tertio Ordine Regulari S. Francisci, Administratorem Apostolicum eiusdem Praelaturae.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, **29** Novembre **1990,** S. E. il Signor BUDIMIR LONCAR, Segretario Federale per gli Affari Esteri della Repubblica Socialista Federativa di Jugoslavia.

Giovedì, 29 Novembre 1990, il Santo Padre ha presieduto una riunione dei Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

1 dicembre 1990. S. E. mons. Angelo Sodano, Arcivescovo tit. di Nova di Cesare, ***Pro-Segretario di Stato.***

» » » Mons. Jean-Louis Tauran, Arcivescovo tit. el. di Telepte, ***Segretario della Sezione per i Rapporti con gli Stati.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

20 ottobre 1990. P. Aelred Pereira, S.I., ***Consultore del Pontificio Consiglio per il Dialogo con i non Credenti.***

26 » » Il Sac. Giuseppe Versaldi, ***Votante presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.***

» » » Mons. Francesco Salerno; Padre Ignacio Gordon, S.I.; Padre Urbano Navarrete, S.I.; Padre Pietro Tocanel, O.F.M. Conv., ***Votanti presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « in aliud quinquennium ».***

» » » I Sacerdoti Marian Rola; José Pinero Carrion; Giampaolo Montini; i Padri Giuseppe Di Mattia, O.F.M. Conv. ; Donald Kos, O.F.M. Conv., ***Referendari presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.***

» » » Il Padre Velasio De Paolis, P.S., ***Referendario presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica «in aliud quinquennium».***

15 novembre 1990. Il Dott. Italo Santini, *Consultore della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede «in aliud quinquennium».*

17 » » Le LL. EE. i Signori Cardinali William W. Baum e Achille Silvestrini, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi.*

» » » S. E. mons. Angelo Palmas, Arcivescovo tit. di Vibiana, *Membro Soprannumerario della Congregazione delle Cause dei Santi.*

NECROLOGIO

11 novembre 1990. Mons. Cicerón Tumbocon, Vescovo di Cabanatuan *(Filippine).*

13 Mons. Léonce Tchantayan, Vescovo tit. di Sebastopoli di Armenia.

22 Mons. Walenty Wójcik, Vescovo tit. di Baris di Ellesponto.

23 Mons. Diego Gutiérrez Pedraza, Vescovo Prelato di Cafayate *(Argentina).*

25 Mons. Claude Angenor, Vescovo emerito di Les Cayes *(Haiti).*

28 Card. Wladyslaw Rubin, del titolo « pro hac vice » di Santa Maria in Via Lata.

» » Mons. Germán Schmitz Sauerborn, Vescovo tit. di Megalopoli di Proconsolare.

30 » Card. Octavio Antonio Beras Rojas, del titolo di San Sisto.

2 dicembre Mons. Edward J. Harper, Vescovo emerito di Saint Thomas *(Stati Uniti d'America).*

4 » Mons. Francisco Ricardo Oves Fernandez, Arcivescovo emerito di San Cristóbal de la Habana *(Cuba).*

Recens nunt atum est Augustinum Van Aaken, episcopum tit. Achyraënsem, die undecima mensis Augusti huius anni 1990 de vita (decessisse.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. LXXXII)

I - ACTA SUMMI PONTIFICIS

II - ACTA CONGREGATIONUM

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. II

VII - LITTERAE APOSTOLICAE

VIII - EPISTULAE

IX - DECLARATIO

X - CONVENTIONES

XI - HOMILIAE

XII - ALLOCUTIONES

XIII - NUNTIUS GRATULATORIUS

XIV - NUNTII TELEVISIFICI

XV - NUNTII TELEGRAPHICI

XVI - NUNTII SCRIPTO DATI

XVII - CHIROGRAPHUM

XVIII - ITINERA APOSTOLICA

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX
SEULUM ET INSULAS IAVAM, TIMOKIAM, SUMATKAM AO MAURICIANAM PERAGRAT
DELECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX QUASDAM AFRICAE OCCIDENTALIS REGIONES PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX MEXICUM PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES

XIX - SECRETARIA STATUS

II - ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

III - CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

IV - CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

V - CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

VI - CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

VII - CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

III - ACTA CONSILIORUM

PONT. CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

IV - ACTA COMMISSIONUM

PONT. COMMISSIO «ECCLESIA DEI»

III

INDICES NOMINUM

I • INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)
(CUM PARVA CRUX F ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

B

C

E

F

G

H

I

M

N

O

P

S

T

U

V

W

X

Y

Z

II - INDEX NOMINUM DIOECESIUM, VICARIATUUM, ETC.

A

B

C

R

S

T

U

V

Y

Z

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

A

B

C

D

E

J

K

L

M

P

Q

R

T

U

CORRIGENDA

in vol. LXXXII (1990) Commentarii ACTA APOSTOLICAE SEDIS

42, linea 10 : loco *Leonardo Felice* legatur *Felice Leonardo.*
84, linea 13 : loco *Deum* legatur *eum.*
116, linea 2 a fine : loco *Hadrumentinae,* legatur *Hadrumetinae.*
211, lineae 5-6 a fine : loco *Ioannem Mariam Martinum* legatur *Ioannem Aloisium Martin Buisson.*
308, linea 3 a fine : loco *Balasorenensis* legatur *Balasorensis.*
422, linea 3 : loco *Dei Servis* legatur *Beatis.*
422, linea 4 : loco *Beatorum* legatur *Sanctorum.*
536 : lineae paenultima et ultima deleantur.
606, linea 1 : loco *Ndalatondensis* legatur *Ndalandensis.*
1019, linea 26 : loco 7 *Iunii* legatur 7 *Iulii.*
1020, linea 7: loco *11 Iulii* legatur *11 Iunii.*

MENDA TYPOGRAFICA

in fascicolo N. 11 eiusdem voluminis (CCEO)

pag. 1078, linea 30 : loco *ommittat* legatur *omittat.*
pag. 1088, linea 21 : loco *1* legatur § *1.*
pag. 1092, linea 19 : loco . ponatur
pag. 1114, linea 12 in fine : loco . ponatur ;.
pag. 1128, lineae 13-14 : loco *eparchiali-but* legatur *eparchiali-bus.*
pag. 1138, lineae 8-9 : loco *christideli-bus* legatur *christifidelibus.*
pag. 1140, linea 16 : loco *clerici* legatur *clerici.*
pag. 1147, linea 8 : loco *et,* legatur *et.*
pag. 1157, linea 18 : loco *valididatem* legatur *validitatem.*
pag. 1176, linea 25 : loco *Societatum* legatur *societatum.*
pag. 1184, linea 18: loco *Infallibitate* ^ legatur *Infallibilitate.*
pag. 1194, linea 32 : loco *sacram* legatur *Sacram.*
pag. 1200, linea 30 in fine : loco . ponatur ,.
pag. 1204, linea postrema : loco *Ecclesiae* legatur *ecclesiae.*
pag. 1231, linea 32 : loco *baptizata* legatur *non baptizata.*
pag. 1263, linea 32 : loco *ea.* legatur *ea,.*
pag. 1290, linea 32 : in fine : ponatur —.
pag. 1336, linea prima : loco *Qui* legatur § *1. Qui.*
pag. 1339, linea 11 : loco *cuiusquam* legatur *cuiusquam nomen.*
pag. 1351, linea 14 in fine : ponatur . .

OCTOGESIMUM SECUNDUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS « ACTA APOSTOLICAE SEDIS »
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MCMLXXXX
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS